


THEORIA
ENTIUM INSENSIBILIUM

SIVE

METAPHYSICA UNIVERSA

SACRA ET PROPHANA,

OMNIUM CAPTUI ACCOMMODATA.

Accessit rerum index alphabeticus, cujus ope totum hoc opus lexici metaphysici, seu philosophici vices gerit.

AUCTORE

ABBATE PARA DU PHANJAS.

E Gallico sermone in Latinum vertit F. T.

TOMUS SECUNDUS





VENETIIS.

APUD LAURENTIUM BASILIUM.
Superiorum Permissu, ac Privilegio.
MDCCLXXXI.

THEORIA
ENTIUM INSENSIBILIUM
SIVE
METAPHYSICA UNIVERSA SACRA ET PROPHANA.

TRACTATUS TERTIUS.

THEORIA RATIOCINII, SIVE DIALECTICA

577. DEFINITIO. D*ialectica*, seu logica (*a*) est scientia ratiocinii. Ejus objectum sunt diversæ humani intellectus operationes, quas scientiæ præceptis ipsa instituit, ac dirigit. Humanus intellectus, sive ea animæ nostræ potentia, quam intellectum vocamus, concipit, judicat, ratiocinatur, ratiocinia coordinat: hi sunt ejus diversi actus, hæ diversæ operationes.

I. *Concipere* dicimus, quum rerum, quæ sese menti objiciunt, ideas tantum, ac perceptiones habemus, nullo de illis judicio, aut ratiocinio.

Hæc intellectus nostri operatio, quæ in rebus tantum percipiendis, & repræsentandis sita est, puta, Deo, anima, tellure, sole, stella, agro, fluvio, arbore, homine, leone, silice, metallo, virtute, justitia, veritate, ceterisque, quin de his quidpiam affirmemus, aut ne-

---

(a) *ETIMOLOGIA. Logica, Dialectica.* λογικη, Διαλεκτικη. Α λογοτ, *ratiocinium, Scientia sermonis, seu ratiocinii.*

negemus, aut deducamus, *Perceptio* dicitur. Quare perceptio semper aut idea est, aut sensatio, aut animæ sensus, & nihil præterea.

II. *Judicare* dicimus, quum intellectus noster diversas perceptiones inter se conferens affirmat, unius objectum esse, aut non esse alterius objectum.

Hæc intellectus nostri operatio, qua duas objectivas perceptiones considerans, & inter se conferens earum identitatem affirmat, aut negat, *judicium* dicitur. Quare judicium semper est mentis assertio, vera, aut falsa, interna, aut externa; hæc vero mentis assertio *propositio* dicitur, quum extra animam patefit signis ad animæ cogitationes, & affectiones exprimendas institutis, cujusmodi ut plurimum sunt verba, & scriptura. (258 & 259).

III. *Ratiocinari* est illa intellectus nostri operatio, qua a pluribus judiciis aliud judicium educit; Exempli causa, sint bina hæc judicia, seu binæ hæ propositiones „ pars totius semper „ minor est toto: triangulum totum est & trian- „ guli triens e us pars est. "

Si hæc duo judicia inter se conferens hoc tertium judicium deduco: *ergo trianguli triens toto triangulo minor est*; hoc judicium consideratum ut a binis præcedentibus, in quibus implicite continetur, extractum, aut deductum, erit *ratiocinium*.

Quare hæc intellectus nostri operatio, qua duo judicia, sive duas propositiones inter se conferens, ab his tertium judicium, sive tertiam propositionem extrahit, *ratiocinium* nuncupatur; atque hæc, ut facile nosces, præcipua humani intellectus operatio est.

IV. *Coordinare*, seu *disponere* ars est apte disponendi, & simul nectendi perceptionum, judiciorum, ratiociniorum seriem: ita ut collectio, seu totum quoddam inde enascatur veritati detegendæ, aut enunciandæ opportuno.

Hac

Hac super re nullas Dialectica regulas tradit. Hic ordo *methodus* nuncupatur; atque a tribus præcedentibus intellectus operationibus ab ingenio, & a recta mente directis necessario produci debet.

DIALECTICA NATURALIS: DIALECTICA ARTIFICIALIS.

578. OBSERVATIO. Dialectica, seu logica juxta traditam definitionem est *Scientia ratiocinii*: hæc vero, ut ceteræ scientiæ omnes, ut ad quandam perfectionem evehatur, ut plurimum naturæ, & artis opus esse debet.

I. *Dialectica naturalis* dicitur facultas illa recte ratiocinandi, quæ plerumque naturæ donum est, quæque passim in adultis majori, minorive perfectionis gradu reperitur ante principia, & præcepta, quibus ab arte dirigitur, atque perficitur.

II. *Dialectica artificialis* dicuntur præcepta quædam per scientiam demonstrata, quæ tradit philosophia de tribus præcipuis humani intellectus operationibus; nempe de *perceptionibus*, ut apte res definire, & distinguere addiscamus; de *propositionibus*, ut eas apte perpendere, earumque vim, & oppositionem dignoscere addiscamus; de variis *ratiociniorum* speciebus, ut rectas consequentias deducere, & pravarum vitia dignoscere addiscamus.

DIALECTICÆ ARTIFICIALIS ORIGO.

579. OBSERVATIO I. In iis, quæ *Scientiæ practicæ*, & *artes liberales* dicuntur, *natura inspectio*, & *observatio* passim præceptis illis ortum dedit, quæ ad illas respective pertinent (243 & 244).

I. Exempli causa, superioribus sæculis homines fuerunt natura ipsa eloquentes, qui ita, na-

naturæ ipsius munere, loquebantur, ut animos sibi conciliare, movere, suadere possent. Adnotavit philosophia quibus ideis, & ratiociniis, quibus motibus naturalis eloquentia miros hos effectus obtineret; hunc vero dicendi modum dicendi principia, & præcepta esse instituit. Hinc *præcepta eloquentiæ*

II. Pariter superioribus sæculis fuerunt, qui natura duce suaviter canerent. Adnotavit philosophia quibus sonorum proportionibus, ac dispositionibus melos, & harmonia aures suaviter percelleret, & animum commoveret; & has sonorum dispositiones principia, & præcepta esse instituit; hinc *præcepta musices*.

III. Ita quoque superioribus sæculis extiterunt, qui natura ipsa honeste, & eleganter incederent, & corporis, ac membrorum motus componerent; qui ædes, domosque sibi extruere scirent, in quibus & vitæ commoda invenirentur, & elegantia elucesceret; qui ita coloribus visibilia objecta pingerent, ut naturam egregie imitarentur. Animadvertit philosophia quibus modis ista fierent; modosque istos principia, & præcepta esse statuit. Hinc *præcepta chorearum, Achitecturæ, Picturæ*, cetera &c.

580. OBSERVATIO II. *Dialectica artificialis*, de qua unice toto hoc tractatu sermo erit, eadem origo fuit. *Præceptorum scientia demonstratorum collectio*, quibus constituitur, a philosophiæ observationibus, & animadversionibus ortum habuit.

Philosophia diversas naturalis dialecticæ operationes attente considerans animadvertit qua via humanus intellectus procederet, quum recte operabatur definiendo, dividendo, propositionem in aliam æquipollentem transformando, propositionem propositioni opponendo, propositionem ab aliis pluribus deducendo, atque his similia. Porro hanc operandi rationem recte ratiocinandi præcepta esse statuit.

Di-

Dialecticæ præcepta, præclarum ingenii inventum, duplicem pariunt utilitatem, humanum quippe intellectum dirigunt simul, & illustrant; illi scilicet viam sternunt, qua ad rectitudinem operationes suas dirigat, illique ostendunt, hanc *rectitudinis viam* evidenter tutam, certamque esse.

Atque hoc ipsum est, quo dialectica vera scientia est, & ab artibus tum mechanicis, tum liberalibus omnino diversa: hæ enim rectitudinis viam sternunt, non tamen viam ab ipsis stratam certam ac tutam esse evidentibus principiis ostendunt. Exempli causa, eloquentia & poesis quum rectitudinis, & perfectionis ad ipsas spectantis præcepta tradunt, eaque vera; non propterea, ut dialectica, demonstrationibus accuratis ostendunt, ac evidentibus principiis, earum præcepta necessario objecto suo connexa esse, atque ad propositum finem adducere.

Eadem ingenii vis, quæ *ex natura observatione* eloquentiæ, & poesis præcepta statuit, eadem quoque observatione, plurimisque metaphysicis meditationibus, iisque profundis, rectis, illustribus, *dialecticæ præcepta* statuit. Horum auctor fuit Aristoteles, Alexandri magister, physices creator, vir inter veteres philosophos vere summus, cujus nomen immortalitate donari deberet tunc etiam, quum nihil aliud ab ipso commodi accepissemus, nisi quod ipse omnium primus nobis eloquentiæ, poeseos, & logicæ præcepta tradiderit.

ARTIFICIALIS DIALECTICÆ FINIS.

581. OBSERVATIO. *Dialectica artificialis* proximus, & immediatus finis est humani intellectus operationum perfectio; mediatus vero, & remotus veritatis inquisitio. Primus proprius dialecticæ finis est; alter dialectici propriusest, aut esse debet.

I. *Dialectica finis verus*, proximus, ac proprie dictus est humanum intellectum instituere, ut recte definiat, partiatur, propositiones perpendat, ratiocinii rectitudinem, aut vitium dignoscat.

Tunc dialectica finem hunc assecuta est, quum præcepta ab ipsa tradita operationes in intellectu pepererunt, quæ omni sibi debita rectitudine præditæ sint: sive hæ operationes veritati inquirendæ inserviant, sive fortuito rerum abusu a veritate abducant.

II. *Verus dialectici finis*, qui ejus finis proximus, & proprius esse debet, est veritatem assequi ope rectitudinis, quam cuique sui intellectus operationi dialectica impertitur.

Tunc dialecticus finem suum assequutus est, quum quæsitam veritatem detexit, aut demonstravit; media vero, quibus hunc finem attigit, sunt sui intellectus operationes a dialectica directæ, atque perfectæ.

ARTIFICIALIS DIALECTICÆ DIGNITAS.

582. OBSERVATIO. Artificialis dialectica diversis temporibus, variisque locis & *fervidos admiratores* habuit, qui eam tamquam inventum humano intellectui prorsus necessarium, sine quo ipse recte ratiocinari non posset, suspexerunt, & *imbecilles*, *furentesque detractores* passa est, qui illam, ut incommodam, molestamque futilitatem traduxerunt, aptam potius intellectum pervertere, quam illustrare, atque instituere. Si primos audias, non nisi post Aristotelem, & Aristotelis præceptis recte ratiocinamur; si postremos, non nisi ab Aristotele, ejusque præceptis recedendo recta ratiocinia fiunt. Utrinque excessus, atque stultitia.

I. *Dialectica artificialis præcepta* non omnino necessaria sunt ut recte ratiocinemur; sola enim naturali dialectica humanus intellectus optime olim

olim in Pythagora, in Socrate, in Platone, in Aristotele, in plurimis aliis præclaris hominibus ratiocinatus est, ante omnia dialecticæ præcepta; quin per hos quoque dies sola naturali dialectica in plurimis horum præceptorum prorsus ignaris adhuc intellectus optime ratiocinatur.

At absurdum, atque insanum est contendere, artificialis dialecticæ præcepta ad recte ratiocinandum humano intellectui inutilia, & noxia esse; patet enim, quod dirigit, quod illustrat, quod exercet, quod naturalem ratiocinandi facultatem perficit, nunquam ut inutile, aut noxium haberi posse, nisi ab insanis, ac depravatis iis mentibus, quæ plane perperam ratione utuntur.

Dialecticæ præcepta id ratiocinandi facultati sunt, quod canendi facultati sunt præcepta musicæ, quod dicendi facultati præcepta eloquentiæ, quod pingendi, aut ædificandi facultati, picturæ, & architecturæ præcepta. Non illa quidem his artibus omnino necessaria sunt, at certissime utilia sunt: non illa ingenium creant, at ipsum dirigunt, exercent, excolunt, illustrant, atque perficiunt.

II. Recentiores nonnulli nostræ juventutis institutores sophisticis quibusdam Lockii effatis decepti nimium dialecticam parvi pendere videntur, cujus vix ullam in philosophia auditoribus suis notionem tradunt. Quid inde? quum adolescentes hi a philosophicis scholis ad Theologiæ, aut jurisprudentiæ subsellia accedunt, parum in disputando, ac ratiocinando peritos se produnt. Eorum philosophia gravi illi censuræ obnoxia est, quam Romanus Orator optimus sane in re hac, expertusque judex Epicuri philosophiæ apponebat; eam scilicet nulla principia, aut præcepta tradere, quibus apte definitiones, aut partitiones, aut ratiocinia instituerentur, aut alia ab aliis deducerentur; ipsamque cæcutientem veluti nimium sensuum ju-

judicio, parum nimis intellectus judicio tribuere.

„ Jam vero in altera philosophiæ parte, quę
„ est quærendi, ac disserendi, quæ λογικὴ di-
„ citur, iste vester plane, ut mihi quidem vi-
„ detur, inermis, ac nudus est. Tollit defini-
„ tiones: nihil de dividendo, ac partiendo do-
„ cet: non quomodo efficiatur, concludaturque
„ ratio, tradit: non qua via captiosa solvantur,
„ ambigua distinguantur ostendit. Judicia rerum
„ in sensibus ponit: quibus si semel aliquid fal-
„ si pro vero probatum sit, sublatum omne ju-
„ dicium veri, & falsi putat. " *Cicero libro I. de Finibus.*

DIALECTICÆ PROCESSUS, ET OBJECTUM.

583. OBSERVATIO I. Dialectica in variis, quæ tradit, præceptis ad intellectus operationes dirigendas a simpliciori ad magis compositum, a faciliori ad difficilius, quoad fieri potest, progredi debet. Hanc toto hoc tractatu viam ipsa sequetur.

I. In cognitionibus minima, quam intellectus habere possit, *perceptio* est; hæc vero semper necessario aut idea est, aut sensatio, aut mentis sensus.

Perceptio ea est, quæ *prima* humani intellectus *operatio* dicitur: hæc neque judicium, neque ratiocinium supponit.

II. Binæ perceptiones invicem comparari, & altera de altera affirmari, aut negari possunt. Tunc vero intellectus *judicium* efficit, quod semper necessario assertio est, aut propositio sive interna, sive externa. (178 & 577)

Judicium ut animæ actus consideratum id est, quod *altera* humani intellectus *operatio* nuncupatur: hoc perceptionem, non ratiocinium supponit.

III. A duobus judiciis simul collatis tertium ju-

judicium enasci potest; tunc vero intellectus *ratiocinium* efficit, quod semper est trium judiciorum collectio, quorum si prima duo vera, & certa sint, tertium quod consequitur, concludens est, & demonstrationem efficit.

Ratiocinium, seu syllogismus id est, quod *tertia* humani intellectus *operatio* dicitur: hoc vero & perceptionem, & judicium necessario supponit.

IV. In plurium de eadem re, seu de eorundem objectorum genere judiciorum cumulo sæpe intellectus unius judicii ad alterum ordinem, ac relationem detegit. Quum vero intellectus diversa hæc judicia apte coordinat, atque disponit a simplicioribus ad magis complexa, a magis perspicuis ad magis abstrusa gressum faciens, tunc id efficit, quod *operis methodus* nuncupatur. Neque vero methodus aliud est, nisi ars ignotæ veritatis inquirendæ, aut jam notæ statuendæ.

584. OBSERVATIO II. Dialecticæ itaque *objectum materiale* sunt tres humani intellectus operationes, perceptio nempe, judicium, & ratiocinium; *objectum* vero *formale* rectitudo tribus hisce intellectus operationibus tribuenda.

Hæc rectitudo tandem ad ratiocinium semper refertur; hoc enim præcipuum, ac propterea dialecticæ *attributionis objectum* est. (247 & 253).

I. *Rectitudo perceptionibus tribuenda* in apta extensione, & contractione præsertim sita est. Perceptio nimis generica rem nimis confundit; nimis arcta rem non totam amplectitur. Dialecticæ præcepta docent eas perceptiones seligere, quæ æquum inter duo hæc extrema medium teneant, neque in alterutrum ex his vitiis delabantur.

II. *Rectitudo propositionibus tribuenda* in eo præcipue sita est, quod eas aptas efficit, ut in alias propositiones convertantur, quæ ut veræ

admittuntur, aut ut alias propositiones oppugnent, quæ falsæ dignoscuntur. Hinc dialecticæ præcepta de propositionum natura, oppositione, æquipollentia, conversione.

III. *Rectitudo ratiocinio tribuenda* præcipue in propositionibus, earumque terminis coordinandis sita est; ita ut a duabus propositionibus, quas admittere cogeris, tertia statuenda consequatur. Hoc re ipsa dialecticæ, seu logicæ objectum, hic finis est.

A pluribus jam sæculis in universis Europæ nationibus quotannis logicæ institutiones traduntur, aut typis eduntur: attamen logicam, quæ omni ex parte arrideat adhuc desideramus. *Logica* itaque *vere probanda* difficile opus est.

585. Post tot logicas institutiones aut scriptas, aut typis editas, quibus omnia scatent, novas ne nos in lucem proferre adhuc audebimus? Quare non? Logica enim ceteris melior, quæ *Portus Regii* inscribitur, nimis vaga, nimis exilis, resque tenus tantum attingens, nimis a philosophiæ institutionibus semota, nec intellectum satis tenere, nec satis erudire potest.

Quid igitur mali continget, si adhuc novam logicam nova methodo, novaque forma scribere tentemus, in qua ceterarum omnium notiones collectæ essent, & vitia omnia præcedentium evitarentur; quæ clara, atque concisa mentem illustraret, atque perficeret, quin tædio, atque molestia afficeret; quæ methodo, atque ordine simplex, & præfulgida, & præceptoribus in ratiocinii theoria utilem analysim, & aptam auditoribus doctrinam præberet?

Se-

SECTIO PRIMA.

DIALECTICÆ PRÆCEPTA DE PERCEPTIONIBUS.

586. OBSERVATIO. Varia, quæ de perceptionibus Dialectica præcepta tradit, unice rerum definitionem, & divisionem respiciunt. Itaque de *definitione*, ac *divisione* tota hac prima sectione tantum agemus.

Perceptio, ut jam monuimus, semper aut idea, aut sensatio, aut animæ sensus est. Hic vero animadvertas velim; *perceptionem ad dialectica pracepta non pertinere, nisi quatenus est aut rerum idea, aut eam rerum idea comitatur*; ut passim contingit. Perceptio enim ut sensatio, aut animæ sensus scientiæ præceptis dirigi nequit, neque magis, minusve extendi, aut coarctari, neque eam rectitudinem, quam dialectica postulat, admittere potest. (584).

PARAGRAPHUS PRIMUS.

DEFINITIO.

587. OBSERVATIO. Rei alicujus definitio est aut idea, aut idearum series rei definiendæ naturam exprimens, atque declarans, eamque aptius referens, ac cognoscendam præbens; seu, si mavis, rei cujusvis definitio *est rei hujus expressio, & evolutio*, qua res aptius cognosci, ac distingui possit, quam per ideam eam tantum sæpius nimis vagam, atque confusam, quæ ab ejus simplici denominatione in nobis enascitur.

Pa-

Patet itaque, in quavis vera definitione requiri:

I. *Ideam definientem, seu idearum definientium seriem majorem de re definienda claritatem menti exhibere, quam idea praebeat, quam rei definiendae primum habemus*. Ceterum definitio, cujus munus est rei definiendae naturam magis notam, atque expressam reddere, finem suum non attingeret, & illusoria esset, aut absurda.

II. *Ideam definientem, sive idearum definientium seriem nihil inutile, aut redundans continere*. Definitionis enim natura est, ut omnem, quae haberi possit, rei definiendae lucem, & claritatem affundat; quidquid vero in definitione inutile est, aut redundans, huic claritati tantum officere potest, quum animum alio distrahat, neque omnino rei definiendae tantum insistere sinat.

Ex hac *definitionis rerum* generica explicatione quatuor haec, quae sequentur, dialecticae praecepta plane fluunt, quaeque nos breviter exponere, ac statuere pergimus.

DEFINITIONIS PRAECEPTA.

588. Praeceptum I. *Definitio omni, & uni rei definiendae convenire debet.*

DEMONSTRATIO. Quoniam definitio, juxta de illa tradita, ad rei definiendae naturam exprimendam, atque explicandam instituta est; & quoniam natura isthaec omnis, & unius rei definiendae propria est; patet, definitionem, quae ipsa naturae hujus expressio est, & omni rei, & uni rei, in qua isthaec natura sit, convenire debere.

I. Si definitio aut rem, aut proprietatem contineat huic naturae extraneam, patet, ab ea *rem deformari ipsam componendo, aut illi, quod non habet, tribuendo*. Excessu igitur peccat.

Antiquus philosophus, celebris Plato, sane lu-

ludens, hominem definierat: *animal bipes, & implume*. Gallus pennis avulsis in mediam ejus scholam per derisum projectus eum monuit, datam definitionem *excessu peccare*, nec unice rei definiendæ convenire.

II. Si quam rem, aut proprietatem omittat definitio huic naturæ *essentialem*, ipsa, ut patet, *eam deformat mutilando*, sive partem constituentem adimendo; tunc defectu peccat.

Exempli causa, si quis triangulum definiret: *figuram tribus angulis, & tribus inæqualibus lateribus constantem*; patet, ab hac definitione non omnem rem definiendam exprimi, eamque *defectu peccaturam*; neque enim aut triangulo æquilatero, aut isosceli conveniret, quæ necessario rei definiendæ partes sunt.

Utrobique definitio aut excessu, aut defectu peccans, non rem magis illustraret, distingueret, & dignoscendam præberet, imo fallacem, ac falsam ejus notionem proponeret; quod ejus muneri, & naturæ aperte adversatur. Q. E. D.

589. PRÆCEPTUM II. *Definitio cum re definienda converti posse debet*. Hoc est, ideæ definientis objectum, & objectum definiendum hujusmodi esse debere, ut alterum de altero reciproce affirmari possit; sive ut in assertione definitionem continente subjectum in attributum mutari possit, & vice versa.

DEMONSTRATIO. Juxta tradita *de rerum definitione*, definitionis objectum, & res definienda una, eademque natura sunt, quæ duobus diversis ideis repræsentatur; quarum una clarior est, atque magis explicata, altera obscura magis, atque involuta. Patet ergo, si recta definitio sit, primæ ideæ objectum de alterius ob ecto affirmari posse debere, & vice versa; quum duo hæc objecta re ipsa unica natura sint, & objectum unicum.

Exempli causa, si *ens increatum, & creans* est omnium perfectionum cumulus, patet, om-

nium

nium perfectionum cumulum esse ens increatum, & creans. Pari modo si quadratum figura est, cujus quatuor anguli, & quatuor latera æqualia sunt, patet, figuram, cujus quatuor anguli, & quatuor latera æqualia sunt, esse quadratum. Ita tandem, si homo est animal rationis particeps, patet, animal rationis particeps esse hominem; atque ita de ceteris.

In his, & quibuscumque definitionibus, si rectæ sint, subjectum fieri potest attributum, & attribuitum subjectum: atque hic est ipsissimus hujus præcepti sensus. Q. E. D.

590. PRÆCEPTUM III. *Definitio & communes, & proprias rei definiendæ proprietates enunciare debet.*

DEMONSTRATIO. Certum est, *rerum definiendarum naturam* intrinsece constitui & proprietatibus, quæ diversis speciebus communes sunt, & iis, quæ ipsarum exclusive propriæ suæ tantum speciei conveniunt. Quare quum definitio integram earum naturam enunciare debeat, tum communes, tum peculiares has proprietates enunciet necesse est, quarum collectio ipsarum naturam efficit. Ceterum definitio non *rei definiendæ*, sed ejus partis tantum definitio esset; aut illius, nempe, quod cum aliis speciebus commune habet, aut illius, quod ipsam ab aliis speciebus secernit.

Hinc in rerum definitionibus *genus*, & *differentia*, sive ideæ genericæ, quæ communes rerum proprietates exprimunt; & ideæ differentiales, quæ specificas, & peculiares exprimunt. (38, & 190).

Binæ hæ proprietatum species simul sumptæ *rerum naturam* constituunt. Quare definitio, quæ hujus rerum naturæ expressio esse debet, necessario binas has proprietatum species debet continere. Q. E. D.

591. PRÆCEPTUM IV. *Definitio rem definiendam attributis positivis exprimere debet;*

nec

nec negativa proferre, nisi quatenus ad eam distinguendam, & clarius cognoscendam sunt necessaria.

DEMONSTRATIO. Facile est quod postremum hoc de positivis, & negativis attributis præceptum in rerum definitione postulat, demonstrare.

I. Definitionis munus est rem definiendam cognitioni subijcere; necessario igitur *positiva ejus attributa*, ac veras proprietates exprimere, & exhibere debet; ceterum nec finem suum assequitur, nec munus implet.

Etenim rei definiendæ *negativa attributa* exhibere est dicere, quod non est, non quod est, neque hoc est ejus naturam exprimere. Exempli gratia, si dicas, hominem non esse purum spiritum, neque fossile, neque cete, neque elephantem, non hominem propterea noscere facies. Ita si dicas, diagonalem parallelogrammi non esse neque latus superius, neque inferius, neque dexterum, neque sinistrum, non propterea quid diagonalis sit explicabis.

Passim a mediocribus quibusdam oratoribus sive in foro, sive in accademiis, sive in suggestu peccatur nimia *negativarum definitionum*, quæ nullo labore conficiuntur, exuberantia. His repletur pagina, tempus teritur; & ab iis laus obtinetur, qui neque ingenio valde pollent, neque de eleganti dicendi ratione recte sentiunt.

II. Quum rei definiendæ natura & quædam habet attributa positiva, quibus constituitur, & quædam negativa, quæ eam limitant, atque ita a ceteris distinguunt; tunc definitio utramque attributorum speciem exprimere debet; hac enim ratione tantum res definienda apte dignosci potest.

Sit, exempli causa: hæc definitio: *brutum est animal irrationale*. Ajo, definitionem hanc & attributum positivum exprimentem, quod bru,

brutum constituit, nempe animal, seu principium sensitivum, & *qualitatem* hanc *negativam*, quæ hoc attributum *animal* in bruto limitat, atque distinguit, nempe rationis defectum, nihil, quod non opus sit, continere; neque enim *bruti natura* apte explicari potest, nisi hunc rationis defectum exprimendo; hoc ipso enim ab homine, seu ab animali rationis participe natura differt. Q. E. D.

DEFINITIONIS, ET DESCRIPTIONIS OBJECTA.

592. OBSERVATIO I. *Definitionem rerum* per genus, & differentiam de omnibus cognitionum nostrarum objectis haberi posse, & debere fortasse putares. At cito nosces, innumera in natura esse, de quibus haberi nequit, aut in quibus nullius esset utilitatis.

I. Rerum definitio semper haberi potest, plerumque etiam facile habetur in *mathematicis*, nempe in geometriæ, & algebræ objectis: neque enim in his quidpiam est, nisi quod in ipsis mens concipit, ac propterea optime percipit. (60).

II. Ipsa quoque fere semper, & facile haberi potest in *metaphysicis*, nempe in dialecticæ, & moralis objectis, in aliqua theoriæ Dei, & animæ parte, in quibusdam de materia, & corpore abstractis meditationibus; etsi hæc objecta in statu physico proprietates habeant, & attributa, quæ mens aut nullo modo, aut imperfecte admodum novit; tunc enim mens nostra præcisivis ideis ista considerans, ea omnia metaphysica abstractione ab iis abijcit, quæ in statu physico non apte dignoscit. (35, & 318).

In his cognitionis nostræ tunc objectum est tantum rei pars abstracta; hæc vero ita sumpta cognitionis omnino certæ, ut in mathe-

ma-

maticis, objectum esse potest, ac propterea esse accuratæ definitionis objectum.

Exempli causa, etsi fortasse non satis bene in se noscam Ens æternum, a quo natura visibilis condita servatur, atque movetur, illud tamen ut *Principium infinite intelligens, & infinite activum* concipere possum; atque hac idea abstracta, quæ non totum, quod ipsum est, mihi exhibet, quæ tamen nihil exhibet, quod in illo re ipsa, & necessario non sit, definitiones statuere possum, ratiocinia facere, consequentia deducere, quæ nihil dubium, aut incertum habeant.

Pari modo, etsi fortasse non satis noverim quid in homine justitia sit, illam tamen concipere possum, ut *dispositionem jus suum cuique tribuendi*; atque hac idea abstracta, quæ non id omne mihi indicat, quod justitia physice sit, quæ tamen nihil indicat, quod justitiæ non sit necessario proprium in statu physico, definitiones statuere possum, & ratiocinia facere, quæ nulla incertitudine laborent.

III. Rerum definitio sæpius in *physicis* aut haberi nequit, aut inutilis est; nempe in naturalibus sensus nostros afficientibus cujusmodi sunt aer, ignis, terra, aqua, plerasque animalium, vegetabilium, fossilium species; sæpius enim in his ut in se sunt, & extra præcisivas ideas consideratis genericas, & differentiales proprietates arripere nequaquam possumus; quin si hæc per genus, & differentiam definire velimus, non sane ea aptius cognoscenda præberemus, imo ea majoribus tenebris involveremus.

Ut hæc apte explicentur, alia definitionis specie utendum est, descriptione scilicet, de qua sequenti observatione sermo erit.

593. NOTA. Est quoque *Definitio nominis*, quæ sæpius est in philosophicis, & mathematicis maxime necessaria. Hæc habetur, quum ac-

accurate exponimus quas ideas objectivas quibusdam vocibus applicamus, quarum significatio non satis nota, aut statuta est. Definitio nominis aliquando definitioni rerum adnexa est, aliquando ab illa sejuncta. Exempli causa.

I. Anglus, qui Latine scit, non Gallice, a me quærit quid intelligam hac voce *Dieu*; respondeo, me id unice intelligere, quod ipse his aliis *God*, aut *Deus*: in his illi nominis tantum definitionem do.

II. Alter geometriæ ignarus a me postulat quid sit *rectangulum*. Repono, hac voce intelligi figuram planam quatuor rectis lineis terminatam, quæ ejus latera sunt, quæque illi quatuor angulos rectos efficiunt, & cujus opposita latera sunt æqualia. Hic rei simul, & nominis definitionem trado.

594. OBSERVATIO II. *Rei descriptio* est idearum, & judiciorum series rem clare explicans, accurate, ac dilucide exponens, & peculiares causas, a quibus est, & principia physica, quibus constituitur, & proprietates accidentales, quibus a ceteris distinguitur, & varios effectus, ad quos producendos est instituta. Definitio magis geometricis, & metaphysicis inservit, descriptio plerisque tantum physicis objectis inservire potest.

I. *Rerum definitio* per genus, & differentiam semper necessario simplex, & concisa est. Animæ parti illi, quæ concipit, ista loquitur, imaginanti, aut sentienti silet.

II. *Rerum descriptio* magna ubertate, ac vi pollere potest. Hæc menti, & phantasiæ, imo aliquatenus & sensibus loquitur. Testantur hoc præclare tauri, equi, aliorumque descriptiones, quas nobis Virgilius, & Buffonius protulerunt; hoc quoque testantur sublimes, vividæque entium tum moralium, tum allegoricorum descriptiones, cujusmodi sunt fama, invidia, cavillatio, hypocrisis, calumnia, veritas, qui-

bus magnus Rousseaus summa nos afficit voluptate.

III. *Descriptio* ut accurata sit, ut munus suum impleat, ut finem attingat, iis præceptis, quæ de definitione tradidimus, subijci debet.

§. II.

DIVISIO.

595. REI *divisio* metaphysico, ac dialectico stylo est intellectus operatio, quæ unam, eamdemque rem concipit tamquam in suas partes physicas, aut metaphysicas divisam, ac resolutam. Seu brevius: est totius per ideas partitio in partes suas physicas, aut metaphysicas, quæ ejus *membra* nuncupantur.

Divisio rerum cognitionem juvat, omnes humanæ mentis vires ad quamvis totius cognoscendi partem solitariam dirigendo. Ejus objectum est Totum physicum, metaphysicum, logicum, quorum prodromam nationem alibi tradidimus. (87, & 91.)

I. Divisio *Totum physicum* partitur quum per ideas hoc Totum dissolvit aut in partes suas essentiales, aut integrantes, aut in constituentes, aut in accidentales, aut in morales; cetera. Exempli causa.

Si hominem dividas in substantiam organicam, & in substantiam sensibilem, & intelligentem, Totum naturale per ideas in constitutiva sua essentialia partieris.

Si corpus animale, ut humanum, in sua præcipua membra, ac viscera, & nobiliores partes dividas; puta in caput, in pectus, in stomachum, in intestina, in brachia, in crura, cetera; Totum naturale in partes suas integrantes per ideas partieris.

Sal

Sal quodvis in alkali, & acidum divides; Totum naturale in partes suas integrantes distribues.

Si alicujus assem in bona patritia, in plebeja, in census, aliaque dividas; Totum factitium in sua constitutiva specie, & natura diversa partieris. (88).

Si Cæsarem in militem, in historicum, in politicum dividas, aut Neutonum in geometram, & naturæ studiosum; Totum naturale in partes suas morales, & accidentales per ideas distribues.

II. Tunc *divisio Totum metaphysicum* partitur, quum per ideas hoc Totum in genus, & differentiam distribuit; seu quum illud successive percipit & per proprietates communes, quibus cum aliis totis confunditur, & per proprietates differentiales illud ab alia quavis totius specie distinguentibus. (89).

Exempli gratia, si metaphysice homine in divides in animal, & rationis particeps, sive in subjectum sensationum, & in subjectum ratiocinii; illum per ideas partieris in partes suas metaphysicas, quarum una ipsum cum brutis confudit, altera ab his distinguit.

III. Tunc divisio *Totum logicum* partitur, quum genus in species suas distribuit, seu speciem superiorem in inferiores; seu speciem infimam in sua individua. (192, & 197).

Totum logicum ideæ abstractæ objectum est, quod in hoc abstractionis statu de pluribus aut speciebus, aut individuis affirmari potest. Exempli gratia, harum idearum objecta, *ens*, *substantia*, *materia*, *animal*, *brutum*, *homo*, *Leo*, aliaque hujusmodi, totidem sunt Tota logica.

Quare si dividas ens in substantiam, & modificationem; substantiam in materialem, & immaterialem; animal in rationale, & irrationale; hominem in plura individua: Tota logica in suas partes, seu membra divides.

Ab

Ab hac generica *rerum divisionis* notione bina præcepta consequuntur, quæ de hac re tradit dialectica. Hæc breviter statuere, atque explicare pergimus.

DIVISIONIS PRÆCEPTA.

596. PRÆCEPTUM I. *Omnia divisionis membra simul sumpta Totum dividendum prorsus æquare debent.*

DEMONSTRATIO. Diversa divisionis membra sunt partes diversæ, quas Toti tribuimus, & in quas divisum concipitur. Atqui, quum Totum ab omnibus suis partibus simul sumptis non distinguatur, neque se ipso majus aut minus esse possit; patet, omnia divisionis membra, quæ simul sumpta Totum sunt, ipsum totum prorsus æquare debere, nec quidquam ipso toto plus, aut minus continere.

I. Ut omnia divisionis membra simul sumpta Totum excedere possent, Totum se ipso majus esse oporteret; quod ἀδύνατον, & absurdum evidenter est.

Divisio, cujus membra simul sumpta Totum excederent, inepta, & vitiosa esset, quæ nec toti congrueret, nec aptam ejus cognitionem præberet; in toto enim, & ad totum spectans aliquid exhiberet, quod nec in toto est, nec ad illud spectat.

II. Ut omnia divisionis membra simul sumpta aliquid toto minus esse possent, aut illud prorsus non æquare; totum se ipso minus esse deberet; quod æque ἀδύνατον, & absurdum est.

Divisio, cujus membra simul sumpta Totum prorsus non continerent, æque inepta, & vitiosa esset, nec ipsa toti congrueret, nec aptam ejus cognitionem præberet; totum enim mutilaret, aliquid omittens, quod ejus pars est, quod illud constituit, quod necessario cogno-

gnoscendum est, ut totum, ut in se est, cognoscatur. Q. E. D.

597. NOTA. Hinc sequitur, rerum divisionem contra hoc præceptum duplici modo peccare posse, excessu, & defectu. Exempli gratia:

I. Contra hoc præceptum peccaretur *defectu*, si Romanos cives, ut erant Syllæ, & Pompeii temporibus in Senatores, & plebejos partiremur; in ea republica enim præter hos duos, tertius erat equestris ordo, medius inter patritium, & plebejum.

Pari modo contra hoc præceptum defectu peccaretur *Ens* dividendo in substantiam materialem, spiritualem, & mediam; neque enim hæc divisio *modificationem* complecteretur, quæ totius dividendi necessario pars est.

II. Contra vero in hoc præceptum *excessu* peccaretur, si Galliæ regnum in provincias transalpinas, & cisalpinas partiremur; primum enim divisionis membrum nihil habet cum Toto dividendo.

Pari modo contra hoc præceptum peccaretur, excessu scilicet, si *Christianam Ecclesiam* in triumphantem in cælis, & patientem in purgatorio, in militantem in terris, in reprobam in inferis partiremur. Quartum enim hoc membrum ad totum factitium, de quo sermo, ad Christianam nempe Ecclesiam, nequaquam pertinet.

598. PRÆCEPTUM II. *Divisionis membra aliquo pacto invicem positive opposita esse debent, nec unum altero contineri.*

DEMONSTRATIO. Ut divisio per ideas suum munus impleat, hoc est, aptius dignoscendum præbeat totum quodvis, quod in suas diversas partes distribuit:

I. Patet, aliquam inter divisionis membra *oppositionem seu veram, sive apparentem* intercede-

cedere debere, qua invicem distinguantur, & veluti inter se confligant; ceterum nulla esset ratio ita dividendi.

Exempli gratia, humanam speciem partiri possum in albam, & nigram; siquidem in humana specie vera datur coloris oppositio huic distinctioni locum præbens. Pari modo Christianos & catholicos, hæreticos, & schismaticos partiri possum; inter varias gentes enim, quæ Christianæ dicuntur, vera habetur credendi oppositio, quæ rationem præbet, cur in diversas species eodem genere contentas tribuantur.

II. Patet, quum fieri potest, veram hanc, sive apparentem oppositionem membrorum divisionis esse debere *positivam*, quæ *contrarias* potius, quam *contradictorias proprietates* exhibeat; ceterum membrum, quod contradictorie tantum alteri membro exhiberetur, satis in se non cognosceretur.

Exempli causa, si Germaniæ populos in catholicos, & acatholicos contradictorie divido, alterum divisionis membrum ideam mihi omnino in objecto suo confusam exhibebit; contra vero si populos hos in catholicos, in Lutheranos, & in Calvinianos partior, atque ita porro, quodlibet divisionis membrum tota sibi debita claritate elucescet.

III. Oportet tandem, ut patet, opposita divisionis membra *alterum in altero non contineri*; unum scilicet alterius partem non esse, neque unum de altero affirmari posse; ceterum hæc non amplius diversæ totius partes, sed *una, atque unica* hujus totius *pars*, essent.

Claritas, ac perspicuitas, quam rebus afferre divisione contendimus, profecto postulant, ne inutili idearum cumulo mentem fatigemus, quæ tandem in eandem ideam recidant, & idem re ipsa objectum exhibeant. Quælibet itaque divisio *ideis sese invicem continentibus* ita

ita redundans vitiosa est, apta magis omnia tenebris obruere, quam claritatem, nitoremque impertiri.

Exempli gratia, si *corpora* in opaca, lucida, & terrestria partirer, divisio hæc manifeste vitiosa esset; tertium enim membrum in priorum aliquo continetur; sive propterea quia tertium membrum terrestria corpora exhibet quasi classem efficerent ab opacorum, & lucidorum corporum classibus diversam; neque enim terrestria corpora, quæ aut lucida, aut opaca sunt, classem a lucidis, & opacis diversam constituunt. Q. E. D.

599. NOTA I. Non abs re erit tirones in dialectica monere, vitium *in rerum divisione per ideas* frequentissimum illud esse, quod ab hac postrema præcepti parte proscribitur; atque hoc ut caveatur, magno mentis acumine magnaque sagacitate opus esse. In divisionibus, quæ politicam, religionem, affectus animi, jurisprudentiam, medicinam, tria regna, animale, vegetabile, & fossile respiciunt, admodum frequens est. At ejus sedes, ac domicilium est eloquentia sacra. Unicum exemplum afferemus, quo plura alia deprehendentur, fortasse etiam vitabuntur.

Nobis audivisse contigit magnis laudibus efferri verbosum, incommodumque oratorem, qui languido sermone de mysterio lacrimis prosequendo cruciatuum, & mortis Christi, hunc Deum hominem partiebatur in victimam amoris erga nos sui in horto getsemani, in victimam pravorum affectuum hominum in urbe Hierusalem, & in victimam divinæ justitiæ in monte calvariæ.

Vitiosa sane partitio. Principiis enim fidei constat, Salvatorem mundi re ipsa ubique, & individuo victimam fuisse tum amoris erga nos sui, tum pravorum hominum affectuum, tum divinæ justitiæ; & hoc tum in horto, tum in

in urbe, tum in monte; quare omnia divisionis hujus membra inepte sese invicem continent.

600. NOTA II. *Rerum divisio per ideas*, cujus hactenus præcepta tradidimus, ea est, quæ fere omnibus lucubrationibus ingenio, ac doctrina partis lucem, ac nitorem afferre debet, atque illis ordinem, methodum, ac claritatem impertiri.

Poeta epicus in plures libros, seu cantus poema suum partitur: tragicus, & comicus in plures actus, & scenas. Orator tum sacer, tum prophanus in plura, ut ajunt, puncta orationem partiuntur. Idearum, & rerum divisio efficit, ut hæ aptius percipiantur, & facilius memoria teneantur.

At vero si in ingenii lucubrationibus non uti divisione aliquando vitium est; nimias divisiones facere nihilo levius vitium est.

Si duo auctores, alter altero ex his vitiis notentur, alter quidem non satis mentem mihi illustrat, ac dirigit; alter nimium distrahit, atque obruit nimiam mihi proferens rerum copiam arripiendam, & mente retinendam; quo ferme fit, ut nulla probe arripere, ac tenere possim.

SECTIO ALTERA.

DIALECTICÆ PRÆCEPTA DE PROPOSITIONIBUS.

Altera hac sectione de propositionum natura, oppositione, conversione, æquipollentia, & divisione successive agemus. Hoc nos quinque sequentibus paragraphis præstabimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

PROPOSITIONUM NATURA.

601. DEFINITIO. P*ropositio*, ut alibi notavimus, esse debet expressio judicii mentis (577).

I. Propositio quævis *terminos duos* necessario continet, quorum unus de altero affirmatur, aut negatur, quique simul aut verbo substantivo, aut alio verbo ejus vices gerente connectuntur.

II. Ex duobus hisce propositionis terminis is, de quo quid affirmatur, aut negatur, *subjectum* dicitur; alterum, quod affirmatur, aut negatur, dicitur *attributum* (*a*).

Exempli causa; in his propositionibus: *Aristus est prudens*; *Aristus non est prudens*; *Aristus* subjectum est, *prudens* attributum. Verbum substantivum *est* attributum subjecto affirmative, aut negative conjungit enuncians, attributum subjecto convenire, aut non convenire.

III. Binæ hæ propositiones: *Aristus canet*; *Aristus non canet*, binis hisce æquipollent: Aristus erit cantans; Aristus non erit cantans. In primis binis terminus *canet* & attributum con-

---

(a) *ETYMOLOGIA. Attributum propositionis; quod attribuitur subjecto; seu quod prædicatur de subjecto: attributum, prædicatum.*

Subjectum propositionis: quod jacet sub attributo; seu res, de qua affirmatur, aut negatur attributum. Quid entis attributum sit alibi diximus (221, & 224).

continet, & copulam, quæ attributum subjecto conjungit.

IV. Pronomina relativa (ego, tu, ille, illa, nos, vos, illi, illæ, qui, quæ, quod), quæ tam sæpius in propositionibus ponuntur, & nominum antea memoratorum loco sunt, subjecti munere funguntur. Itaque in his propositionibus (ego cano, tu rides, illi plorant, homines, qui laborant): termini relativi *ego*, *tu*, *illi*, *qui* suæ quisque propositionis subjectum sunt; & termini hi, *cantans*, *ridens*, *plorantes*, *laborantes*, sunt ejus attributum.

602. NOTA I. Animadverte, binas has propositiones (omnis homo est mortalis; aliquis homo, aut hic homo est mortalis) idem subjectum, idemque attributum re ipsa habere.

I. Primo *idem subjectum* habent; utriusque enim subjectum æque est hæc *proprietatum collectio*, quam continet, atque exhibet idea hominis.

Hæc proprietatum collectio in pluribus objectis exhibetur in prima propositione, quam in altera. Ast altera unicum objectum exhibens indeterminatum, aut determinatum, nihil minus re ipsa totam hanc proprietatum collectionem exhibet (34).

II. Deinde *idem* habent *attributum*: utriusque enim attributum est tota hæc ipsa *collectio proprietatum*, quam idea *mortalis* exhibet.

Hæc proprietatum collectio omnibus humanæ speciei individuis attribuitur nemine excepto in prima propositione, uni tantum determinato, aut indeterminato in altera. At quidquid proprietatum generica propositio attribuit objecto suo, id totum pariter particularis, seu singularis propositio subjecto suo attribuit.

603. NOTA II. Animadverte pariter, quoniam attributum id semper est, quod de re affirmatur, aut negatur, nihil interest utrum

ipsum ante, an post rem, cui tribuitur, colloce-tur, quæ propterea est propositionis subjectum.

I. Exempli causa, in hac propositione (durum est honori amisso esse superstitem): primus hic terminus, *durum*, seu *res dura*, est attributum; atque hæc propositio simplicius huic æquivalet: *vita*, *honore amisso*, *molesta est*.

II. Pari modo in hac propositione (pulcrum est pro patria mori); primus terminus *pulcrum*, aut *pulcra sors*, est attributum; atque hic infinitum pro subjecto propositionis assumendo (quod cuique linguæ commune est), propositio hæc in hanc aliam mutabitur: *vitam dare pro patria pulcra sors est*.

PROPOSITIONES UNIVERSALES, PARTICULARES, SINGULARES.

604. OBSERVATIO. Propositiones *in ordine ad earum subjectum considerata* dividuntur in universales, particulares, & singulares.

I. Si propositionis subjectum terminus sit pluribus speciebus, aut pluribus ejusdem speciei individuis communis, & tota amplitudine, nullaque limitatione sumatur; *propositio* est *universalis*.

Hac posita definitione, universales erunt binæ hæ propositiones, quarum altera affirmativa est, altera negativa, & quæ ceterarum omnium exemplum erunt: *omnis homo est mortalis*; *nullum animal est planta*.

Hic incidenter nota, universalis propositionis subjectum non esse rerum collectionem, sed *individuum quodcumque* hujus collectionis. Exempli causa, duarum propositionum, quas modo attulimus, prima significat, non jam hominum collectionem esse subjectum mortale; sed quodvis hujus collectionis subjectum, nullo excepto, esse mortale. Altera significat, non jam animalium collectionem subjectum es-

se

se, cui plantæ qualitas non competat; sed in hac collectione nullum omnino individuum esse, cui plantæ qualitas competat.

II. Si propositionis subjectum terminus sit pluribus speciebus, aut pluribus ejusdem speciei individuis communis, sed qui ad indeterminatam suæ amplitudinis partem coarctetur hac voce, *aliquid*; propositio erit *particularis*.

Ex hac definitione inter particulares recensebis binas has propositiones, quæ reliquarum exemplum erunt: *aliqua substantia est materia*; *aliqui Galli non sunt futiles*.

III. Si propositionis subjectum neque pluribus speciebus, neque pluribus ejusdem speciei individuis terminus communis sit, sed uni tantum individuæ naturæ conveniens, puta Aristo, Sylviæ, Alexandro, Bucephalo, huic arbori, huic pisci, huic saxo, ceterisque hujusmodi, *propositio* est *singularis*.

Ex hac definitione facile colliges, tres has propositiones esse singulares: *Luna est corpus opacum. Hæc columna est marmor. Aristus, & Clitander sunt Galli.*

605. NOTA. In *propositione singulari*, ut in universali subjectum tota sua amplitudine accipitur. Quare *hac ratione propositio singularis universali congruit.*

Exempli gratia: quum dico: *Aristus est probus*, hujus propositionis subjectum sumo *tota sua amplitudine*, nulla posita limitatione; quasi dicerem: *quidquid Aristus est probum est*.

PROPOSITIONUM SIGNA ARTIFICIALIA.

606. OBSERVATIO. Ex tradita propositionum, earumque subjecti, attributi, & copulæ attributum subjecto affirmative, aut negative conjungentis notione, sequitur:

I. *Propositiones omnes affirmativas, aut negativas esse*; omne enim judicium binas ideas

aut conjungit, aut sejungit, aut affirmans, unius objectum esse alterius objectum, aut non esse alterius objectum.

II. *Propositiones omnes esse re ipsa aut universales, quarum subjectum tota amplitudine sumitur, aut particulares, quarum subjectum ad aliquam suæ amplitudinis partem indeterminatam limitatur*. Ut enim monuimus (605), propositio singularis in universalem recidit; & si propositionis particularis subjectum ad *determinatam* suæ amplitudinis *partem* limitaretur, hæc propositio non amplius particularis, sed singularis esset.

III. *Dialecticam quum de propositione universali tum affirmativa, tum negativa agit*, ac *de propositione particulari tum affirmativa, tum negativa; re ipsa de omnibus propositionibus agere, quæ haberi possint*. Quatuor enim hæ propositionum species, omnes, quæ haberi possint, propositiones complectuntur.

Dialectica signis artificialibus utitur, ut quatuor has propositionum species, aliam ab aliis, distinguat, non secus ac algebra in mathematicis magnitudinibus indicandis; quod sane nihil barbari in alterutram invehit.

Quare stylo dialectico litera A *propositionem universalem affirmativam* significat; E *propositionem universalem negativam*; I *particularem affirmativam*; O *particularem negativam*.

Quatuor hæ expressiones, sive significationes disticho hoc technico (*a*) oculo, menti, memoriæ proponuntur.

Affe-

(a) *ETYMOLOGIA*. *Technicus*, *artificialis* a τέχνη *artificium*; *hinc versus technici*. *Ideo conduntur*, *ut in memoriam revocent signis*, *quæ continent*, *ideas rerum*, *quas his signis alligamus*.

Afferit A, negat E: verum generaliter ambo.
Afferit I, negat O: fed particulariter ambo.

PRÆCEPTA, AUT AXIOMATA DE PROPOSITIONUM ATTRIBUTO, ET SUBJECTO.

607. PRÆCEPTUM I. *In propofitionibus affirmativis, attributum tota fua amplitudine, & extenfione non fumitur.*

EXPLICATIO. Primum hoc præceptum per fe patet; ejufque veritatem oftendere facile eft.

I. Ut hoc fiat, fatis eft nofcere quid intelligamus, quum attributum fubjecto propofitionis affirmativæ conjungimus (601, & 602).

Exempli caufa; quum dico, marmor, aut aliquod marmor, aut hoc marmor effe materiam, non jam affirmare volo, marmor effe omne id, quod eft materia; ita ut *materia attributum* nulli alii rei convenire poffit, nifi marmori, de quo fermo, & quod meæ propofitionis fubjectum eft. Tantum affirmo; marmor, de quo fermo, unam effe ex illis rebus, quibus materiæ proprietas, aut attributum convenit.

Pari modo, quum dico, omnem hominem, aut aliquem hominem; aut hunc hominem a Deo exiftere; non jam affirmare volo, hominem effe id omne, quod a Deo exiftit. Tantum affirmo, hominem unam effe ex iis rebus, quæ a Deo exiftunt.

Ita quoque, quum dico, Ariftum regem effe, non jam affirmo, Ariftum effe omnem regem, five omne fubjectum, cui *regis attributum* conveniat; affirmo tantum, Ariftum, aliquem, imo unum effe ex fubjectis, quæ regis dignitatem, aut attributum habent.

II. Ratio generica eorum, quæ hoc primum præceptum ftatuit, eft, quia *propofitio affirma-*

tiva id tantum affirmat, quod necessarium est, ut vera sit, aut ne falsa sit; ut vero propositio affirmativa vera sit, aut non falsa, satis est, si hujus propositionis subjectum una sit ex rebus, quibus attributum convenit.

608. PRÆCEPTUM II. *In propositionibus negativis attributum tota sua extensione, & amplitudine sumitur.*

EXPLICATIO. Hoc alterum præceptum quoque per se patet; & ejus veritatem ostendere facile est.

I. Ut hoc fiat, satis est animadvertere quid intelligamus quum dicimus rem hoc, vel illud attributum non habere.

Exempli gratia, quum dico, nullum spiritum esse materiam, sive aliquem spiritum, aut hunc spiritum non esse materiam, patet, me ab omni spiritu, ab aliquo spiritu, ab hoc spiritu *omnem quamcumque materiam* exclusam velle; seu me negare, materiam quamvis existere, quæ spiritus sit.

In his quidquid *materia attributum* habet, solida illa sit, aut liquida, aut fluida negatur de eo omni, quod spiritus attributum habet.

Pari modo, quum dico, Aristum non esse regem, patet, me negare velle, imo re ipsa negare, regem ullum esse, qui sit subjectum illud, de quo loquor.

II. Generica eorum, quæ hoc præcepto statuuntur, ratio est, quia *propositio negativa, negat universim quidquid eam falsam efficere potest, seu facere, ne vera sit*. Ut vero propositio negativa non sit falsa, seu vera sit, necesse est, subjectum nullam omnino ex iis rebus esse, quibus attributum convenit.

609. PRÆCEPTUM III. *Quod de universalis propositionis subjecto affirmatur, aut negatur, de omnibus speciebus, atque individuis affirmatur, aut negatur ab hujus propositionis subjecto generatim indicatis.*

EX-

EXPLICATIO. Hoc tertium præceptum quoque per se patet; ut vero ejus veritas pateat, satis est animadvertere, quid velimus quum propositionem aliquam positivam, aut negativam elicimus.

Quum dico, *omnem hominem esse mortalem*; patet me implicite dicere, & intelligere, aliquem hominem esse mortalem, hunc hominem esse mortalem; & assertio mea affirmativa, non modo universam generatim humanam speciem afficit, verum etiam quodvis sive determinatum, sive indeterminatum hujus speciei individuum.

Pari modo, quum dico, *nullum hominem esse sine curis*, patet, me implicite dicere, & intelligere, aliquem hominem, hunc hominem non esse sine curis; quare assertio mea negativa & universam humanam speciem, & quodvis hujus speciei individuum afficit.

I. In hoc præcepto nota, *universalis propositionis falsitatem non semper particularium, & singularium propositionum in ipsa contentarum falsitatem necessario trahere*. Fieri enim potest, ut propositionis universalis attributum subjecti parti affirmative, aut negative conveniat, non vero toti subjecto.

Exempli gratia; propositiones hæ: *omnis homo est Gallus; nullus homo est Gallus*, falsæ sunt. Attamen propositiones hæ particulares, & singulares: *aliquis homo est Gallus*; *aliquis homo non est Gallus*: *Rex Galliæ est Gallus*; *Rex Borussiæ non est Gallus*, veræ sunt.

II. Nota pariter, *propositionis universalis veritatem, propositionum particularium, & singularium in ipsa contentarum veritatem necessario trahere*. Neque enim propositionis universalis attributum toti propositionis subjecto affirmative, aut negative convenire potest, quin cuique indeterminatæ subjecti propositionis parti quoque conveniat.

Exempli causa, binæ hæ universales propositiones: *Omnis homo est mortalis*; *nullum quadrupes est volatile*, veræ sunt. At vero patet, eas veras esse non posse, nisi harum particularium, seu singularium propositionum, quas implicite continent, veritatem trahant: *aliquis homo, aut hic homo est mortalis*; *aliquod quadrupes, aut hoc quadrupes non est volatile*.

610. PRÆCEPTUM IV. *In propositionibus affirmativis affirmatur identitas inter subjectum, & attributum*; *in negativis hæc identitas negatur*.

EXPLICATIO. Quartum hoc quoque præceptum per se patet, cujus veritas vel ipsa præcepti significatione percepta elucescit. Exempli causa.

I. Quum dico, omnem hominem esse mortalem, sive aliquem hominem, aut hunc hominem esse mortalem sane percipis, in his propositionibus affirmativis, me affirmare, veram re ipsa naturæ identitatem esse inter *subjectum*, *quod est homo*, & *subjectum*, *quod est mortale*. Sive subjectum *homo*, & subjectum *mortale* esse unam, eamdemque rem, atque naturam, in qua & hominis, & mortalis qualitates continentur.

II. Pari modo quum dico, nullum hominem esse purum spiritum, aliquem hominem, sive hunc hominem non esse purum spiritum, sane percipis, ne in his propositionibus negativis negare, veram re ipsa naturæ identitatem esse inter *subjectum*, *quod est homo*, & *subjectum*, *quod est purus spiritus*; seu me negare, subjectum *homo*, & subjectum *purus spiritus* esse unum, & idem, unam, eamdemque naturam, in qua & hominis, & puri spiritus qualitates continentur.

III. Facile eadem adnotabis in quavis alia propositione, quæ proferatur; & in omnibus videbis, sive propositiones affirmativæ, sive negativæ sint, sive universales, sive particulares uni-

unice intendi affirmationem, aut negationem identitatis subjecti cum attributo; sive attributum non nisi per accidens conveniat, aut non conveniat, ut in his: *Aristus est prudens* : *Aristus non est prudens*; sive necessario, & natura attributum subjecto conveniat, aut non conveniat; ut in his: *nullus spiritus est materia : omne triangulum est figura tribus angulis, & tribus lateribus constans*.

611. NOTA. Ab hac *subjecti, & attributi identitate*, quam propositio semper affirmat, aut negat, non jam sequitur propositionem quamlibet esse identicam.

I. *Propositio identica* ea dicitur, cujus subjectum, & attributum sunt unum & idem iisdem terminis enunciatum, & sub eadem idea propositum. Facile intelliges, propositionem hujusmodi semper ineptam esse, & ridiculam.

Exempli causa tres hæ propositiones : *Deus est Deus : Creator mundi est creator mundi* : *spiritus est spiritus*, identicæ sunt, quas & dialectica, & recta ratio proscribunt.

II. Contra vero hæc propositio : *Deus est creator mundi*, non est identica, etsi propositionis hujus subjectum, & attributum sint unum, & idem, atque ut re ipsa unum, & idem enuncientur; hoc enim unum, & idem, in quo & Dei, & creatoris proprietates continetur *duabus diversis ideis* exhibetur, quarum una alteram explicat, & illustrat.

III. Generatim ideæ duæ, quarum objectum sit una, eademque natura, *non sunt identicæ*, quum hanc unam, eamdemque naturam diversis modis exhibent, quorum alter altero clarior sit: ceterum definitiones trianguli, quadrati, circuli, omnium geometricorum objectorum, essent totidem ideæ identicæ, unde totidem inepte indenticæ propositiones prodirent.

612. PRÆCEPTUM V. *In quavis propositione* at-

attributum passim affirmatur, aut negatur ut concretum, non ut abstractum.

EXPLICATIO. Hoc quoque præceptum nil minus reliquis patens est: atque ejus veritas vel percepta præcepti significatione elucescet. Exempli gratia:

I. Quum dico, Aristum esse prudentem, vides me affirmare, non Aristum esse *prudentiam abstracte sumptam*, sed Aristum esse *subjectum habens prudentiam*, sive Aristum, & subjectum prudentia donatum, esse unum, & idem.

II. Pari modo quum dico, omnem hominem, aut hunc hominem esse mortalem; percipis, me affirmare, non jam, omnem hominem, sive hunc hominem *esse qualitatem mortalis*; sed omnem hominem, aut hunc hominem *habere qualitatem mortalis*.

III. Ita tandem quum dico, Clitandrum non esse nobilem, percipis, me negare, non jam Clitandrum *esse qualitatem nobilis*, sed Clitandrum *esse subjectum habens qualitatem nobilis*; atque ita de reliquis.

PRÆCEPTA DE ABSTRACTO, ET CONCRETO.

Quid per *Abstractum*, & *Concretum* intelligi debeat generatim alibi tradidimus. Reliquum est, ut de his nonnulla hic clarius explicemus, quæ licet fortasse non admodum necessaria, non tamen negligenda, aut contemnenda sunt; hæc siquidem & quinto præcepto, & plurimis aliis gravibus dialecticæ, & metaphysicæ objectis lucem afferre possunt. (80, & 84).

613. PRÆCEPTUM I. *Genus de specie; genus, & species de individuo affirmari possunt.* Hoc est generatim, *terminos magis universales de minus universalibus* affirmari posse; seu ter-

terminos magis universales esse posse attributum propositionum affirmativarum, quarum subjectum est terminus minus genericus, magisque limitatus.

DEMONSTRATIO. Ut præcepti veritatem aptius ostendamus, hoc per ejus partes præstabimus.

I. Certum est primo, genus de specie affirmari posse; semper enim de re id, quod necessario est, nec non esse potest, affirmari potest. Atqui species nunquam potest non esse id, quod genus exprimit; terminus enim inferior, & magis limitatus, ut alibi explicavimus, quidquid proprietatum exprimit, & continet terminus superior, & latior, semper necessario continet. (194, & 225).

Quare ex hoc præcepto recte, & dialectice dicitur: *Leo est animal, substantia, ens*; Leo enim nequit esse Leo, quin sit substantia & ens.

II. Certum præterea, *genus, & speciem de individuis affirmari posse*; semper enim de re id affirmari potest, quod ipsa nunquam non esse potest, & individua semper necessario sunt id omne, quod genus, & species exprimunt. Exempli gratia, idea Aristi id omne exprimit quod exprimit idea hominis: hæc id omne, quod idea animalis; hæc, quod idea substantiæ; hæc, quod idea entis.

Quare ex hoc præcepto recte dicitur: *Aristus est homo; est substantia*; Aristus enim nequit esse Aristus, neque hic homo, quin homo sit, & substantia. Q. E. D.

614. PRÆCEPTUM II. *Species de genere; individuum de genere, aut de specie non est affirmandum.*

Hoc est generatim, *terminos magis limitatos de superioribus, magisque universalibus* non esse affirmandos; seu terminos magis limitatos nunquam debere fieri attributa in propositionibus

bus affirmativis, quarum subjectum sit terminus magis genericus, magisque extensus.

DEMONSTRATIO. Ut præcepti veritatem clarius ostendamus, hoc per partes, ut in præcedenti præstabimus.

I. Certum primo, *speciem de genere non esse affirmandam*; neque enim de re id affirmandum, quod ipsa non esse potest. At fieri evidenter potest, ne genus sit quod species exprimit; genus enim a speciebus suis abstrahit, seu illas non includit.

Quare ex hoc præcepto non recte, nec dialectice dicitur: *animal est leo, est cete, est accipiter*; fieri enim potest, ut ens aliquod sit animal quin leo sit, aut cete, aut accipiter.

II. Certum præterea, *individuum de genere, aut de specie non esse affirmandum;* neque enim de re id affirmandum est, quod non esse potest; genus vero, & species possunt non esse individuum. Species plus genere, individuum plus specie dicit: minus in plure semper continetur, non ita plus in minore. (194, & 225).

Quare ex hoc præcepto non recte dices: *vegetabile est arbor, est cerasus, est hic cerasus*: *Homo est Aristus, est Sylvia*: fieri enim potest, ut ens sit vegetabile, nec tamen sit hic cerasus; atque ens esse hominem, quin Aristus sit, aut Sylvia. Q. E. D.

615. PRÆCEPTUM III. *Abstractum de concreto non affirmandum*.

Hoc est, abstractum non fieri debere attributum propositionis affirmativæ, cujus subjectum concretum sit.

DEMONSTRATIO. Concretum aut est, aut censetur compositum ex subjecto, & forma; atqui vere, & recte dici nequit, abstractum, seu formam solitariam, quæ totius pars est, esse concretum, seu subjectum simul, & formam, quæ totum sunt, (80, & 81).

Qua-

Quare non recte, nec dialectice dices: *objectum album est albedo*; *homo est humanitas*; *amarum est amarities*: cetera: falsum est enim, totum esse tantum suam partem; & veram re ipsa naturæ identitatem affirmari posse inter subjectum, quod est totum, & *formam abstractam*, quæ hujus totius pars tantum est. Q. E. D.

616. PRÆCEPTUM IV. *Concretum de abstracto non affirmandum.*

Hoc est, concretum fieri non debere attributum propositionis affirmativæ, cujus subjectum abstractum sit.

DEMOMSTRATIO. Concreta sunt, aut censentur tota, quorum forma, & subjectum partes sunt; dici vero exacte nequit, partem absolute totum esse.

Quare non recte, nec dialectice dices *albedo est objectum album*, *humanitas est homo*, *amarities est amarum*; cetera: falsum est enim, partem totius absolute totum esse; aut veram re ipsa naturæ identitatem affirmari posse inter subjectum, quod totius pars est, & attributum, quod totum est. Q. E. D.

617. PRÆCEPTUM V. *Abstractum de abstracto non affirmandum, nisi si abstractum, quod attributum est, sit veluti genus pro abstracto, quod est subjectum; aut nisi demonstretur, duo abstracta esse re ipsa unam, atque unicam qualitatem, aut entitatem.*

DEMONSTRATIO. Duo abstracta, quæ ad idem subjectum pertineant, sunt necessario aut *duæ qualitates physicæ* inter se re ipsa distinctæ, ut albedo, & dulcedo in saccharo; aut *duæ qualitates metaphysicæ*, quæ fortasse in se unum, & idem sunt, sed quæ ut diversæ considerantur ratione diversorum effectuum, qui illis tribuuntur; cujusmodi sunt in homine qualitates principii sensitivi, & principii cogitantis.

Pri-

Primo casu patet, abstractum de altero abstracto affirmari non posse; sunt enim duæ qualitates physicæ, quarum una non est alia. Altero casu, duo abstracta ut duæ qualitates diversæ considerantur; quare peculiares, & certæ rationes requiruntur, ut unum de alio affirmari possit. His positis;

I. Non dices, in marmore, aut plumbo gravitatem esse duritiem; hæ siquidem *qualitates distinctæ* sunt, quarum una non est alia; ergo una sine altera esse potest.

II. Neque dicès, in homine liberalitatem esse justitiam; hæ siquidem *duæ virtutes distinctæ*, quarum motiva, objecta, effectus diversi sunt.

III. At recte dices, in homine, *beneficentiam, & justitiam virtutes esse*; *virtutis enim attributum* genus est, cujus justitia, & beneficentia sunt duæ species; genus vero de suis speciebus semper affirmari potest. (613).

IV. Pariter recte dices, in Deo beneficentiam re ipsa justitiam esse, in homine facultatem intelligentem esse re ipsa facultatem sensitivam; primo quia tunc præscinditur ab objectis, a motivis, & ab effectibus, per quæ omnes *hæ qualitates abstractæ* extrinsece distinguuntur, ut tantum ut in subjecto intrinsece sunt, considerentur; deinde, quia tunc demonstratur, aut demonstratum supponitur, in Deo beneficentiam, & justitiam re ipsa cum Deo identificatas esse, ac propterea & inter se; in homine facultates intelligentem, & sensitivam re ipsa cum homine, atque adeo inter se identificatas esse. Id vero de eo semper affirmari potest, cui re ipsa identificatum est; & quod id nunquam non esse potest. Q. E. D.

618. PRÆCEPTUM IV. *In his totis physicis, quæ vocantur Personæ, aut Supposita* (347), *partium modificationes activæ, & passivæ, sive earum actiones, & passiones de totis in concreto affirmantur, aut negantur.*

DE--

DEMONSTRATIO. Partes sunt totius, illi submissæ sunt, & ad totum pertinent; quare diversarum partium actiones, & passiones toti ipsi tribuendæ sunt, quod ratione generici hujus respectus pro omnibus suis partibus jure sumitur.

I. Ex his recte dices, *Aristum esse sapientem*, sive Aristum esse subjectum scientia præditum; etsi hujus attributi fundamentum in anima tantum sit, non in corpore: *Clitandrum pulcrum esse*, licet hujus attributi fundamentum in corpore tantum sit, non in anima: *Sylviam loqui*, seu esse subjectum loquens, etsi lingua tantum, & guttur voces edat: *Asserem fractum esse*, licet asseris pes tantum fractus sit: *Rempublicam pati*, etsi magna tantum totius hujus factitii pars patiatur; cetera.

II. Philosophi sensibiles rerum qualitates, earumque activas, ac passivas modificationes considerantes, censuerunt eas alicui inesse, quod invisibile, & sub ipsis celatum esset. (213).

Rem hanc invisibilem, atque abditam generice suppositum (*) nuncuparunt; qua voce & suppositum, & personam promiscue significant; hoc tantum discrimine, quod in scholis *suppositum* est terminus genericus, animatis & inanimatis, rationalibus & irrationalibus conveniens. *Persona* de rationalibus dumtaxat usurpatur. Hinc axioma philosophicum: *actiones, & passiones sunt suppositorum.*

III. Voces hæ *actio*, & *passio*, ut alibi monuimus, & ut hic patet, hic tantum significant

(*) ETYMOLOGIA. Suppositum, *quasi* positum sub. *Quare vox* suppositum *hic significat: ens positum, & latitans sub modificationibus activis, & passivis, cui attribuuntur illa modificationes.*

cant *activas*, & *passivas* subjecti alicujus, seu totius *modificationes*; sive has sibi efficiat, sive aliunde habeat. Subjectum hoc, seu totum, sive inanimatum, sive naturale, sive factitium æque esse potest. (88).



PARAGRAPHUS II.

PROPOSITIONUM OPPOSITIO.

619. OBSERVATIO. Ut inter duas propositiones *vera* detur *oppositio*, necesse est, unam ab altera oppugnari, & ab una destrui quod ab altera proponitur. Ceterum *oppositio* hac in re nihil significat.

Quare quum propositiones sint tantum mentis judicia sensibilibus signis expressa, duarum propositionum oppositio nequit esse, nisi *incompatibilitas objectiva* duorum judiciorum.

I. Quare *ut inter duas propositiones vera detur oppositio*, necesse est; Aut ambas idem subjectum, & idem attributum habere, si altera affirmativa sit, altera negativa;

Aut idem subjectum habere, & attributa incompatibilia, si ambæ affirmativæ sint.

II. Quare *vera oppositio* datur quoque inter duas has propositiones, quarum altera affirmativa est, altera negativa: *nullus homo est sapiens: omnis homo est sapiens*. Ambæ enim idem subjectum, & idem attributum habent; & quod ab una enunciatur cum enunciato ab altera stare nequit.

Pariter *vera oppositio* datur inter duas has propositiones affirmativas, quarum attributa simul stare nequeunt, & quarum subjectum idem est.

eſt: *Clitander pius eſt*; *Clitander eſt impius*; quod enim altera enunciat id neceſſario deſtruit, quod ab altera enunciatur.

III. Quare tandem *nulla vera oppoſitio*, aut vera judiciorum *incompatibilitas objectiva* datur,

Neque inter duas has propoſitiones non habentes idem ſubjectum: *omnis homo ad virtutem eſt ordinatus*: *nulla ſiex ad virtutem eſt ordinata*.

Neque inter has duas non habentes idem attributum: *Clitander eſt prudens*: *Clitander non eſt dives*.

Neque inter has duas, quarum ſubjectum manifeſto eſſe poteſt unum individuum uni, & alterum individuum alteri: *aliquis homo eſt dives*, *aliquis homo non eſt dives*.

Neque inter duas has idem ſubjectum, & idem attributum habentes, quarum tamen enunciatio nihil exhibet, quod ſimul ſtare nequeat: *omnis homo eſt mortalis*; *aliquis homo eſt mortalis*.

Quatuor poſtremæ hæ propoſitionum ſpecies ſimul comparatæ, *diverſa* ſunt, non oppoſitæ.

BINÆ IN PROPOSITIONIBUS OPPOSITIONIS SPECIES.

620. OBSERVATIO. Duæ propositiones inter se oppositionem aut contradictoriam, aut contrariam habere possunt.

I. *Oppositionem contradictoriam* habent, quum idem subjectum, & idem attributum re ipsa habentes (602), altera affirmativa est, altera negativa; neque altera affirmat, aut negat nisi illud tantum, quod requiritur, ut altera falsa fiat.

Oppositio contradictoria haberi nequit, nisi aut inter *duas propositiones singulares* idem subjectum, & idem prædicatum habentes, quarum altera affirmativa sit, altera negativa; aut inter *propositionem universalem, & propositionem particularem*, quæ idem subjectum, & idem attributum habeant, & quarum altera affirmativa sit, altera negativa.

II. Duæ propositiones *oppositionem contrariam habent*, quum idem subjectum re ipsa habentes, illi incompatibilia attribuunt, ita ut alterutra aliquid plus affirmet, aut neget, quam necesse sit, ut altera falsa fiat.

Oppositio contraria haberi potest aut inter *duas propositiones universales*, quarum altera affirmativa sit, altera negativa; sive *inter propositionem universalem, & propositionem singularem*, quarum altera affirmativa sit, altera negativa; aut inter duas propositiones singulares ambas affirmativas, sed quarum attributa opposita necessario in eodem subjecto stare nequeunt.

621. NOTA I. *Schola Peripatetica* præter duas allatas oppositionis species, duas alias admittebat, nempe oppositionem subcontrariam, & subalternam.

I. *Oppositionem subcontrariam* hæc schola eam appellabat, quam esse arbitrabatur inter duas pro-

propositiones particulares habentes idem subjectum, & attributum, & quarum altera affirmativa esset, altera negativa; cujusmodi hæ sunt: *aliquis Gallus est nobilis*; *aliquis Gallus non est nobilis*.

At vero patet, nullam inter has propositiones oppositionem esse; ut enim monuimus (619), possunt diversum subjectum habere: & si re ipsa idem subjectum haberent, eorum oppositio contradictoria esset, non subcontraria.

II. Hæc eadem schola *oppositionem subalternam* eam appellabat, quam inter duas propositiones esse arbitrabatur, quarum altera universalis esset, altera particularis, & ambæ aut affirmativæ essent, aut negativæ; ut hæ duæ affirmativæ: *omnis sapiens est fœlix*: *aliquis sapiens est fœlix*; aut hac duæ negativæ: *nullus homo est immortalis*: *aliquis homo non est immortalis*.

At vero patet, inter has nullam veram re ipsa oppositionem dari; ut enim monuimus, utraque vera esse potest; neque unius enunciatio ullo modo alterius enunciationem destruit aut oppugnat. (619).

Quare inter binas propositiones quascumque nulla alia oppositio præter memoratas, contradictoriam scilicet, & contrariam, est admittenda.

622. NOTA II. Hæc eadem schola propositiones considerans *diversitatem* deprehendit inter propositionem universalem, & particularem; primæ enim subjectum alterius subjecto latius patet; *diversitatem* quoque intercedere inter propositionem affirmativam, & negativam; altera enim subjecti cum attributo identitatem affirmat, altera negat.

I. Ex his ipsa dixit, & dicere possumus *quantitatem propositionum* majorem, minoremve subjecti amplitudinem.

Dixit quoque, & secum dicere possumus *qualita-*

litatem propositionum esse, quod affirmativæ sint, aut negativæ, seu earum naturam, qua affirmativæ sunt, aut negativæ.

II. At manifeste aberravit, quum ex propositionum quantitate, & qualitate duos oppositionis fontes statuere voluit.

Ex hoc errore in ipsa orta est inanitas oppositionis subcontrariæ, & subalternæ.

Hinc quoque apud ipsam nonnullæ falsæ definitiones prodierunt oppositionis contrariæ, & contradictoriæ: quod omnia hac in re permiscuit, ac perturbavit.

PROPOSITIONES CONTRADICTORIÆ.

623. OBSERVATIO. Ex dictis de propositionum oppositione, propositiones duæ, quæ idem subjectum, & attributum re ipsa habent (602), contradictoriæ, aut contradictorio oppositæ duobus modis esse possunt.

I. *Contradictoriæ* sunt quum altera universalis est, altera particularis; & altera affirmativa, altera negativa.

Hujusmodi sunt hæ duæ: *omnis homo est miser*; *aliquis homo non est miser*.

Hæ quoque: *nullum vegetabile est fossile*: *aliquod vegetabile est fossile*.

II. *Contradictoriæ* sunt, quum ambæ singulares sunt, & altera affirmativa, altera negativa.

Hujusmodi sunt hæ duæ: *Cæsar Gallos vicit*; *Cæsar Gallos non vicit*.

Hæ quoque: *Antichristus erit impius*: *Antichristus non erit impius*.

624. NOTA Ut apte omnino intelligamus in quo sita sit duarum propositionum *oppositio contradictoria*, quæ idem subjectum, & attributum habeant, & quarum altera affirmativa sit, altera negativa, maxime necessarium est animadvertere, *ut duæ propositiones contradictoriæ sint*,

sint, oportere, alteram non affirmare, aut negare nisi id tantum, quod ad aliam falsam reddendam est necessarium.

I. Exempli causa, binæ hæ propositiones: *omnis homo est Americanus; aliquis homo non est Americanus*, contradictoriæ sunt; prima enim id tantum affirmat, quod ad alteram falsam reddendam est necessarium; & altera id tantum negat, quod ad primam falsam reddendam est necessarium.

Ut enim falsum sit, *omnem hominem esse Americanum*, oportet, & satis est, aliquem hominem indeterminate sumptum non esse Americanum; & ut falsum sit, *aliquem hominem non esse Americanum*, necesse est, omnem hominem, nemine exceptio, esse Americanum.

II. Duæ hæ propositiones: omnis homo est Americanus; Rex Galilæ non est Americanus, non sunt contradictoriæ: altera enim affirmat, aut negat plus, quam necesse sit, ut altera falsa sit.

Ut enim prima propositio falsa sit, non est necesse, hunc hominem, Regem Galliæ, non esse Americanum; satis est aliquem hominem indeterminate non esse Americanum. Ut altera propositio falsa esset, non necesse est, omnem hominem esse Amricanum, satis esset si Rex Galliæ Americanus esset. Quare propositiones hæ non sunt contradictoriæ, sed tantum contrariæ, ut alibi adhuc videbimus.

III. Pari modo hæ duæ propositiones: *nullum Dei præceptum est impossibile; aliqua Dei præcepta sunt impossibilia*, non sunt contradictoriæ, altera enim plus affirmat, quam necesse sit, ut prima falsa fiat; ac proinde prima plus negat, quam necesse sit, ut altera falsa fiat.

Ut enim prima falsa sit non est necesse, aliqua Dei præcepta esse impossibilia: satis esset si aliquod tantum Dei præceptum esset impossibi-

ſibile. Hæ duæ propoſitiones contrariæ ſunt, non contradictoriæ.

PROPOSITIO PRÆCIPUA.

625. *Duæ propoſitiones contradictoriæ nequeunt eſſe ſimul veræ, aut ſimul falſæ. Quare ſi alterutra falſa eſt, altera erit neceſſario vera, & vice verſa.*

DEMONSTRATIO. Duæ propoſitiones contradictoriæ ex dictis ſunt neceſſario aut *duæ propoſitiones ſingulares*, quarum altera affirmativa eſt, altera negativa; aut *duæ propoſitiones, quarum altera univerſalis eſt, altera particularis*, altera affirmativa, altera negativa (623).

Hic oſtendendum eſt, in neutro caſu duas propoſitiones contradictorias aut ſimul veras eſſe poſſe, aut ſimul falſas.

EXPLICATIO I. *Duæ propoſitiones ſingulares* contradictoriæ ſimul veræ, aut ſimul falſæ eſſe nequeunt. Ut hoc oſtendam, arripio, ut caſus offert, duas has ſingulares contradictorias: *Ariſtus eſt prudens*; *Ariſtus non eſt prudens*.

I. Primo ut ambæ hæ propoſitiones eſſent *ſimul veræ*, opus eſſet, ut Ariſtus, earum ſubjectum, eſſet & *prudens*, ut vera eſſet prima propoſitio, & *non prudens*, ut vera eſſet altera; quod evidenter eſſe non poteſt, & abſurdum eſt, ac contradictorium (47).

Evidens ergo eſt, has duas propoſitiones nunquam eſſe poſſe ſimul veras; & ſi alterutra vera eſt, alteram falſam eſſe (100 & 101).

II. Deinde ut hæ propoſitiones eſſent *ſimul falſæ*, neceſſe eſſet, Ariſtum, earum ſubjectum, aliud eſſe, ac a propoſitione enunciatur.

Quare neceſſe eſſet, Ariſtum ſimul habere, & non habere *prudentiæ qualitatem*, eumque ſimul eſſe ſubjectum prudentia carens, ut falſa fieret prima propoſitio, & ſubjectum prudentia

præ-

præditum, ut falsa fieret altera; quod evidenter esse nequit, & absurdum est.

Evidens ergo est, duas has propositiones simul falsas nunquam esse posse; & si alterutra falsa est, alteram esse necessario veram.

EXPLICATIO. II. Duæ propositiones contradictoriæ, *quarum una universalis est, altera particularis* simul veræ, aut simul falsæ esse nequeunt. Ut hoc ostendam, duarum præcedentium loco, quæ qualitate tantum contradictoriæ sunt, duas quascumque assumo & qualitate, & quantitate oppositas, cujusmodi istæ sunt: *omnis homo est prudens*; *aliquis homo non est prudens*.

I. Ut hæ propositiones essent *simul vera*, earum subjectum esse simul deberet ut ab utraque propositione enunciatur.

Quare *prudentia qualitas* in omnibus hominibus esse deberet, nemine excepto, ut vera esset prima propositio; & aliquis homo simul esse deberet, in quo hæc prudentiæ qualitas non haberetur, ut vera esset altera.

Quare necesse esset, ut hic homo indeterminate sumptus, qui simul est & totum subjectum propositionis particularis, & pars subjecti propositionis universalis, simul esset & *subjectum prudentia praditum*, ut concurreret ad veram reddendam propositionem universalem, & *subjectum prudentia non praditum*, ut veram redderet propositionem particularem; quod evidenter repugnat.

Ergo hæ duæ postremæ propositiones contradictoriæ nequeunt esse simul, veræ; si ergo una vera est, altera necessario falsa est.

II. Deinde ut hæ eædem propositiones essent *simul falsa*, earum subjectum aliud simul esse deberet, ac ab utraque enunciatur.

Quare *prudentia qualitas* in omnibus hominibus, nemine excepto, esse deberet, ut falsa esset propositio negativa; & simul, in aliquo

homine indeterminate sumpto non esset, ut falsa fieret propositio affirmativa; quod evidenter esse non potest.

Ergo propositiones hæ contradictoriæ nequeunt esse simul falsæ; ergo si alterutra falsa est, altera necessario vera est.

EXPLICATIO III. Patet, idem dici, & ostendi posse de aliis propositionibus contradictoriis quibuscumque, puta de his: *nullus rex vere suos subditos amat*: *aliquis rex vere suos subditos amat*; & in omnibus ostensum iri eadem evidentia, duas contradictorias simul veras, aut simul falsas esse non posse.

I. Ut hæ propositiones essent *simul vera*, evidens est, necesse esse, *qualitatem regis vere suos subditos amantis* in nullo omnino rege reperiri, ut vera sit propositio universalis negativa; & hanc tamen qualitatem in aliquo indeterminate rege, qui propositionis particularis affirmativæ subjectum est, reperiri, ut vera fiat hæc propositio; quod in se repugnat (47).

II. Deinde ut hæ propositiones essent *simul falsa*, necesse esset, *qualitatem regis vere suos subditos amantis* in aliquo rege existere, ut falsa fieret propositio universalis negativa; & simul hanc qualitatem in nullo rege reperiri, ut falsa fieret particularis affirmativa; quod æque in se evidenter repugnat.

CONCLUSIO. Quæcumque sit *duarum propositionum contradictoriarum* species, & natura, patet, ipsas nunquam simul veras, aut simul falsas esse posse. Patet quoque, si alteram veram ostendas, te hoc ipso alteram falsam ostendisse; & si alteram falsam ostenderis, alteram te hoc ipso veram ostendisse. Q. E. D.

626. COROLLARIA. A statuta propositione tres sequentes veritates evidenter fluunt.

I. Sequitur evidenter, inter duas propositiones contradictorias non dari medium; neque enim medium datur pro subjecto utrique propositio-

sitioni communi inter habere, & non habere *qualitatem qualemcumque*, quam illi altera propositio tribuit, altera negat; inter esse, & non esse id, de quo quæstio, in communi propositionum contradictoriarum attributo.

II. Sequitur evidenter, *ad veritatem propositionis, quam directe demonstrare non possumus, ostendendam, satis esse ejus contradictoriam falsam ostendere*; hujus enim falsitas alterius veritatem necessario trahit, aut supponit.

Hæc veritatis demonstrandæ ratio dicitur *demonstratio indirecta*; hæc & a geometris admittitur, qui illa nimium sæpius fortasse utuntur; & in scholis philosophicis, ac theologicis, in quibus tunc disputatio cessat, quum adversarius asserti sui contradictoriam propositionem admittere coactus est.

III. Sequitur evidenter, *ut decernatur quanam sit propositio fidei a catholica ecclesia statuta dum propositionem aliquam ut hæreticam damnat, satis esse damnatæ contradictoriam assumere*. Patet enim, ecclesiam catholicam quum errorem damnat, velle *veritatem aliquam statuere*; & eam supponendo in suis decretis infallibilem, veritatem ab ipsa statutam esse contradictoriam erroris damnati.

Exempli causa, si hæc propositio: *omnes actus liberi infidelium sunt peccata*, ab ecclesia damnatur ut hæretica; propositio fidei invenienda, & determinanda est hæc: *aliquis actus liber infidelium non est peccatum*.

Pari modo si ecclesia ut hæreticam damnat propositionem hanc: *gratia supernaturalis hominibus ad salutem operandam non est necessaria*; propositio fidei invenienda, & determinanda erit hæc: *gratia supernaturalis hominibus ad salutem operandam est necessaria*.

627. NOTA. *Propositionis ab ecclesia damnata contradictoria* non semper facile invenitur, imo nec semper inveniri potest. Siquidem;

 I. Non-

I. Nonnullæ ſunt propoſitiones ab eccleſia damnatæ ut hæreticæ, quarum contradictoriam aſſignare nequis, quin illas decomponas: hujuſmodi eſt celebris iſta propoſitio: *aliqua Dei præcepta ſunt impoſſibilia* (624).

II. Quædam quoque propoſitiones ſunt ab eccleſia damnatæ *in globo*, diverſis cenſuris; aliæ ut impiæ, hæreticæ, blaſphematoriæ; aliæ ut ſcandaloſæ, temerariæ, male ſonantes; cetera; quin cuique ſingillatim propriam cenſuram apponat.

Tunc *ipſum objectum credendum* eſt, nullam ex propoſitionibus ita *in globo* damnatis ſanæ eccleſiæ doctrinæ eſſe conſentaneam; & earum quamlibet aliquam ex diverſis cenſuris promereri, quæ ab eccleſia illis indeterminate inuruntur.

PROPOSITIONES CONTRARIÆ.

628. OBSERVATIO. Ex dictis de propoſitionum oppoſitione (620), oppoſitio contrariæ tribus ſequentibus modis haberi poteſt.

I. Duæ propoſitiones ſunt *contrariæ*, quum habentes idem ſubjectum, & attributum *ambæ ſunt univerſales*, altera affirmativa, altera negativa. Hujuſmodi ſunt hæ: *nullus impius eſt miſer*: *omnis impius eſt miſer*.

II. Duæ propoſitiones ſunt *contrariæ*, ſi idem ſubjectum, & attributum habentes *altera ſit univerſalis*, *altera ſingularis*, & altera affirmativa, altera negativa. Hujuſmodi ſunt ſequentes, quæ re ipſa idem ſubjectum habent; alterius enim ſubjectum eſt ſpecies, alterius ſpeciei portio: ſpecies vero ſemper eandem proprietatum collectionem exhibet in omnibus individuis ſeu collective, ſeu diſtributive ſumptis: *Nullus homo eſt Sinenſis*: *Reges Galliæ, & Boruſſiæ ſunt Sinenſes*.

III. Adhuc duæ propoſitiones *contrariæ* ſunt, quum

quum *ambæ sunt affirmativa, & singulares*, & communi subjecto attributa dant incompatibilia in eodem subjecto: ut hæ: *Aristus est sanctus: Aristus est impius*.

ALIA PROPOSITIO PRÆCIPUA.

629. *Duæ propositiones contrariæ simul falsæ, non autem simul veræ esse possunt.*

Quare si alterutra vera est, altera falsa erit; si vero alterutra falsa est, non propterea sequitur, alteram veram fore.

DEMONSTRATIO. Ut hæc pateant, in tribus supra allatis contrariis propositionum speciebus hoc ostendemus (628).

EXPLICATIO I. Duæ propositiones contrariæ *universales* esse possunt, & sæpius sunt simul falsæ, nunquam simul veræ. Pro omnibus exemplo sint hæ: *omnis homo est justus: nullus homo est justus*.

I. Hæ primo *simul falsæ* esse possunt: potest enim earum attributum, nempe *qualitas justi*, toti subjecti universalitati non convenire; quo affirmativa falsa erit: potest etiam a tota subjecti universalitate non abesse; quo negativa falsa erit.

II. Deinde hæ propositiones *simul veræ* esse nequeunt; ad hoc enim opus esset, ambarum attributum, nempe *qualitatem justi*, inesse omnibus individuis subjecti universalitatem constituentibus, ut vera esset affirmativa; & in nullo hujus universalitatis subjecto esse, ut vera esset negativa; quod evidenter absurdum est.

EXPLICATIO II. Duæ propositiones contrariæ, *quarum altera universalis est, altera singularis*, esse possunt, & sæpius sunt simul falsæ, nunquam simul veræ. Sint pro omnibus exemplo hæ: *Nullus homo est Americanus: Rex Galliæ est Americanus*.

I. Hæ propositiones primo *simul falsæ* esse pos-

possunt; ambarum enim attributum, nempe *qualitas Americani* evidenter alicui ex individuis subjecti universalitatem constituentibus convenire potest; quo universalis affirmativa falsa fiet: & illi determinatæ subjecti parti non convenire; quo falsa fiet singularis affirmativa.

II. Deinde hæ *simul vera* esse nequeunt. Ad hoc enim *qualitas Americani*, seu propositionum attributum in nullo individuo subjecti universalitatem constituente esse deberet, ut vera esset universalis negativa: & simul esse in hoc, vel in his individuis, quæ singularis subjectum efficiunt, ut hæc affirmativa vera esset, quod evidenter esse nequit.

EXPLICATIO III. Duæ propositiones contrariæ *affirmativa*, & *singulares*, & *quarum attributa in eodem subjecto absolute simul esse nequeunt*, esse possunt, & sæpe sunt simul falsæ, nunquam simul veræ. Pro omnibus exemplo hæ sint: *Aristus est sanctus*: *Aristus est impius*.

I. Hæ primo *simul falsa* esse possunt. Potest enim neutrum ex attributis subjecto, Aristo scilicet, convenire; qui potest neque tot virtutibus ornatus esse, ut sanctus dici mereatur; nec tot vitiis scatere, ut impius nuncupetur.

II. Deinde hæ *simul vera* esse nequeunt. Ad hoc enim necesse esset, duo attributa, quæ in eodem subjecto incompatibilia supponuntur, tamen in illo esse compatibilia; & propositionum subjectum, quod est in ambabus idem, duo attributa simul habere, quæ in eodem subjecto nunquam simul esse possunt; quod sane chimæricum est, & absurdum.

Brevi: ex duobus attributis natura oppositis, & incompatibilibus fieri potest, ut neutrum in eodem subjecto sit; si vero alterum est, alterum necessario excluditur. Exempli gratia. Fieri potest, *cogitationem* non esse substantiam neque

que extensam, neque inextensam; potest enim esse simplex modificatio, quin sit ulla substantia (202, & 207). At si esset substantia inextensa, simul substantia extensa esse nequiret.

EXPLICATIO IV. Patet, hæc omnia dici posse *de propositionibus contrariis quibuscumque*, quarum quælibet ad aliquam ex tribus hisce speciebus referetur. Exempli gratia, de duabus his contrariis universalibus: *nullum fossile est vegetabile: omne fossile est vegetabile*: de his, quarum altera universalis est, altera singularis: *omnis homo est Afer: Rex Marochii non est Afer*: de his, quarum altera in singularem recidit: *omne brutum est alatum: aquila non est alata*: de his, quarum altera quoque in singularem recidit: *nullus homo est prædestinatus: Judas, & Antichristus sunt prædestinati*: de his singularibus, quarum attributa in eodem subjecto sunt incompatibilia: *Deus est corpus extensum: Deus est corpus inextensum*.

Ad hoc satis est *propositionum attributo* mutare, & apte applicare *esse*, aut *non esse* in subjecto, seu *convenire*, aut *non convenire* subjecto. Atque ita tres hæ peculiares demonstrationes re ipsa genericæ sunt.

CONCLUSIO. Ex tribus his demonstrationibus sequitur, duarum quarumcumque *propositionum contrariarum*, alteram esse posse veram, alteram falsam, aut ambas simul falsas, nunquam ambas simul veras.

Sequitur quoque *alterutrius veritatem*, semper, ut in contradictoriis, alterius falsitatem trahere; etsi *alterutrius falsitas* non semper, ut in contradictoriis, alterius veritatem trahat (625). Q. E. D.

PROPOSITIONES SUBCONTRARIÆ.

630. DEFINITIO. *Propositiones subcontrariæ* dicuntur duæ propositiones particulares idem

ſubjectum, idemque attributum habentes, quarum altera affirmativa eſt, altera negativa. Hujuſmodi hæ ſunt: *aliquis homo eſt Gallus: aliquis homo non eſt Gallus.*

Ratio hujus denominationis eſt, quia continentur in *duabus propoſitionibus contrariis univerſalibus*, altera in altera; quarum altera affirmativa eſt, altera negativa: ut hæ: *omnis homo eſt Gallus*: *nullus homo eſt Gallus.*

631. NOTA. Etſi oſtenderimus, non dari *oppoſitionem ſubcontrariam* (619); non propterea non dantur propoſitiones ſubcontrariæ: oppoſitionis enim defectus exiſtentiæ defectum non infert; poſſunt vero propoſitiones duæ ſubcontrariæ exiſtere, quin invicem opponantur.

I. *Duæ propoſitiones ſubcontrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ*; ſunt enim contradictoriæ duarum contrariarum univerſalium, quæ poſſunt eſſe ſimul falſæ (629); & quæ ſi falſæ ſupponantur, ſuarum contradictoriarum veritatem trahunt. Porro hæ ſunt ipſæ ſubcontrariæ, de quibus ſermo.

In allatis exemplis ſubcontrariarum, & contrariarum, quibus continentur, patet, primam ſubcontrariam eſſe contradictoriam alterius contrariæ, & alteram primæ.

II. *Duæ ſubcontrariæ nequeunt eſſe ſimul falſæ*; ſunt enim duarum contrariarum univerſalium contradictoriæ, quæ nequeunt unquam eſſe ſimul veræ (625); & quarum ſi altera ſupponatur vera, altera falſa, ſuarum contradictoriarum reſpective veritatem, & falſitatem trahunt (626); porro hæ ſunt ipſæ ſubcontrariæ, de quibus ſermo.

III. Quoniam duæ ſubcontrariæ ſimul veræ, nunquam ſimul falſæ eſſe poſſunt, ſequitur, *unius veritatem non ſemper neceſſario alterius falſitatem trahere*; *at unius falſitatem ſemper alterius veritatem trahere.*

Qua-

Quare si alteram ex subcontrariis falsam probes, alteram veram indirecte probas.

PROPOSITIONES SUBALTERNÆ.

632. DEFINITIO. Duæ propositiones *subalternæ* dicuntur, quarum altera universalis est, altera particularis, & ambæ aut affirmativæ, aut negativæ: ut hæ affirmativæ: *omnis homo est mortalis*: *aliquis homo est mortalis*; aut hæ negativæ: *nullus leo est quadrupes*: *aliquis leo non est quadrupes*; aut hæ adhuc affirmativæ: *Omnis europaus est subditus regi Galliæ*: *aliquis europaus est subditus regi Galliæ*.

De his nota.

I. *Hæ esse possunt ambæ simul veræ, ambæ simul falsæ, altera vera, altera falsa.*

II. At *si universalis vera est, & particularis est necessario vera; etsi fieri possit, ut universalis falsa sit, non vero particularis*, ut supra ostendimus (609).



§. III.

PROPOSITIONUM CONVERSIO.

633. DEFINITIO. P*ropositionis conversio* in quadam terminorum transpositione sita est, qua subjectum fit attributum, & attributum subjectum; unde *legitime infertur a propositione primitiva ad transformatam* ita, ut veritas primitivæ veritatem conversæ necessario trahat.

Exempli gratia, si in hac propositione universali negativa: *nullus homo est elephas*, attributi, & subjecti locum muto; primitiva in hanc convertetur: *nullus elaphas est homo*. Quare dialectice possum recte dicere; si nullus homo est elephas; ergo nullus elephas est homo.

I. Dicitur *conversio simplex* propositionis, in qua subjecti, & attributi tantum locus mutatur, & totum subjectum fit attributum, totum attributum subjectum; ut in præcedenti.

II. Dicitur *conversio accidentalis*, in qua pars tantum attributi propositionis fit subjectum; ut in hac: *Omne cerasum habet nucleum, ergo aliquid habens nucleum est cerasum.*

III. Alia quoque pro propositione particulari negativa excogitata est *conversio per contrapositionem*, quæ in hoc sita est, ut subjectum, & attributum loco mutetur, utrique particulam negativam præfigendo.

At hæc adeo barbara, obscura, inutilis est, ut a philosopho omnino negligi mereatur; ut hoc sentias en exemplum: *aliquis homo non est rex; ergo aliquis non rex non est non homo.*

634. NOTA. Præcepta dialecticæ de tribus his conversionum speciebus disticho hoc technico continentur. In hoc vocales A, E, I, O propositiones denotant, quæ aliquo ex his tribus modis converti possunt (606).

E, I, simpliciter convertitur: E, A, per acid.
O, per contrapos: sic fit conversio tota.

Nos hic de simplici, & accidentali conversione, quæ tantum alicui utilitati esse possunt, dumtaxat agemus.

635. PRÆCEPTUM I. *Conversio simplex passim fieri potest & in propositione universali negativa, & in particulari affirmativa.*

DEMONSTRATIO. In his propositionibus attributum locum mutans, extensionem non mutat, sed idem omnino perseverat. Quare,

I. Si *in propositione universali negativa* subjectum non est attributum, necessario verum erit, attributum non esse subjectum; ut in duabus his universalibus negativis simpliciter conversis: *nullus leo est columba; ergo nulla columba est leo.*

II.

II. Si in *particulari affirmativa* subjectum est attributo identificatum (610), etiam attributum erit subjecto identificatum; ut in duabus his particularibus affirmativis simpliciter conversis: *aliquis Gallus est bonus civis*; ergo *aliquis bonus civis est Gallus*. Q. E. D.

636. NOTA. Non ita universim *conversio simplex* in propositione universali affirmativa, & in particulari negativa fieri potest; in his enim attributum locum mutans & extensionem mutat, nec idem perseverat. Non igitur a primo attributi statu ad alterum argui potest. Exempli causa,

I. Conversio simplex fieri nequit in hac universali affirmativa: *omnis Gallus est europaus*; *ergo omnis europaus est Gallus*. Attributum enim, *europaus*, qui in prima propositione universaliter non sumitur, in altera universaliter sumitur (607).

II. In hac particulari negativa: *aliquis europaus non est Gallus*; ergo *aliquis Gallus non est europaus*, conversio simplex fieri nequit; terminus enim, *europaus*, limitatus in prima propositione, in altera sumitur nulla limitatione (608).

637. PRÆCEPTUM II. *Conversio accidentalis & in propositione universali negativa, & in universali affirmativa universim fieri potest.*

DEMONSTRATIO. In duplici hac conversione attributum loco mutatum majorem non obtinet extensionem. Exempli gratia,

I. In hujus universalis negativæ accidentali conversione: *nullus leo est columba*; *ergo aliqua columba non est leo*, attributum, *columba* nihil exprimit ut subjectum, quod non exprimeret ut attributum.

II. Pari modo in hujus universalis affirmativæ accidentali conversione: *omnis arbor est vegetabile*, *ergo aliquod vegetabile est arbor*; attri-

tributum, *vegetabile*, intactum, nempe terminus particularis, perseverat. Q. E. D.

638. NOTA. *In propositionum conversione* verum, & præcisum propositionis convertendæ attributum diligenter considera; ceterum facile a primitiva propositione ad conversam falso concludes. Exempli causa,

I. Sit primo hæc propositio: *Aristus amat Clitandrum*. Si convertas: ergo *Chitander amat Aristum*; vitiosa erit conversio, & falsa conclusio.

Propositionis convertendæ attributum non est; Clitander, sed; *amans Clitandrum*; quare ita converte: ergo *aliquis amans Clitandrum est Aristus*.

II. Sit hæc altera: *nullus probus detrahit improbo*. Si convertas; ergo *nullus improbus detrahit probo*; vitiose convertes; & falso concludes.

Propositionis convertendæ attributum est; *detrahens improbo*; quare converte: ergo *nemo detrahens improbo est probus*; sive: *ergo aliquis detrahens improbo non est probus*.

Hæc propositio est universalis negativa, & duplicem his propositionibus convenientem conversionem admittit (635, & 637).

III. Sit hæc tertia: *omnis mortuus fuit vivens*. Si convertas: *ergo omnis vivens fuit mortuus*; vitiose convertes, & falso concludes.

Propositionis convertendæ attributum est; *aliquis, qui erat vivens*; itaque convertes; ergo *aliquis, qui erat vivens, est mortuus*.

Propositio hæc est universalis affirmativa, & harum in conversione legem sequitur.

IV. Sit hæc tandem: *Nullus senex potest fieri juvenis*. Si convertas; ergo *nullus juvenis potest fieri senex*. Vitiose convertes, & falso concludes.

Propositionis convertendæ attributum est: *po-*

potens fieri juvenis, seu subjectum potens fieri juvenis. Ergo converte: ergo nullum subjectum potens fieri juvenis est senex; seu: ergo aliquod subjectum potens fieri juvenis non est senex. Hæc universalis negativa & simplicem, & accidentalem conversionem admittit.



§. IV.

ÆQUIPOLLENTIA PROPOSITIONUM.

639. DEFINITIO. *Æquipollentia propositionum* dicitur eadem in utraque amplitudo, & significatio.

I. Duæ propositiones tunc eandem *æquipollentiam* habent, quum non sunt identicæ, & tamen neutra plus, aut minus dicit altera, & alterutram æque sumere potes.

II. Brevi hoc, sed perutili paragrapho de ratione agemus, qua ad *perfectam æquipollentiam* adduci possint propositiones duæ contrariæ, aut contradictoriæ; seu quomodo alterutri *ex contrariis, aut contradictoriis propositionibus tribui possit ipsissimus alterius valor, & significatio*; ita ut altera alteri sufficí possit, ut in algebra uni quantitati altera æqualis sufficitur.

Hoc duobus sequentibus præceptis præstabimus, quibus ad ea exequenda lectoris sagacitatem, & industriam dirigemus.

640. PRÆCEPTUM I. *Propositiones duæ contradictoriæ, altera universalis, altera particularis æquipollebunt, si alterutrius subjecto particula negativa præfigatur, altera nihil mutata.*

DEMONSTRATIO. Præcepti veritatem ostendemus in contradictoriis, quarum universalis positiva est, & in quibus est negativa.

EXPLICATIO I. Ut ostendamus præceptum ve-

verum in *universali affirmativa*, sint omnibus exemplum duæ hæ contradictoriæ quæcumque: *omnis homo est mortalis: aliquis homo non est mortalis.*

I. Si particulam negativam præfigo subjecto universalis, particulari nihil mutata, hanc habebo: *non omnis homo est mortalis.*

Quid hæc significat? verum non esse, omnem hominem esse mortalem; quid vero requiritur, ut ita sit? tantum, aliquem hominem non esse mortalem, quæ est ipsissima significatio contradictoriæ particularis: *aliquis homo non est mortalis.*

II. Deinde si particularis subjecto particulam negativam præfigo, universali nihil immutata, hanc habeo: *non aliquis homo non est mortalis.*

Quid vero hæc significat? non esse verum, aliquem hominem non esse mortalem; ut vero ita sit quid requiritur? omnem hominem esse mortalem, qui ipsissimus sensus est universalis contradictoriæ: *omnis homo est mortalis.*

EXPLICATIO II. Valet quoque præceptum in contradictoriis, *quum universalis est negativa.* Ut hoc ostendam sint omnium exemplum hæ duæ contradictoriæ: *nullus homo est mortalis: aliquis homo est mortalis.*

I. Si universalis subjecto particulam negativam præfigo, particulari nihil mutata, hanc habebo: *non nullus homo est mortalis.*

Quid hæc significat? verum non esse, nullum hominem esse mortalem. Ut vero ita sit, quid requiritur? tantum aliquem hominem esse mortalem; quæ est ipsissima significatio particularis: *aliquis homo est mortalis.*

II. Deinde si particularis subjecto particulam negativam præfigo, universali non mutata, hanc habebo: *non aliquis homo est mortalis.*

Quid hæc significat? verum non esse, ali-

quem

quem hominem esse mortalem. Ut ita sit quid requiritur? profecto, nullum hominem esse mortalem; qui ipsissimus sensus est contradictoriæ, universalis: *nullus homo est mortalis*.

Quare quæcumque sint duæ contradictoriæ, quarum altera universalis sit, altera particularis; alterutrius subjecto particula negativa præfixa, huic ipsissimus alterius sensus, & valor tribuitur. Q. E. D.

641. PRÆCEPTUM II. *Duæ propositiones contrariæ universales æquipollebunt, si particula negativa postponatur immediate alterutrius subjecto, altera non immutata.*

DEMONSTRATIO. Ad hoc ostendendum sumo duas quascumque contrarias universales: *omnis homo est mortalis*: *nullus homo est mortalis*.

Propositio affirmativa attributum suum toti subjecto applicat, negativa attributum a toto subjecto excludit. Ergo universalis affirmativa: *omnis homo est mortalis*, attributum *mortalis* applicat omni homini, nemine excepto; suum enim subjectum est omnis omnino homo. Ergo universalis negativa: *nullus homo est mortalis*, attributum *mortalis* ab omni homine excludit, nullo excepto; suum enim subjectum est omnis homo. Quamobrem

I. Si particulam negativam pono immediate post subjectum contrariæ affirmativæ præcedentis, hanc habebo propositionem: *omnis homo non est mortalis*, quæ fit negativa; atque ita significationem habebit omnino illi contrariam, quam habebat quum esset affirmativa.

Atqui quum esset affirmativa significabat, attributum mortalis omni homini applicatum esse; ergo negativa effecta significabit, hoc attributum ab omni homine exclusum esse. Quare eundem omnino sensum, & valorem habebit, quem contraria negativa: *nullus homo est mortalis*.

II. Si

II. Si particulam negativam pono immediate post subjectum postremæ hujus propositionis : *nullus homo est mortalis* : obtinebit hæc significationem omnino illi, quam nunc habet, contrariam; dicet enim omnino oppositum.

Atqui hæc propositio: *nullus homo est mortalis*, significat, attributum *mortalis* excludi ab omni omnino homine. Ergo hæc : *nullus homo non est mortalis*, quæ idem cum præcedente subjectum, & attributum habet; significabit, attributum mortalis omni omnino homini esse applicatum.

Quare quæcumque sint duæ contrariæ universales, particula negativa immediate post alterutrius subjectum apposita, hæc ipsissimum alterius sensum, & valorem obtinebit. Q. E. D.

642. NOTA. Postrema hæc duo præcepta, quæ a nemine mutuati sumus, maxime aliquando utilitati sunt, ut verus sensus, verusque valor quarundam propositionum statuatur, quæ vel nimis, vel parum nimis extenduntur; & ut ostendatur, propositionem, de qua acriter confligitur, esse prorsus alterius contrariam, aut contradictoriam, cujus valor notus est, & de quo quisque consentit. Hoc rem in apertam lucem profert, & disputationi finem facit. (626, & 629).

Ut his omnibus majorem claritatem addamus, aliqua hic adnotanda sunt, quæ eorum, quæ superius, & præsertim postremis duobus hisce præceptis tradita sunt, erunt veluti corollaria.

I. *Particula negativa immediate post subjectum propositionis aut universalis, aut particularis apposita, ejus qualitatem mutat, non quantitatem.* (622). Hoc est : affirmativa fit negativa, aut vice versa; at particularis non fit universalis, aut vice versa.

II. *Particula negativa subjecto propositionis universalis, aut particularis præfixa, ejus quan-*

quantitatem mutat, non qualitatem. Hoc est, ex universali fit particularis, aut vice versa; non vero ex affirmativa fit negativa, aut vice versa.

III. Maxime differunt hæ duæ propositiones: *non omnis homo est doctus*: *omnis homo non est doctus*. Prima enim tantum significat, attributum sapientis alicui homini convenire; altera, hoc attributum nulli homini convenire.

IV. Generatim *propositio quævis id tantum significat, quod requiritur, ut vera sit*. Quare, ut vera extensio, verusque valor propositionis cujuscumque determinetur, sive affirmativa sit, sive negativa, universalis, aut particularis, vera, aut falsa, satis est perpendere quid absolute, & præcise necesse sit, ut illa reddatur vera; & concipere, propositionem illam id totum significare, & nihil præterea.

Quid præcise significat propositio hæc affirmativa, vera sit, aut falsa? *nonnulla substantia sensu donata existunt in luna*. Præcise significat, in luna duas saltem existere substantias sensu donatas; si enim aut nulla, aut una tantum ibi existeret, hæc propositio vera esse non posset. (607, & 608).

Quid quoque significat hæc propositio negativa, vera sit, aut falsa? *nullum triangulum tria latera, & tres angulos habet*. Significat, proprietatem habendi tria latera, & tres angulos nulli omnino triangulo convenire; ut enim vera esset, necesse esset, nullum omnino esse triangulum, quod tria latera, & tres angulos haberet.

P A-

§. V.

PROPOSITIONUM DIVISIO, SEU VARIÆ EARUM SPECIES.

643. OBSERVATIO. Quum propositiones perpendimus, ut enunciantes subjecti sui cum attributo identitatem, aut non identitatem, eas in affirmativas, & negativas partiti sumus.

Eas deinde considerantes, ut in subjecto magis, minusve extensas, eas in universales, particulares, & singulares partiti sumus.

At genericæ hæ partitiones, quarum quælibet omnes, quæ haberi possint, propositiones complectitur, *omnes* earum *peculiares species* non satis distinguunt, quarum tamen naturam, & proprietates noscere magni momenti est; quare sequentes definitiones, & divisiones sunt necessariæ.

PROPOSITIONES SIMPLICES, ET COMPOSITÆ.

644. DEFINITIO I. *Propositio simplex* est, quæ unicum subjectum, & unicum attributum habet. Hujusmodi sunt hæ: *omnes homines sunt mortales*: *aliqui Galli sunt leves*: *Aristus non est liberalis*. *Homo probus est rarus*.

645. DEFINITIO II. *Propositio composita* ea est, quæ aut plura subjecta habet, aut plura attributa, aut utraque plura simul. Hujusmodi sunt hæ: *tigrides, & ursi sunt feroces*: *Cæsar fuit magnus dux, & magnus politicus*. *Aristus, & Clitander nec nobiles sunt, nec divites*.

I. Propositio composita esse potest aut tota ve-

vera, aut tota falsa, aut partim vera, partim falsa. Hic est ejus veritatis inspiciendæ modus simplicissimus. (100).

II. At si velis veritatem, & falsitatem semper esse *quid indivisibile*, quod fortasse magis philosophicum est; ut propositio composita vera sit, necesse erit, totum attributum subjecto convenire, si affirmativa sit; nullam attributi partem ulli subjecti parti convenire, si negativa sit.

PROPOSITIONES PRINCIPALES, ET INCIDENTES.

646. DEFINITIO. Propositio *complexa* esse potest, aut *æquivalenter duplex*, propositionem aliam principalem, aliam incidentem continens. Hujusmodi est hæc: *Cæsar, qui Gallos vicit, fuit tyrannus.*

I. In propositione complexa, *propositio principalis* est illa propositionis totalis pars, quæ præcipue, & magis directe affirmatur, aut negatur. In allato exemplo propositio principalis est: *Cæsar fuit tyrannus.*

II. *Propositio incidens* est illa totius propositionis pars, quæ principalis subjecto, aut attributo incidenter additur. In allato exemplo hæc totalis propositionis pars: *qui Gallos vicit*, est propositio incidens.

III. *In propositionibus complexis* veritas principalis non trahit veritatem incidentis; nec veritas incidentis veritatem principalis. Idem dicas de alterutrius falsitate.

Alterutra vera esse potest, licet altera falsa sit; & vice versa. Exempli gratia: Falsum est, Cæsarem fuisse tyrannum; & verum est, Cæsarem Gallos vicisse.

647. NOTA. In propositionibus, quæ sunt, aut videntur complexæ, pronomen *qui* sæpius du-

duplex munus habet, quod noſcere eſt opportunum.

I. Hoc pronomen ſæpe vices gerit *termini explicativi*; & tunc propoſitio re ipſa complexa eſt.

Hoc præſtat in ſequenti propoſitione, in qua propoſitio incidens enunciat qualitatem diſtinctivam ſubjecti propoſitionis principalis: *Chinachina, quæ eſt cortex arboris Peruviæ, miram habet vim febrifugam.*

Idem præſtat in ſequenti, in qua propoſitio incidens enunciat qualitatem diſtinctivam attributi propoſitionis principalis, aut alicujus huic attributo adnexi: *Scipio Africanus Hannibalem vicit, qui fuit maximus ætate ſua imperator.*

II. Hoc ipſum pronomen aliquando *termini reſtrictivi* munus gerit: tunc vero propoſitio non re ipſa, ſed ſpecie tantum complexa eſt.

Hoc præſtat in propoſitione ſequenti, in qua propoſitio incidens propoſitionis principalis ſubjectum ad ſui partem tantum coarctat, nullam illi diſtinctivam proprietatem tribuens: *homines, qui pietatem colunt, ſunt benefici.*

Propoſitio hæc non affirmat, pietatem colere, beneficum eſſe, ſpeciei humanæ proprietatem eſſe, ſed tantum, *beneficum eſſe*, hujus limitatæ hominum partis, quæ pietatem colit, qualitatem eſſe. Poſtrema hæc propoſitio ſpecie tantum complexa eſt; & in hanc ſimplicem reſolvitur: *Homines pii ſunt benefici.*

PROPOSITIONES DISJUNCTIVÆ, ET CONJUNCTIVÆ.

648. DEFINITIO I. *Propoſitio disjunctiva* eſt propoſitio affirmativa continens in ſuo attributo plura membra in eodem ſubjecto incompatibilia, & particula disjunctiva ſimul con-

connexa, suoque subjecto unum ex his membris indeterminate attribuens, nempe non unum præ aliis. Exempli gratia:

I. Hæc propositio: *civis Romanus erat aut ordinis patritii, aut equestris, aut plebeii*, est disjunctiva, cujus attributum tria habet membra, quorum unum subjecto indeterminate tribuitur.

II. Hæc quoque: *amicitia æqualitatem aut supponit, aut facit*, disjunctiva est, cujus attributum bina habet membra. Affirmat, aut *attributum æqualitatis* præexistere in hominibus amicitia junctis; aut nisi præexistat, illud ab amicitia inter eos effici.

III. Ut propositio disjunctiva vera sit, dari non debet medium inter membra incompatibilia a particula disjunctiva connexa; & ex his altèrutrum subjecto convenire debet.

649. DEFINITIO II. *Propositio conjunctiva* est propositio negativa, in suo attributo duo incompatibilia continens particula conjunctiva connexa, & eorum compatibilitatem in subjecto negans.

Exempli gratia hæc propositio. *Christianus Deo, & mundo servire nequit*, conjunctiva est, cujus attributum duo natura incompatibilia continet; nempe Dei servitium, quod omne vitium excludit, & mundi servitium, quod plurima vitia trahit.

Ut propositio conjunctiva vera sit, vera dari debet incompatibilitas in ejus membris paricula conjunctiva connexis, ita ut ambo nunquam in eodem subjecto esse possint. Exempli gratia, hæc propositio: *patria simul, & religio diligi nequeunt*; falsa est; utraque enim dilectio in eodem subjecto optime haberi potest.

650. NOTA. *Propositionis disjunctivæ contradictoriam* habebis, si omnia neges disjunctionis membra, sive dicas, subjectum posse non esse

nec

nec quod unum, nec quod alterum, aut alia disjunctionis membra exprimunt.

Conjunctiva contradictoriam habebis, si membrorum conjunctionis compatibilitatem affirmes; sive si dicas, subjectum posse simul esse id, quod dicitur incompatibile.

Præcepta syllogismi, in quo binæ hæ propositionum species locum habent, alibi trademus: tunc de ambabus adhuc sermo erit. (717, & 720).

PROPOSITIONES CAUSALES, ET CONDITIONALES.

651. DEFINITIO I. *Propositio causalis* duo membra habet, quæ simul causæ in effectum influxum enunciant. Exempli gratia, si ardelionem videas fraudibus, & iniquis artibus fortunam aucupantem, de illo recte dices: *decipit, quia ineptus est.*

Propositio hæc causalis erit, quæ enunciat, non sane ardelionem hunc esse improbum, nec ineptum.; sed ideo improbum esse, quia ineptus est, aut in ipso rerum agendarum imperitiam improbitatis causam esse.

I. Ut propositio causalis vera sit, unum ex suis membris *re ipsa* in alterum *influat* oportet ut enunciat propositio.

Exempli gratia, allata causalis *vera esse* potest; facile enim fieri potest, eum, de quo sermo, ad iniquas artes confugere tantum, quia ingenio, & peritia caret, quibus recta via ad fortunam pergat; aut in ipso imperitiam veram esse causam improbitatis.

II. Contra vero hæc propositio. *Aristus est amans recti, quia sub libra natus est; falsa est,* etsi Aristus & amans recti, & sub libra natus sit; nulla enim vera inter hanc causam, & hunc effectum connexio re ipsa datur; seu quia Aristi ortus sub hoc signo, aut sidere nihil influit,

fluit, aut influere potest in hanc Aristi virtutem: hoc tamen enunciat propositio. (556).

Causalis contradictoriam habebis si causæ in effectum influxum hoc pacto neges: *Non quia ineptus est, hic ardelio decipit; non quia sub libra natus est, Aristus est amans recti.*

652. DEFINITIO II. *Propositio conditionalis* duobus membris constat, quorum alterum suppositio est, & dicitur *antecedens*; alterum consequentia a suppositione deducta, & dicitur *consequens*. Hujusmodi est hæc: *si omnes homines in gratia morerentur, omnes salvarentur.*

In hac propositione primum membrum, quod conditionem, aut suppositionem exprimit, est antecedens; alterum membrum, quod est quid ab hac conditione necessario pendens, consequens est.

I. Propositio conditionalis directe enunciat non antecedentis, aut consequentis veritatem, sed *veram* inter antecedens, & consequens *connexionem*; ita, ut posito primo, alterum necessario consequatur. Quare ut hujusmodi propositiones veræ sint, satis est, si inter antecedens, & consequens enunciata connexio re ipsa detur.

In propositione ad exemplum allata, nec verum est omnes homines in gratia mori, nec omnes salvos fieri; at verum est, si in gratia omnes morerentur, omnes salvos fore; seu mortem in gratia futuram omnibus conditionem, cui certissime salus adnexa esset; quod satis est ad propositionis veritatem.

Aliud harum propositionum exemplum erit ea, qua suæ ætatis divites quidam ecclesiæ Doctor monebat, se gravi præcepto teneri egenis opem ferre. Memento dives, ajebat ille, te eos interfecturum, nisi opem tuleris, qua ali possint. *Si non pavisti, occidisti.* Vera est hæc propositio conditionalis; vera enim inter antecedens, & consequens datur connexio.

II. *Conditionalis contradictoriam* habebis, si antecedentis cum consequente connexionem neges; seu si neges, posito antecedente, consequens necessario sequi. Exempli gratia; allatarum hæ erunt contradictoriæ: *etsi omnes homines in gratia morerentur, non propterea omnes salvarentur; etsi non pavisti, non tamen occidisti*.

Quum de syllogismo agemus in quo propositio conditionalis locum habet, plura nova, & magni momenti de hujus propositionis natura proferemus (712).

PROPOSITIONES EXCLUSIVÆ, REDUPLICATIVÆ, COMPARATIVÆ.

653. DEFINITIO I. *Propositio exclusiva* est partim affirmativa, partim negativa, in qua annunciatur attributum subjecto, & non nisi subjecto convenire.

I. Hujusmodi est hæc: *sapiens est solus beatus*; sive hæc alia: *sola virtus est vera nobilitas*.

Prima, (vero, aut falso, nihil refert) affirmat, attributum *beati* semper re ipsa sapienti convenire; & nunquam nisi sapienti convenire. Altera quoque affirmat, virtutem, seu qualitatem *hominis virtute præditi* semper, & ubique esse veram nobilitatem, neque ullam veram nobilitatem esse ubi virtus non sit.

II. Ut hujusmodi propositiones veræ sint, necesse est, non solum attributum subjecto convenire, sed quoque non nisi subjecto convenire.

654. DEFINITIO II. *Propositio reduplicativa* est propositio affirmativa, aut negativa, in qua subjectum ad aliquem sensum peculiarem limitatur; & in qua non affirmatur, attributum convenire, aut non convenire subjecto, nisi quatenus subjectum ad aliquem peculiarem sensum limitatur.

I. Hujusmodi est hæc propositio affirmativa:

Scien-

Scientia, quatenus hominem in vanitatem, & superbiam attollere potest, christiano funesta fieri potest; aut haec alia negativa. *Scientia, quatenus mentem illustrat, nemini unquam noxia est.*

II. Ut hujusmodi propositiones verae sint, satis est si attributum subjecto ita ad peculiarem sensum limitato conveniat, ut a propositione enunciatur.

655. DEFINITIO. III. *Propositio comparativa* ea est, quae annunciat non solum, attributum subjecto convenire, aut non convenire, sed etiam aeque, aut magis, aut minus convenire, vel non convenire, quam alteri rei determinatae, aut alii rei qualicumque.

I. Hujusmodi est haec affirmativa: *virtus magis divitiis est aestimanda*; aut haec negativa: *non ita gravis vitae jactura est, ac honoris.*

II. Ut hujusmodi propositiones verae sint, necesse est non solum attributum subjecto convenire aut non convenire gradu positivo, sed etiam eo gradu comparativo, qui a propositione enunciatur.

Sint exemplo binae hae propositiones comparativae: *Cicero erat civis melior Catilina. Hispania aeque populosa est, ac Gallia.* Prima falsa est; *attributum* enim *boni civis* Catilinae non convenit gradu positivo. Altera quoque falsa est; quamvis enim *attributum populosa*, Galliae, & Hispaniae conveniat, huic tamen non convenit eo comparationis gradu, qui a propositione enunciatur.

656. NOTA. Notandum tamen, *propositionem comparativam* aliquando veram haberi debere, etsi attributum gradu positivo, & absoluto subjecto non conveniat. Usus enim linguarum magister legem apud omnes nationes statuit, qua quaedam attributa subjecto tribui possunt gradu comparativo, quin illi conveniant gradu positivo, & absoluto.

I. Exempli causa, usu ita statuente, recte dicitur, nec reclamat dialectica, melius esse vitam, quam honorem amittere; etsi bonum non sit aut vitam, aut honorem amittere, ac proinde vitæ amissio non possit esse bonum majus, seu melius honoris amissione.

II. Dici tamen potest ex usu, qui jam passim invaluit, *minus malum*, quum alterum e duobus malis necessario eligendum est, jure censeri debere veluti verum bonum, aut majus bonum.

PROPOSITIONES INDEFINITÆ SUBJECTO, ET LIMITATÆ ATTRIBUTO.

657. DEFINITIO I. *Propositio indefinita subjecto* est propositio affirmativa, aut negativa, in qua subjecti extensio non determinatur ab ullo eorum terminorum, qui illam determinant in propositionibus universali, particulari, aut singulari (604). Hujusmodi est hæc affirmativa: *mulieres, & pueri sunt parum veraces*: aut hæc propositio negativa: *Angli monarchiam non amant*.

I. *Propositio indefinita* inter universalem, & particularem veluti medium tenet; ad primam tamen multo magis, quam ad alteram accedit; & significat, multo maximam speciei partem, quæ ejus subjectum est, illam esse, quam affirmat, aut negat. Re ipsa igitur in universalem recidit addita parva limitatione, quæ etsi non expressa, facile intelligitur.

II. Ut hæc propositio vera sit, satis est attributum convenire, aut non convenire, ut enunciatur, potissimæ subjecti parti, & minimam excipiendam esse.

Ut prima ex propositionibus exemplo allatis vera sit, non sane necesse est mulieres, ac pueros omnes, nullo excepto, in mendacium proclives esse: satis est, exiguum ex his numerum hac nota immunem esse. Qua-

Quare vides hanc propositionem: *homines sunt albi*, veram non esse censendam; æthiopes enim, & mauri, quibus attributum non convenit, nimia sunt subjecti pars.

658. DEFINITIO II. *Propositio limitata attributo* est propositio affirmativa, aut negativa, cujus subjectum in se indefinitum æquivalenter ad illius, quod exprimit, partem limitatur ab attributo, quod totum subjectum respicere plane non potest. Hujusmodi sunt hæ duæ: *Galli sunt strenui milites. Homines justi fiunt gratia Christi.*

I. Prima significat, *attributum*; *strenui milites* non omnibus, nec plerisque Gallis convenire; at iis solum, qui militiæ addicti sunt. Altera significat, non omnes, nón plerosque homines justos esse; at eos, qui in hominum universitate justi sunt, gratia Christi justos esse.

II. Ut hujusmodi propositiones veræ sint, satis est si attributum illi subjecti parti, cui applicari debet, ita conveniat, aut non conveniat, ut a propositione enunciatur.

PROPOSITIONES TUM IN STATU METAPHYSICO, TUM IN PHYSICO OBJECTI SUI CONSIDERATÆ.

659. DEFINITIO I. *Propositio in statu metaphysico objecti sumpta* tantum attributum subjecto convenire, aut non convenire enunciat; ab attributi vero, & subjecti existentia præscindit. Hujusmodi sunt hæ: *tres anguli trianguli rectilinei æquivalent duobus rectis*: *Rex justus magnum regni bonum est*.

Binæ hæ propositiones veræ sunt, sive triangulum rectilineum, & rex justus existant, sive non; ipsæ enim tantum ideas subjecti, & attributi convenire annunciant, quod in rerum statu metaphysico, & per ideas optime haberi potest.

660. DEFINITIO II. *Propositio in physico objecti statu sumpta*, ut sæpius sumi debet, attributi in subjecto existentiam, aut non existentiam annunciat. Hujusmodi sunt hæ: *Cælum est serenum. Aristus non est doctus. Homines in hac vita incommodis sunt obnoxii. Galli Anglis sunt hilariores.*

Patet, has propositiones non tantum velle, attributum subjecto convenire, aut non convenire; at enunciare, re ipsa existere serenitatem in cælo; scientiæ defectum in Aristo; incommoda in hominibus; majorem hilaritatem in Gallis, quam in Anglis.

PROPOSITIONES PRACTICÆ, PROMISSORIÆ, FALSIFICANTES.

Ad præoccupandas quasdam difficultates, quæ propositionum veritati objici possent (100), tres supra enunciatas propositionum species explicemus oportet.

661. DEFINITIO I. *Propositiones practicæ* dicuntur, quæ ipsæ objecti sui veritatem efficiunt; nec veræ sunt, nisi quatenus objecti sui veritatem operantur. Hujusmodi sunt hæ, quas homo Deus pridie quam moreretur super panem, ac vinum pronunciavit, quæ in corporis, & sanguinis sui substantiam mutavit: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.*

I. Harum propositionum hic sensus est: hic, qui modo panis est, in corporis mei substantiam mutatur. Hoc, quod vinum est, in sanguinis mei substantiam mutatur.

II. Fieri nequit, panem dum panis est, & panis naturam servat, esse corpus Christi. At fieri potest, panem miraculo naturam & substantiam suam in corporis Christi substantiam mutantem, ut postremo hujus operis tractatu explicabimus, fieri re ipsa corpus Christi. Idem dicas de vino in Christi sanguinem mutato.

662. DE-

662. DEFINITIO II. *Propositiones promissoria* dicuntur, quæ enunciant duas actiones incompatibiles, præsentem unam, futuram alteram; & quæ veræ esse nequeunt, nisi quatenus ad futuram actionem referuntur, quæ earum objectum est.

I. Exempli gratia: Aristo loquenti silentium indicitur: respondet: *sileo*. Hæc propositio est promissoria.

Falsum est, Aristum silere quum dicit: sileo. Sed verum dixerit, si post hæc vere silentium servat a sua propositione promissum.

II. Pari modo quum Helvetiorum orator cum Galliæ regis legato cœnans inquit: *Regi Galliæ propino*; propositionem promissoriam protulit.

Falsum est, hunc oratorem bibere, quum dicit: propino; at verum dixerit, si immediate post propinationem biberit.

663. DEFINITIO III. *Propositiones falsificantes* cum Dagoumerio eas appellabimus, quæ videntur veræ esse non posse, nisi falsæ sint, nec falsæ, nisi veræ sint.

I. Fingunt Asiæ tyrannum acerrimum mendacii hostem, ponte constructo, hujus custodi præcepisse, ut in fluvium proijciat quemcumque, qui illi mentitus fuerit. Ibrahimus accedit, & ait custodi: *si jussis stare vis, me debes in fluvium projicere.*

En propositionem captiosam. Si enim Ibrahimus verum dicit, falsum est, ipsum in aquas esse dejiciendum, si falsum, verum est, esse dejiciendum.

II. Pari modo fingunt, monachum turcam vovisse, se jejunaturum, donec illi aliquid falsi dicatur in sua eremo. Post aliquod tempus accedit quidam, & ait: *Monache, ut votum solvas, satis jejunasti.*

En quoque captiosam propositionem. Si monachus vere satis jejunavit, non satis jejunavit;

 non-

nondum enim illi aliquid falsi dicitur. Si nondum satis jejunavit, vere satis jejunavit; aliquid enim illi falsi dicitur. Quare si hæc propositio falsa est, vera videtur; si vera, falsa.

III. Pari item modo, mihi liber exhibetur: illum percurro, in eoque hoc tantum invenio: *Quævis propositio hoc volumine descripta falsa est*.

Hujus quoque propositionis veritas falsitatem trahere videtur, & veritas falsitatem. Si enim unica propositio eo libro contenta vera est, falsum dicit, si falsa, verum.

IV. At enimvero si has propositiones captiosas rite perpendamus, videbimus, aut illas nihil dicere, aut si quid dicunt, eas esse aut determinate veras, quin falsæ sint, aut determinate falsas, quin veræ sint.

Si nihil dicunt, jam nec veræ, nec falsæ sunt. Si quid dicunt, aut objecto suo conformes sunt, aut difformes. Si conformes, determinate veræ sunt, nec simul falsæ; si difformes, determinate falsæ sunt, nec simul veræ.

Ut simul veræ, & falsæ essent, objecto suo conformes, & simul difformes esse deberent; quod plane chimæricum, & absurdum est. (47).

SE-

SECTIO TERTIA.

PRÆCEPTA DIALECTICA DE SYLLOGISMO.

HAc sectione primum *de syllogismo simplici*, deinde *de complexo*, postremo *de syllogismi vitiis* agemus. Hoc tribus paragraphis præstabimus.

§. I.

SYLLOGISMUS SIMPLEX.

664. DEFINITIO. S*yllogismus in genere* est ratiocinium tribus propositionibus constans ita dispositis, atque invicem colligatis, ut si primæ duæ veræ sint, *tertia*, quæ ex iis consequitur, necessario vera sit, & demonstrata.

I. Eos dicemus *syllogismos simplices*, qui tribus simplicibus propositionibus (644) constant ita dispositis, & invicem connexis, ut a duabus primis tertia necessario, & evidenter consequatur; ut in duobus sequentibus syllogismis, quorum alter affirmativus est, alter negativus.

Omnis *homo* est mortalis.	Ignis est *materia*:
Aristus est *homo*;	Nulla *materia* est spiritus;
Ergo est mortalis.	Ergo ignis non est spiritus.

II. Dici fortasse possent *syllogismi compositi*, qui aliquam propositionem compositam, aut complexam (645) continent. At hi syllogismi reipsa artificio, & præceptis in simplicem syllogismum recidunt. Quare quum nihil peculiare

habeant, quo a simplici differant, nec peculiare nomen, nec diversa præcepta postulant.

Hujusmodi est, exempli gratia hic syllogismus; Brutus, & Cassius, qui Philippis fracti fuerunt, erant *illustres publicæ libertatis defensores*; atqui quisque *illustris publicæ libertatis defensor* a bonis Romanis civibus amari merebatur; ergo Brutus, & Cassius a bonis Romanis civibus amari merebantur.

III. *Syllogismos complexos* dicemus ratiocinia quædam concludentia, in quibus aliqua propositio est, cujus attributum absolute, & determinate subjecto non est applicatum; cujus attributum aliquid continet aut conditionatum, aut disjunctivum, aut conjunctivum, aut alternativum; cujus attributum ratiocinio ingerit *quamdam idearum complicationem*, *& objectorum*, quæ & ordinem peculiarem, & peculiaria præcepta postulant, ut legitime concludat.

De hoc agemus sequenti paragrapho. Hoc de syllogismo simplici tantum agemus, ad quem qui compositus dici posset, ut adnotavimus, tandem adducitur.

665. NOTA. Dialecticæ principia, & præcepta de syllogismo simplici, generatim cuivis syllogismi speciei accommodantur; ut facile erit intelligere.

Quare principia, & præcepta, quæ nunc de syllogismo simplici tradituri sumus, etiam *complexo* inserviunt, qui licet peculiares leges postulet, semper omnibus syllogismi simplicis præceptis subest.

SYLLOGISMI SIMPLICIS ANALYSIS.

666. OBSERVATIO. *Syllogismus simplex* tribus propositionibus constat, quarum quælibet duos terminos habet, subjectum scilicet, & attributum; ita tamen, ut tria hæc subjecta, & tria attributa non nisi *tres diversos terminos* re

re ipsa efficiant; ut in allatis tribus exemplis præcedenti definitione videbimus. (664).

In iis enim subjectum, & attributum postremæ propositionis, sunt eorum quodlibet, in una ex duabus primis propositionibus; & earum utraque terminum communem habet.

I. In quovis syllogismo primæ duæ propositiones vocantur *præmissa*; tertia *conclusio*, seu consequentia (*a*).

II. Inter præmissas alia *major* dicitur, atque hæc proprie est, cujus subjectum est magis extensum; alia *minor*, cujus subjectum minus extensum est.

In tribus syllogismis ad exemplum allatis (664) major habetur, ac minor. *Major* est prima primi syllogismi propositio; in duobus reliquis est altera.

Attamen usus passim invaluit, ut majori, minorive subjecti extensione neglecta, *major* vocetur prima syllogismi propositio, altera *minor*.

III. In quovis syllogismo duo termini, qui cum tertio comparantur, vocantur *extrema*: terminus comparationis, seu cum quo duo extrema comparantur, vocatur *terminus medius*.

Exempli gratia, in primo præcedenti syllogismo 664); *homo* est medius terminus; *mortalis* extremum unum, *Aristus* alterum.

Pari modo in altero præcedenti syllogismo, *materia* est medius terminus, seu terminus comparationis: *ignis*, & *spiritus* sunt duo extrema.

Tandem in tertio, *illustris publicæ libertatis defensor* est terminus medius; *Brutus*, *& Cassius*,

(a) *ETYMOLOGIA. Præmissa*, a voce Præmissus, *quasi prius missus. Propositiones conclusionem præcedentes, & ad illam aut producendam, aut statuendam instituta.*

sius, extremum unum ; *a bonis Romanis civibus amari merens*, extremum alterum,

667. NOTA I. In omni syllogismo *terminus medius in utraque præmissa, nunquam in conclusione reperitur :* Terminus enim medius ad hoc tantum institutus est, ut sit extremis terminus comparationis in præmissis, & inserviat inferendæ identitati, aut non identitati horum duorum extremorum in conclusione.

I. Si primum extremum cum medio termino identitatem habent, & alterum quoque cum hoc eodem medio identitatem habeat; infertur *duorum extremorum inter se identitas* in conclusione, quæ tunc est propositio affirmativa. (52).

II. Si extremorum alterutrum cum medio identitatem habeat, alterum vero non item ; infertur *non identitas duorum extremorum inter se* in conclusione, quæ tunc est propositio negativa.

668. NOTA II. In quovis syllogismo *duo extrema semper necessario in conclusione reperiuntur*. Postquam enim in præmissis cum medio fuerunt comparata, mens illa necessario in conclusione comparat, necessario inferens ex eorum cum termino medio comparatione, num simul conveniant, an non conveniant.

669. NOTA III. In quovis syllogismo *conclusio semper re ipsa, etsi ut plurimum implicite, in præmissis contineri debet*. Ceterum a præmissis deduci nequiret.

In tribus præcedentibns syllogismis (664), & generatim in quovis syllogismo simplici, aut composito, conclusio implicite quidem, at re ipsa in præmissis continetur.

In aliquo syllogismo complexo, de quo paragrapho sequenti, altera ex præmissis conclusionem implicite continet.

EN-

ENTHYMEMA, SEU SYLLOGISMUS MUTILUS.

670. DEFINITIO. *Enthymema* est syllogismus mutilus, seu in quo altera præmissarum subauditur. Quare ratiocinium est duabus tantum propositionibus constans, præmissa una, scilicet, & conclusione. Ex subaudita præmissa concludit, quæ, licet subaudita, in consequentiam influit.

Hoc ratiocinium in syllogismum simplicem, aut in complexum re ipsa recidit, pro præmissæ, quam continet, & alterius, quam supponit, natura.

I. In syllogismum simplicem recidit hoc enthymema. *Aristus est calumniator, ergo a bonorum consortio excludendus.*

In hoc syllogismo mutilo subauditur hæc major: *omnis calumniator a bonorum consortio est excludendus.*

II. In syllogismum complexum recidit hoc enthymema: *Si Aristus est reus, puniendus est; ergo Aristus est puniendus.*

In hoc syllogismo mutilo subauditur hæc minor; *atqui Aristus est reus.*

SYLLOGISMI PRINCIPIA.

671. OBSERVATIO. Quilibet syllogismus necessario aut affirmativus est, aut negativus; in quovis enim syllogismo conclusio necessario affirmat, aut negat duorum terminorum identitatem, qui in præmissis cum medio termino fuerunt comparati. *Syllogismus affirmativus* duabus præmissis affirmativis constat, & conclusione quoque affirmativa. *Syllogismus negativus* constat præmissa negativa, altera affirmativa, & conclusione negativa. Alterutra ex præmissis affirmativa esse potest.

I. Syl-

I. Syllogismi affirmativi basis, ac fundamentum est hoc evidens principium: *Quæ duo sunt identificata uni tertio sunt identificata inter se*.

Quum mens evidenter novit, primum extremum medio termino identificari, alterum quoque extremum huic eidem medio identificari; infert plena certitudine, extrema inter se identificari; seu bina hæc extrema, duarum idearum objecta, re ipsa unum, & idem esse.

II. Negativi syllogismi basis, & fundamentum est hoc aliud æque evidens principium: *Si duorum unum tertio identificatum sit, alterum non item; illa duo non sunt inter se identificata*.

Quum mens evidenter vidit, extremorum unum termino medio identificari, alterum non item; infert plena certitudine, illa duo extrema non esse inter se identificata, seu unum non esse aliud.

Alibi ostendimus qua ratione omnium disciplinarum bono hoc præcipuum dialecticæ principium genericum fieri possit. (52).

IDEÆ MEDIÆ IN SYLLOGISMO.

672. OBSERVATIO. Sæpe numero *in inquirenda veritate* contingit, duorum æqualitatem, aut inæqualitatem, identitatem, aut non identitatem dignosci non posse; nisi singula successive cum tertio noto comparemus, quod illis sit terminus communis comparationis.

Hoc evenire debet, & profecto evenit sive in physicis, sive in mathematicis, sive in moralibus, quotiescumque duo, quorum æqualitatem, aut inæqualitatem, identitatem, aut non identitatem investigamus, invicem immediate comparari nequeunt, neque inter se comparari possunt, nisi *tertio aliquo interposito*, quod sit veluti inter illa duo mensura communis, & eorum respectum detegat.

673.

673. EXPLICATIO I. Sæpius *duorum sensibilium æqualitatem, aut inæqualitatem noscere* nequimus, nisi utrumque uni tertio successive comparemus, quod medii termini inter illa vices gerat. Exempli gratia, (fig. 4.)

I. Scire nequeo, æque gravia sint, nec ne duo corpora homogenea, aut heterogenea, ut A, & B, quorum unum Parisiis est, alterum Versaliis; quæ tamen eandem ferme materiæ massam continere videntur, neque ejusdem bilancis lancibus imponere possum; nisi utriusque gravitatem successive cum tertio corpore P comparando.

Concipio ambo corpora A, & B æque gravia esse, si utrumque seorsim ejusdem tertii P gravitatem æquet; non vero æque gravia esse, si alterum tertii hujus P gravitatem æquat, alterum non item.

In his, ut de duorum sensibilium æqualitate, aut inæqualitate decernam, quorum respectum, seu rationem inquiro, unico *medio termino*, scilicet corpore P indigeo.

II. Pari modo scire nequeo sint ne æque longæ lineæ duæ AB, & CD, quæ ferme æquales videntur, nisi eas communi mensuræ RS successive applicem. (fig. 7).

Has duas lineas, quarum rationem inquiro, æquales esse concipio, si earum utraque eidem communi mensuræ RS æqualis sit; esse vero inæquales, si huic eidem communi mensuræ altera æqualis sit, altera inæqualis.

Hic ut de æqualitate, vel inæqualitate duorum metiendorum definiam, unico termino medio, sive *unica idea media* indigeo, linea scilicet RS.

674. EXPLICATIO II. Sæpius *duarum idearum objectivarum identitas, aut non identitas* dignosci nequit, nisi eas uni termini ideæ objective comparando, quæ sit inter ipsas terminus comparationis; ut in duobus, aut tribus exemplis,

plis, quæ subijciemus, quæque aliis sexcentis accommodari poterunt, facile patebit.

I. Video Londini Judæum, & hæreticum invisibile cultus sui objectum devote adorare: ille *Yehovah*, hic *God* adorat.

Scire cupidus num eorum cultus objectum idem, an diversum sit, seorsim ab utroque peto, num objectum, quod colunt sit *Spiritus increatus*, *&* *creator*. Respondet uterque affirmative.

Hinc infero, *objectum*, *quod colunt*, unum & idem esse, utriusque enim est spiritus increatus, & creator.

Idea objectiva spiritus increati, & creatoris est *idea media*, quæ mihi prodit identitatem antea ignotam inter ideas God, & Yehovah.

II. Deinde Pekini duos Sinenses video devote id adorare, quod *Cælum* dicunt.

Seorsim de eorum cultus objecto interrogati, respondent; alter quidem sui cultus objectum esse *spiritum increatum*, *&* *creatorem*, *qui cælum condidit*; alter vero sui cultus objectum esse non spiritum increatum, & creatorem, sed *cælum ipsum materiale*, quod aspicit.

Hinc infero, *objectum cultus horum Sinensium* non esse identice idem; alterius enim objectum cum spiritu increato, & creatore identificatum est, alterius non item.

Idea objectiva spiritus increati, & creatoris est *idea media*, quæ mihi prodidit non identitatem antea ignotam duarum idearum objectivarum, quæ termino communi *cæli* in duorum Sinensium mentibus adnexæ erant.

III. Tandem aliquibus similibus *ideis mediis* tantum veræ rerum ideæ dignosci, ac statui possunt in diversis gentibus, & in diversis religionibus; imo vero hoc tantum pacto infinitis inanibus concertationibus de moralibus, & de metaphysicis finis tandem fieret.

Exem-

Exempli causa, quum quis impio quodam œstro elatus in religionem generatim invehitur, pete ab eo, num suis censuris, ac maledictis *religiosi cultus exercitium*, & *legi divinæ obsequium* damnare velit.

Vel centuplo pignore contenderem, *ideam hanc mediam* illi oblatam patefacturam, id, in quod ipse invehitur, non id esse, in quod invehi vult.

675. EXPLICATIO III. *Cujusvis syllogismi scopus* est duarum idearum objectivarum, quarum altera conclusionis subjectum est, altera attributum, identitatem, aut non identitatem statuere, post comparatas has ideas cum tertia quoque objectiva, quæ illis fuit terminus comparationis.

Terminus comparationis, seu terminus medius duarum idearum objectivarum identitatem prodit, si utrique æque conveniat; non identitatem si uni tantum, non vero æque alteri conveniat.

VARIÆ IDENTITATIS SPECIES.

676. OBSERVATIO. *Terminus identitatis* diversa significatione accipitur pro objectorum, quibus adhibetur, diversitate. In diversis ratiocinii objectis aliquando de identitate naturæ, modo de identitate magnitudinis, modo de identitate proprietatum sermo est. (31, & 32).

I. *Identitas naturæ* unam, eamdemque naturam exprimit, non vero naturas duas perfecte similes, & æquales; Exempli causa.

Identitas naturæ inest duabus his ideis objectivis: *Deus*, & *spiritus increatus*, & *creator*; inter has: *homo*, & *principium intelligentia*, & *sensu praditum*; inter has: *triangulum*, & *figura tribus angulis*, & *tribus lateribus constans*; unius enim objectum re ipsa est alte-

alterius objectum; seu quia unius objectum nulla ratione in se, & per se est ab alterius objecto distinctum.

II. *Identitas magnitudinis* physicæ, aut mathematicæ exprimit magnitudinem omnino æqualem inter duo objecta, quorum unum non est aliud; Exempli gratia:

Datur identitas magnitudinis inter duos cubos materia conflatos omnino homogenea, & ejusdem diametri; licet primus omnino non sit alter.

Pari modo identitas magnitudinis mathemacæ habetur inter parallelogrammum rectangulum A B C D, & parallelogrammum obliquangulum A B S T A, quorum æquales sunt bases, & altitudines; etsi una ex his figuris nullo pacto sit altera; & una, si lubet, in Gallia sit, altera in Britannia. (fig. 3).

III. *Identitas proprietatum* dicit proprietates omnino similes in pluribus objectis, quorum ûnum non est aliud. Exempli gratia:

Identitas proprietatum naturalium, & physicarum habetur inter homines, qui modo vivunt, & eos, qui Cæsaris, & Alexandri ætatibus vixerunt.

Pari modo identitas proprietatum naturalium, & physicarum habetur inter duas massas auri homogenei, inter duas similes quantitates mercurii homogenei, aquæ homogeneæ; cetera.

677. NOTA. In dialectica passim de identitate, aut de non identitate naturæ sermo est. In mathematicis vix alia attenditur identitas, præter quantitatis identitatem. In physicis, & in historia naturali ferme de proprietatum identitate, aut non identitate sermo est.

Præcepta, quæ mox de syllogismo trademus, æque *tribus* hisce *identitatum speciebus* conveniunt; conveniunt enim omni, quod haberi

ri possit, objecto, quod esse potest aut unum ex extremis, aut terminus medius syllogismi.

IDEÆ MEDIÆ IN INQUIRENDA VERITATE.

678. OBSERVATIO. *Veritatis inquisitio* est relationum, quas res inter se habent, investigatio, sive ratione naturæ, sive magnitudinis, sive proprietatum.

I. Quum sæpius duo, quorum mutuam relationem investigamus, immediate invicem comparari nequeant (672): sæpissime in inquirenda veritate quibusdam ideis mediis indigemus, quæ modo unam, modo plures relationes, modo seriem certarum, & notarum relationum inter illa duo comparanda statuere possint.

II. Patet harum *mediarum relationum* investigationem ingenii, & industriæ munus esse.

Quare dialectica nulla de hoc præcepta tradere potest. Tantum ingenium erudire potest, ut apte divitiis hisce industria sua comparatis utatur, sive syllogismo simplici, de quo hoc paragrapho, sive soryte, de quo sequenti acturi sumus. (725, & 743).

679. EXPLICATIO I. Ut duorum inter se relationem detegamus, & ostendamus, quæ invicem immediate comparari nequeant, aliquando *unica tantum idea media* indigemus, quæ satis eorum relationem indicat, ut superius abunde docuimus. (673, & 674).

680. EXPLICATIO II. Ut duorum inter se relationem detegamus, & ostendamus unica idea media aliquando non est satis, at *pluribus ideis mediis disjunctis* indigemus, quæ diversarum partium rerum comparandarum relationes detegendo, etiam rerum totarum simul, seu duorum totorum relationes tandem patefaciant. (fig. 3).

Exempli gratia, si ob oculos habeam hinc pa-

parallelogrammum rectangulum ABCD, inde parallelogrammum obliquangulum ABSTA, ejusdem basis AB, & ejusdem altitudinis BC, seu BT: harum duarum diversarum figurarum ideam, & imaginem habebo. At vero prima ne figura alteri æqualis est? Hoc sola harum figurarum inspectione, aut idea definire nequeo. Ut hoc assequar mihi *nonnulla idea media* inquirendæ, & inveniendæ sunt, quæ partialem ad utrumque parallelogrammum relationem habeant, & mihi sint veluti communis mensura, qua integram eorum relationem detegam.

I. Cogitatione itaque æquales bases AB alteram alteri impono, & *primam ideam mediam* mihi assumo harum figurarum partem ABM, quæ & parallelogrammo rectangulo ABCD, & obliquangulo ABSTA, seu AB*ts*A communis est.

II. Assumo deinde mihi *alteram ideam mediam* triangulum CM*t*, quod simul addo & parti reliquæ AMCD trianguli rectanguli, & parti reliquæ BM*ts*B parallegrammi obliquanguli. Hinc habeo triangula duo D*t*B, & C*s*B, quæ evidenter superficie æqualia sunt: quare dempta parte CM*t* ambobus triangulis communi, habebo duo reliqua AMCD, & BM*ts*, quæ quoque superficie æqualia erunt, & quæ sunt residua ipsa utriusque parallelogrammi.

Hinc nulla alia idea media indigens, inter has duas figuras *identitatem* magnitudinis detego, & demonstro. (Math. 440).

681. EXPLICATIO III. Ut duorum inter se relationem detegam, & ostendam aliquando neque plures ideæ mediæ disjunctæ satis mihi sunt, quæ partiales, & solitarias relationes statuant; at *perpetua idearum mediarum serie indigeo*, quæ ita selectæ, & inter se nexæ sint, ut quæ inter primam, & alteram relatio intercedit, ea inter hanc, & tertiam, inter ter-

tertiam, & quartam intercedat; adeo ut *rerum comparandarum relatio* a prima ad postremam hac perpetua serie veluti transmittatur. Exempli gratia.

Posito, verum, ac certum esse, impium in altera vita punitum iri, investigare possum num *impii pœna* in altera vita inferat *impii libertatem* in præsenti. At vero hoc non nisi *idearum medarum serie* invenire possum, qua impii pœna cum ejus libertate connexa, aut non connexa patefiat.

I. Ut hoc assequar, animadverto primo, impii pœnam in futura vita non nisi a supremo naturæ domino infligi posse, qui propterea vel mediate, vel immediate hujus pœnæ auctor erit.

Idea igitur hujus *pœnæ* ejus *auctoris* ideæ immediate connexa est. En mihi primam ideam mediam.

Idea auctoris hujus pœnæ, qui natura infinite justus est, immediate connexa est ideæ *criminis in subjecto punito*. En alteram mihi ideam mediam, qua primi termini ad alterum relatio jam a primo ad tertium eransfertur.

Idea criminis in subjecto punito immediate connexa est ideæ *veræ facultatis in ipso crimen non perpetrandi*. En tertiam mihi ideam mediam, qua primi termini ad alterum relatio jam a primo ad quartum transfertur.

Idea veræ facultatis crimen non perpetrandi in subjecto punito immediate connexa est ideæ veræ, perfectæque facultatis in ipso omittendi crimen, quod perpetravit, bene agendi, quod neglexit, ac proinde ideæ *veræ*, *perfectæque libertatis*. En quartam mihi, ac postremam ideam mediam, qua primi termini ad alterum relatio a primo ad quintum transit, & qua impii pœna in vita futura tandem cum impii libertate in præsenti vita connexa demonstratur.

II. Quatuor hæ ideæ mediæ singulæ singulis syl-

syllogismis efferri possunt: tunc vero perpetua series erit *syllogismorum series*.

Singulæ quoque singulis solitariis propositionibus efferri possunt; tunc vero perpetua series id erit, quod alibi *sorytem*, seu *argumentum per gradus* nuncupabimus (725, & 742).

Unicum hoc exemplum satis erit, ut pateat, qua ratione *perpetua idearum mediarum series* instituenda sit sive in moralibus, sive in metaphysicis, sive in ipsis mathematicis.

Postremum hoc exemplum a Lockio mutuati sumus. A ratione, qua illud protulimus videre poteris, si libuerit, quomodo auctoris alicujus ideis uti possis, quin tu ipse auctor esse desinas.

MEDIUM DEMONSTRATIONIS.

682. OBSERVATIO. Alibi de eo, quod demonstrationis medium appellatur aliqua tradidimus. Non tamen abs re erit illa huc referre, & ad dialecticam speciatim accommodare (76).

I. In omnibus disciplinis *Medium demonstrationis* ratio illa dicitur, qua innitimur, & a qua initium facimus veritatem aliquam demonstrandi, sive hæc speculativa sit, sive practica.

Patet, rationem hanc qualemcumque, cui innitimur, & a qua initium demonstrandi facimus, ut verum demonstrationis medium sit, *re ipsa* cum re demonstranda *connexam* esse debere; ceterum nihil demonstraret, aut statueret. Porro nexus iste id est, quod ostendere contendimus ratiociniis, quæ medium demonstrationis cum re demonstranda connectunt.

Exempli causa, si atheo ostendere volo existentiam entis increati, & creantis, medium demonstrationis meæ facere possum *mirum ordinem naturæ visibilis*, illique ostendere, hunc

cr-

ordinem, quem vere dari noscit, omnino connexum esse existentiæ entis increati, & creantis, quod non noscit, aut se non noscere simulat.

Hac quoque ratione sensus intimi, idearum, sensationum, hominum testimonium *verum est medium demonstrationis*; sensus enim intimi testimonium rei, quæ sentitur, idearum naturæ, atque exigentiæ rei repræsentatæ, sensationum existentiæ corporum, a quibus excitantur, hominum quibusdam conditionibus convestitum factis historicis, quæ refert, omnino connexum est; ut fusius, & firmissime toto de certitudine tractatu ostendimus.

II. In dialectica peculiariter *medium demonstrationis* dicitur propositio vera, ac certa, a qua statuenda, ac demonstranda propositio deducitur.

Quæ quum ita sint, tum in dialectica, tum in ceteris disciplinis demonstrationis medium ratio illa est, cui innitimur, & a qua veritatis alicujus sive speculativæ, sive practicæ demonstrandæ initium facimus; hoc tantum discrimine, quod in dialectica ratio ista, seu medium sumitur veluti axioma in aliqua propositione, quæ ut certa, & inconcussa admittatur.

Exempli gratia, ut Deum existere atheo ostendam ita procedam: „ In natura visibili *mirus est ordo*, qui omnes ejus partes disponit, „ earum actiones dirigit, ipsamque naturam „ perpetuo servat. Ergo in natura existit Ens „ infinite sapiens, ac potens, quod solum potest mirum hunc ordinem in illa statuisse, „ ipsumque perpetuo servare; quodque nihil „ aliud esse potest, nisi id, quod ego *Deum* „ voco ".

Harum propositionum prima, sive hujus enthymematis antecedens (670) est *medium demonstrationis* faciendæ; hoc vero ut certum, & in-

inconcussum ab atheo ipso admittitur. Reliquum itaque tantum erit, ut illi *necessarium hujus medii nexum* ostendam cum Dei existentia, quam demonstrative inferre contendo; hoc vero assequi facile erit, ut sequenti tractatu videbimus. In eo apparebit, præcipue cum atheo disputanti curandum esse, ne ille a certis principiis, & hac illac divertat, & ut illi palam fiat suorum effugiorum futilitas, quibus demonstrationis conclusionem, quæ a principio ab ipso admisso fluit, atque ipsum proterit, declinare conatur.

683. NOTA. Patet ex dictis, *medium demonstrationis re demonstranda certius, & notius esse debere;* ab hoc enim certa, & nitida rei demonstrandæ cognitio deduci debet.

Hinc axioma dialecticum: *Medium debet esse prius re demonstranda.* Notandum tamen in hoc axiomate agi *de prioritate cognitionis*, & *certitudinis*, non naturæ, & existentiæ; patet enim effectum esse verum demonstrationis medium suæ causæ, etsi effectus prior causa non sit natura, & existentia.

GENERICA DE PRÆCEPTIS SYLLOGISMI.

684. OBSERVATIO. Dialectica in suis de syllogismo præceptis est *ars scientifica alterum ab altero inferendi;* sive ars scientifica propositionem ab aliis duabus deducendi.

Hinc binæ sequentes assertiones, quarum evidentia ut eluceat, apta dumtaxat explicatione indigent.

685. ASSERTIO I. *Dialectica preceptorum objectum immediatum non est veritas premissarum, aut conclusionis; sed premissarum in conclusionem influxus.*

EXPLICATIO. Si conclusio, (vera, aut falsa sit, ut propositio) recte a præmissis fluit, a dialectica probatur; si vero, quæcumque sit, a præ-

a præmissis recte non descendit, reprobatur. Exempli causa;

I. In sequentibus duobus ratiociniis prima conclusio a dialectica probatur; est enim juxta præcepta: altera reprobatur; non enim est juxta præcepta.

Prima, ut propositio, falsa est, non enim objecto suo conformis est; *vera* tamen *ut consequentia*; recte enim a præmissis fluit.

Altera contra vera est ut propositio, *falsa ut consequentia*; est enim objecto suo conformis; at a præmissis non recte fluit (100, & 101).

Omne triangulum est *quadratum;*
Sed omne *quadratum* habet quatuor latera,
Ergo omne triangulum habet quatuor latera.

Leo non est *homo;*
Silex non est *homo;*
Ergo leo non est silex.

II. Dialecticæ objectum est suis scientificis præceptis de arte ratiocinandi semper rectam consequentiam, *legitimam illationem* deducere. Hac in re ad hoc unum est instituta.

Tunc vero dialectici munus est ingenii sui ministerio perpendere, num præmissæ, quibus ad conclusionem deducendam utitur, sint propositiones in se veræ, aut falsæ: hoc vero a dialectica prorsus alienum est.

686. ASSERTIO II. *Dialectica præcepta de syllogismo generica sunt, & quemvis syllogismum, qui fieri possit, respiciunt, qualecumque sit hujus objectum.*

EXPLICATIO. Si præcepta hæc certa sunt, patet, si iis stemus, semper certum, atque concludens ratiocinium effecturos; sive præmissarum objectum res sint, quæ natura inter se conveniant, aut secus, ut sunt mathematica; sive res sint, quæ per accidens tantum in-

ter ſe conveniant, aut ſecus; ut plerumque phyſica ſunt.

Quare de his præceptis hoc tantum curandum eſt, ut *eorum certitudinem* aliquando ſtatuamus; ſive ut apte oſtendamus,

I. In omni ſyllogiſmo dialecticis hiſce præceptis conformi ſemper illationem eſſe neceſſario veram, legitimam, inconcuſſam.

II. In quovis ſyllogiſmo hiſce præceptis non conformi illationem ſemper eſſe, aut eſſe poſſe fallacem; ac propterea nullam eſſe cenſendam.

PRÆCEPTA DE SYLLOGISMO.

687. PRÆCEPTUM I. *Syllogiſmus tres tantum terminos habere debet; ſcilicet duo extrema, & terminum medium.*

DEMONSTRATIO. In quovis ſyllogiſmo oſtendere contendimus identitatem, aut non identitatem inter duo (675), hæc cum tertio conferendo, quod illis ſit terminus comparationis. Oſtendendum itaque hic eſt, ſi præter tertium alius terminus ſit, ſive ſi in ſyllogiſmo *quartus terminus quicumque* ſit, illationem nullam eſſe tum in ſyllogiſmo affirmativo, tum in negativo.

I. Sumamus primo, ut caſus offert, duo, ſive *ideas duas objectivas*, quarum altera tertiæ, altera quartæ identificata ſit. Patet, non inde ſequi, inter primam, & alteram *re ipſa identitatem* haberi. Facile hoc videbimus exemplo ſequenti, & aliis ſexcentis huic ſimilibus, quæ huic ſuffici poterunt. „Triangulum identificatum eſt *figura trium angulorum*, & „ trium laterum: quadrilaterum identificatum „ eſt *figura quatuor angulorum*, & quatuor la„ terum; ergo triangulum eſt identificatum „ quadrilatero".

II. Deinde, quoque ut caſus offert, duo, ſive

sive *ideas duas objectivas* sumamus, quarum altera cum tertia identificata sit, altera cum quarta non item. Patet, non inde sequi, primam cum altera esse identificatam, ut exemplo sequenti, & aliis similibus sexcentis illi sufficiendis videre est, unam eamdemque rem diversis modis considerando „ Cæsar fuit *magnus imperator*: victor Pharsalicus non fuit „ magnus poeta; ergo Cæsar non fuit victor „ Pharsalicus ".

Ut ergo syllogismus concludat, *unicus* haberi debet *terminus comparationis*, qui duorum terminorum invicem secum comparatorum identitatem, aut non identitatem ostendat.

Ergo quilibet syllogismus *tres terminos*, & tres tantum habere debet; quippe vel unus præterea, quem nos *quartum terminum* appellabimus, falsam efficit illationem; quare vel ipsam syllogismi naturam destruit, quæ in recta, ac legitima illatione deducenda sita est. Q. E. D.

688. PRÆCEPTUM II. *Terminus medius universaliter, & tota sua amplitudine, saltem in alterutra præmissarum, sumendus est.*

DEMONSTRATIO. Si medius terminus ita non sumatur, *unam sui partem* in majori, *alteram* in minori repræsentare poterit: hoc est, aliquid in illa, aliud in hac significare poterit; quod syllogismo duplicem ingeret terminum comparationis, ac proinde quatuor terminos.

Tunc duo extrema, quæ *cum hoc medio termino æquivalenter duplici* conferuntur, fieri poterit, ut diversis totius partibus ab ipso expressis conveniant, aut non conveniant; ut in sequentis notæ exemplis videbimus. Quamobrem quilibet syllogismus pari medio termino confectus, quatuor æquivalenter terminos habebit, aut habere poterit; proinde neque identitatem, neque non identitatem duorum extremorum in-

ter se hoc syllogismo inferes; ut præcedenti præcepto demonstravimus.

Ut ergo syllogismus rectus sit, atque concludens, necesse est, *medium terminum* universim, & tota sua amplitudine sumi saltem in præmissarum alterutra, in majori scilicet, aut in minori promiscue; ut quod in ea exprimit, in qua aliqua limitatione sumi possit, in altera, in qua nulla limitatione sumitur, contineatur. Q. E. D.

689. NOTA I. Quatuor argumenta sequentia in hoc alterum præceptum peccant, quod inter syllogismi præcepta præcipuum est. Vitio laborant, propterea quia *terminus medius* tota sua amplitudine non sumitur in ulla præmissarum affirmativarum, in quibus attributi loco est (607).

Primum argumentum vitiosum.
(Omnis lux est *substantia*.
(Omne marmor est *substantia*;
(Ergo omnis lux est marmor.

Alterum argumentum vitiosum.) In Sancta) Trinitate
(Pater est *Deus*;
(Filius est *Deus*;
(Ergo Pater est Filius.

Tertium argumentum vitiosum.
(Polonia est *contigua Germaniæ*.
(Gallia est *contigua Germaniæ*;
(Ergo Polonia est contigua Galliæ.

Quartum argumentum vitiosum.
(Aristus est *amicus Clitandri*.
(Eudoxus est *amicus Clitandri*;
(Ergo Aristus est amicus Eudoxi.

I. In primo argumento medius terminus *substantia* una illius, quod exprimit, parte sumitur, quum luci tribuitur, altera illius, quod exprimit, parte, quum marmori tribuitur.

Omnis quidem lux est substantia: non tamen omnis substantia. Vel, si mavis, omnis lux est illius

illius portio, quod substantiæ nomine significatur, non id omne, quod hac voce significatur. Idem dicas de marmore, quod quidem substantia est, non vero omnis substantia.

II. In altero argumento medius terminus *Deus* divinis personis sejunctim sumptis applicatus, & limitatus, in majori sumitur una suæ significationis parte, altera in minori.

Terminus *Deus* universim, & tota sua amplitudine sumptus totam divinam naturam exprimit in tribus distinctis personis subsistentem. Hic idem terminus ad partem suæ amplitudinis limitatus divinam naturam exprimit quatenus in una ex divinis personis subsistit, puta, in Filio. Unica divina persona Deus est; non tamen id omne, quod Deus est (157).

III. In tertio argumento medius terminus, *contingua Germaniæ*, unam contiguitatem exprimit in majori, alteram in minori. Germaniæ cum Polonia contiguitas non est Germaniæ cum Gallia contiguitas.

IV. In quarto argumento terminus medius, *amicus Clitandri*, unus est, nempe Aristus in majori; alter, nempe Eudoxus in minori.

690. NOTA II. Hæc vitia in duobus sequentibus argumentis non invenies, in quibus termini medii respectivi, *vitium*, & *Anglus* universim, & tota amplitudine sumuntur, primus in una, alter in utraque præmissa.

Omne *vitium* est contemnendum;
Atqui simulatio est *vitium*.
Ergo simulatio est contemnenda.

Omnis *Anglus* legibus subest.
Atqui omnis *Anglus* est liber;
Ergo aliquis liber legibus subest.

691. PRÆCEPTUM III. *Extrema, sive duo termini, qui cum medio comparantur, ma-*

gis in conclusione, quam in præmissis extendi non debent.

DEMONSTRATIO. Evidens est, extrema in conclusione conjungi, aut sejungi non posse, nisi ex ipsorum conjunctione, aut separatione in termino comparationis effecta. Ergo in conclusione conjungi, aut sejungi nequeunt, nisi ut *in termino comparationis* conjuncta, aut sejuncta fuerunt. Ergo neutrum extremum magis in conclusione extendi potest, quam in præmissis extensum fuerit, in quibus termino comparationis collatum fuerit. Exempli causa;

I. Si video, utrumque extremum, quorum alterutrum ad suæ amplitudinis partem coarctatum sit, convenire *termino comparationis*; illa conjungo, & *eorum identitatem* infero.

II. Si contra video extremorum alterum convenire termino comparationis, alterum non item; illa sejungo, & eorum *non identitatem* infero.

III. At vero patet, me in conclusione extremorum identitatem, aut non identitatem inferre non posse, nisi quatenus illa eadem tantum significatione, eademque tantum amplitudine sumo, quam in præmissis obtinent. Ceterum a præmissis quod iis non inest educerem: quod absurdum; aut inepte inferrem, *eandem relationem, quæ inter duo habetur*, tunc etiam habitum iri, quum altera majori amplitudine sumetur, ac alterius natura re ipsa mutabitur. Q. E. D.

692. NOTA. Bina argumenta sequentia in hoc præceptum peccant. Vitio laborant propterea quia *attributum conclusionis*, quod unum ex extremis est magis in conclusione, quam in præmissis extenditur.

Pri-

Primum argumentum vitiosum. (Omnis *Gallus* est europæus.
(Atqui nullus Anglus est *Gallus*;
(Ergo nullus Anglus est europæus

Alterum argumentum vitiosum. (*Polonia* est proxima Germaniæ.
(Atqui Gallia non est *Polonia*;
(Ergo Gallia non est proxima Germaniæ.

I. In primo horum argumentorum attributum *europæus* tota sua amplitudine sumitur in conclusione negativa; etsi tantum secundum partem sumatur in majori affirmativa. In majori attributum unum tantum ex iis entibus includit, quibus europæi qualitas competit: in conclusione attribuitum ens quodcumque excludit, cui europæi qualitas conpetit (607, & 608).

II. In altero attributum *proxima Germaniæ* omnem proximitatem excludit Germaniæ in conclusione negativa; etsi proximitatem Poloniæ tantum includat Germaniæ in majori affirmativa.

Vitium ab hoc præcepto damnatum unus ex præcipuis falsarum conclusionum fontibus est; ut innumeris exemplis apparebit.

693. PRÆCEPTUM IV. *Si binæ præmissæ negativæ sint, conclusio nulla erit.*

DEMONSTRATIO. I. Quod duo, aut duæ ideæ objectivæ *uni tertiæ non conveniant*, inferri nequit, *eas inter se non convenire*. Ut binis sequentibus exemplis apparebit, quæ innumeris similibus accommodabis, unam, eamdemque rem duobus diversis aspectibus considerando.

Ludovicus decimus sextus non est Sinarum imperator.
Rex Galliæ non est Sinarum imperator;
Ergo Ludovicus decimus sextus non est rex Galliæ.

Aurum non est stamnum.
Metallorum pretiosissimum non est stamnum;
Ergo aurum non est metallorum pretiosissimum.

II. Quod duo, aut duæ ideæ objectivæ *uni tertiæ non conveniant*, non importat, ista duo sive istas duas ideas objectivas *inter se convenire*. Hoc exemplo sequenti patebit, quod aliis accommodabis.

Musca non est elephas.
Ovis non est elephas;
Ergo musca est ovis.

Quare patet, ex duabus præmissis negativis conclusionem neque affirmativam, neque negativam derivari posse; si vero quid deducatur, id semper nullum, & inane invenietur. Q. E. D.

694. NOTA I. Ut cavillationibus aditus præcludatur, quæ in hoc præceptum excogitari possent, animadvertendum est, *quasdam esse propositiones specie quidem negativas, re ipsa tamen in syllogismo affirmativis æquivalentes; ac proinde conclusionem non vitiantes*.

I. Exemplo sit hic syllogismus optime concludens: „ qui non studet nihil scit; Aristus „ non studet; ergo Aristus nihil scit ".

In hoc syllogismo minor æquivalenter affirmativa est; enunciat enim, Aristum inter eos esse, de quibus major loquitur, seu qui non student, & nihil sciunt.

II. Ut ostendamus, hanc minorem, quæ extra syllogismum negativa esset, in syllogismo affirmativæ æquivalere, satis est animadvertere, *in quovis syllogismo medium terminum eundem esse debere pro utraque præmissa*.

Atqui, si syllogismus evolvatur, medius terminus erit *non studens* in utraque præmissa hoc pa-

pacto.„ Non studens nihil scit. Aristus est non „ studens; ergo Aristus nihil scit".

695. NOTA II. In argumento tribus propositionibus negativis constante postrema propositio vera esse potest ut propositio, non ut conclusio; ut in hoc argumento. „ Aquila non est „ leo. Formica non est leo; ergo Aquila non „ est formica".

Postrema hæc propositio vera est ut propositio; conformis est enim objecto suo; falsa *ut conclusio*, non enim a præmissis descendit. (685).

696. PRÆCEPTUM V. *Si altera præmissarum affirmativa sit, altera negativa, conclusio erit negativa; si altera præmissarum absoluta sit, altera hypothetica, conclusio erit hypothetica; si altera præmissarum universalis sit, altera particularis, conclusio erit particularis.*

EXPLICATIO. In scholis præceptum hoc passim ita enunciatur: *conclusio sequitur debiliorem partem*; quod idem est, & minus clare. Tres partes continet singillatim explicandas.

697. DEMONSTRATIO I. Si præmissarum altera affirmativa sit, altera negativa, *conclusio erit negativa.*

Quod enim duo extrema in præmissis, in quibus cum medio termino comparantur, *inter se non convenire* inveniantur, non probat illa in conclusione *convenientia* fieri posse; imo probat oppositum; ergo conclusio semper erit negativa.

In tabula figurarum syllogisticarum (709) videbimus præmissas duas, quarum altera affirmativa sit, altera negativa, semper conclusionem negativam efficere; quæcumque syllogismi figura sit.

698. DEMONSTRATIO II. Si præmissarum altera absoluta sit, altera hypothetica, *conclusio semper erit hypothetica.*

Duo extrema siquidem in conclusione invi-

cem conjungi, aut sejungi nequeunt, nisi ratione eorum conjunctionis, aut separationis in præmissis, in quibus cum medio termino fuerunt comparata. Si ergo in præmissis hypothetice tantum conjuncta, aut sejuncta fuerunt, non nisi hypothetice in conclusione conjungi, aut sejungi poterunt.

In sequenti syllogismo, quod aliis exemplo erit, conclusio hypothetica est, non absoluta.
„ Si christiani in peccato moriuntur nequeunt
„ salvi fieri; atqui plures christiani in peccato
„ moriuntur; ergo plures christiani nequeunt
„ salvi fieri."

699. DEMONSTRATIO III. Si præmissarum altera universalis est, altera particularis, *conclusio semper erit particularis, non universalis.*

Ostendo ex hujusmodi præmissis neque clusionem universalem affirmativam, neque universalem negativam deduci posse; quare tantum conclusio particularis affirmativa, aut negativa necessario deducetur.

I. Nequit primo deduci *conclusio universalis affirmativa*, ut sequenti syllogismo, quod erit aliis exemplo, apparebit.

Omnis *virtus* est commendanda.
Aliqua indulgentia est *virtus*.
Ergo aliqua indulgentia est commendanda.

Patet primo, conclusionem affirmativam universalem, aut particularem consequi non posse, ut ostendimus (697), nisi ex duabus præmissis affirmativis, in quibus attributum universim, & tota sua amplitudine non sumitur. (607).

Patet deinde, si duæ præmissæ sunt affirmative, necessario *medium terminum*, qui semper in quovis syllogismo universim, & tota sua amplitudine sumi debet (688), fore subjectum unius ex præmissis affirmativis, ut hic prima.

Ne-

Necesse esset præterea, *subjectum* conclusionis universalis affirmativæ, quod est terminus universaliter sumptus, esse subjectum alterius præmissæ affirmativæ; quod hanc aliam præmissam universalem redderet, quum in præsenti hypothesi sit, & esse debeat particularis.

II. Nequit deinde ex præmissis altera universali, altera particulari consequi *conclusio universalis negativa*, ut sequenti syllogismo, qui aliis erit exemplo, apparebit.

Nullum *vitium* est commendandum.
Aliqua indulgentia est *vitium*;
Ergo aliqua indulgentia non est commendanda.

Patet primo, *subjectum*, & *attributum* conclusionis universalis negativæ necessario esse duos terminos universim, & tota amplitudine sumptos; eosque in præmissis esse debere. En itaque jam in præmissis duos terminos universales.

Necesse est præterea, *medium terminum*, qui non est in conclusione, ipsum quoque universim, & tota sua amplitudine sumi in præmissarum alterutra. En adhuc alium in præmissis terminum universalem (688).

Patet deinde, *tres terminos* in duabus præmissis, quarum altera necessario affirmativa est (693, & 696), universim, & tota amplitudine sumi non posse, nisi utraque præmissa sit universalis; quandoquidem propositionis affirmativæ attributum non est terminus universalis. Ergo ut conclusio syllogismi esset universalis negativa, necesse esset, utramque præmissam esse universalem quod est contra hypothesim.

Quare si præmissarum altera universalis est, altera particularis, neque conclusio universalis affirmativa, neque universalis negativa consequi potest. Ergo *conclusio* tantum *particularis* affirmativa, aut negativa consequi poterit.

III. In tabula figurarum syllogisticarum (709) de his vide, si lubet, modos *darii*, *ferio*, *dabitis*, *frisefo*, *festino*, *baroco*, *disamis*, *datisi*, *bocardo*, *ferison*; in quibus a duabus præmissis altera universali, altera particulari semper conclusio particularis necessario consequitur, Q. E. D.

700. PRÆCEPTUM VI. *Si duæ argumenti præmissæ sint particulares, conclusio nulla erit.*

DEMONSTRATIO. Hæ duæ præmissæ necessario erunt aut ambæ affirmativæ, aut ambæ negativæ, aut altera affirmativa, altera negativa. In omnibus hisce casibus conclusio nulla est. Ostendo.

I. Si ambæ hæ præmissæ particulares sunt *affirmativæ*, medius terminus universim, & tota sua amplitudine sumi non poterit neque in harum propositionum subjecto, quod est terminus particularis, neque in earum attributo, quod tota sua amplitudine non sumitur (607); quod secundo præcedenti præcepto directe opponitur. Hoc est vitium sequentis argumenti, cujus præmissæ sunt particulares affirmativæ.

Aliquis lupus est quadrupes;
Aliqua ovis est quadrupes;
Ergo aliquis lupus est aliqua ovis.

II. Si præmissæ particulares sunt ambæ negativæ, conclusio nulla erit ex quarto præcedenti præcepto. Hoc vitio laborat sequens argumentum, cujus præmissæ sunt particulares negativæ.

Aliquis Gallus non est subditus regi Borussiæ;
Aliquis homo non est subditus regi Borussiæ;
Ergo aliquis Gallus non est aliquis homo.

III. Si ex præmissis particularibus *altera affirmativa est, altera negativa*, in his unicus ter-

terminus erit universim sumptus, nempe attributum præmissæ negativæ. Hinc sequetur, aut *medium terminum* non universim, & tota sua amplitudine in præmissis sumi; quod est contra secundum preceptum; aut *attributum* conclusionis universim, & tota amplitudine sumi in consequentia, quod ad unam sui partem limitatum sumptum fuerat in premissis; quod est contra præceptum tertium.

Hoc vitio laborant bina argumenta sequentia, in quibus præmissæ sunt particulares, altera affirmativa, altera negativa. In primo medius terminus *quadrupes* in neutra præmissarum tota sua amplitudine sumitur. In altero terminus *aliquis homo*, qui unum extremorum est tota sua amplitudine sumitur in conclusione negativa, etsi ad sui partem limitatum in præmissis sumptum fuerit.

Aliquod *quadrupes* non est ferox.
Aliqua tigris est *quadrupes*;
Ergo aliqua tigris non est ferox

Aliquis homo est *Americanus* .
Aliquis Hispanus non est *Americanus*;
Ergo aliquis Hispanus non est aliquis homo.

IV. Ex hactenus positis sequitur, si binæ argumenti præmissæ sint particulares, quæcumque earum natura sit, conclusionem, quæ deducatur, semper fore nullam. Q. E. D.

SEX HÆC SYLLOGISMI PRÆCEPTA AD UNUM COMMUNE ADDUCTA.

701. OBSERVATIO. Sex allata de syllogismo præcepta nihil in dialectica inutile, aut supervacaneum præseferunt. Imo vero necesse est, quemvis vere Dialecticum hæc semel saltem ita distincta, ac digesta perdidicisse, quo & illa

illa mente defixa teneat, & rectæ ratiocinationis notas, sive præposteræ vitia, ac notas ipsas primo veluti intuitu arripere, ac dignoscere consuescat.

Quum vero semel sex hæc præcepta apte perceperit, videbit illa *unico* sequenti *præcepto* contineri; atque in dialecticæ praxi totum artificium in eo positum esse, ut propositio statuenda fiat conclusio syllogismi, quo ipsa statuitur, ut eaque implicite in præmissarum alterutra contineatur. Rectum erit ratiocinium, si in præmissis conclusio contineatur; secus vitiosum erit.

PRÆCEPTUM UNICUM, ET GENERICUM.

702. *Ut propositionem syllogistica forma statuas, inveni majorem magis genericam non negandam, & in qua implicite propositio statuenda includatur: in minori ostende, illam propositionem, etsi implicite, tamen re ipsa in majori contineri. Propositio statuenda erit legitima tui syllogismi conclusio.*

EXPLICATIO. Præceptum hoc, quod omnia ratiocinii præcepta complectitur, & contrahit, evidens est. Satis est ejus usum ostendere aliquibus exemplis, quæ indicent, qua ratione illud in quovis ratiocinio semper valeat.

EXEMPLUM I. Si ad dialecticæ leges probandum sit, *avarum esse miserum*; juxta genericum præceptum ita firmiter probari poterit. „ Quilibet pravis cupiditatibus obstrictus est „ miser; atqui avarus est pravis cupiditatibus „ obstrictus; ergo avarus est miser. “

Rectum est hoc ratiocinium, atque concludens: juxta majorem enim certissimam universa species pravis cupiditatibus obstricta misera est; & juxta minorem se ipsa evidentem avarus speciei hujus pars est.

EXEMPLUM II. Æque si syllogistica for-

ma probare velim, *neminem ambitiosum beatum esse*, juxta genericum præceptum ita solide probabitur; „ Qui vult esse beatus sorte sua „ contentus esse debet; atqui nemo ambitiosus „ sorte sua contentus est; ergo nemo ambitio- „ sus est beatus. “

Hoc quoque ratiocinium rectum, & concludens est, nam juxta majorem certo veram *qualitas beati* illi inesse omnino non potest, qui *qualitate* careat *contenti sorte sua*; & juxta minorem se ipsa evidentem, quilibet ambitiosus postrema hac qualitate caret, sine qua beatitudo haberi nequit.

EXEMPLUM III. Pari item modo si ad syllogisticam formam probare velim, *Causam infinite intelligentem, & infinite activam in natura visibili existere*; sic juxta datum præceptum recte procedam. „ Quod naturam visibi- „ lem movet, atque animat, in natura visibili „ necessario existit. Atqui vel ex ipsis phæno- „ menis patet, causam infinite intelligentem, „ & infinite activam movere, atque animare „ naturam visibilem; ergo vel ex ipsis phæno- „ menis patet, causam infinite intelligentem, „ & infinite activam in visibili natura existe- „ re. “

Facile intelliges, eandem *syllogisticam rectitudinem* inventum iri evidenter in ratiocinio quovis, in quo major ut vera admissa propositionem statuendam implicite continebit; & minor ostendet, illam in hac certa majore contineri. Quare hoc præceptum genericum semper valebit, quodcumque sit objectum philosophicum, geometricum, theologicum ratiocinii, quod dirigit. Q. E. D.

703. NOTA I. Animadverte hic incidenter, præcedentis præcepti corollarium esse; *quum propositio aliqua impugnata, aut negata probanda est; hanc propositionem fieri debere conclusionem ratiocinii, quo probari debet.*

In-

In tribus superius exemplo positis ratiociniis vides, propositionem statuendam, quam ut negatam considerare possumus, semper esse conclusionem ratiocinii, quo statuitur.

704. NOTA II. In quovis recto ratiocinio, semper conclusio in præmissis sive implicite, sive explicite necessario debet contineri; patet enim quod in præmissis non est, a præmissis deduci non posse. Quare, ut unico intuitu videamus num syllogisticum ratiocinium rectum sit, passim satis est ejus conclusionem attendere: *si conclusio in præmissis non contineatur, ratiocinium vitiosum est, & sophisticum.*

EXEMPLUM I. Sit primo hoc ratiocinium, quod quæritur num ut rectum admittendum sit, an ut sophisticum rejiciendum. „ Evangelium „ Christianis æternam salutem promittit; atqui „ aliqui iniqui sunt christiani; ergo evangelium „ iniquis æternam salutem promittit. “

Si de conclusionis rectitudine ambigis, cito vitiosam deteges, illam videns in præmissis non contineri. Neque enim major hanc conclusionem continere potest, nisi affirmet, evangelium æternam salutem christianis omnibus, nulla exceptione, promittere; quod non dicit evangelium. Si vero non nisi *aliquibus christianis* evangelium æternam salutem promittit, sane non sequitur eam improbis promittere.

Quare si ad omnes christianos major extenditur, argumentum, ut ajunt, *est in forma*. At major hæc evidenter falsa est, neque ullo pacto conclusionis veritatem trahit. Si vero major ad aliquos christianos limitatur, vera est; at tunc argumentum non est in forma; conclusio enim tunc in præmissis non continetur.

EXEMPLUM II. Sit hoc aliud ratiocinium, quod aut ut rectum admittendum est, aut ut sophisticum rejiciendum. „ Lex divina potesta- „ ti sæculari obedientiam præcipit. Atqui po- „ testas ecclesiastica non est potestas sæcularis;

„ ec.

„ ergo lex divina potestati ecclesiasticæ obedien-„ tiam non præcipit. "

Si de recta conclusione dubitas, eam vitiosam deteges videns in præmissis non contineri; patet enim primo, eam in minori non contineri. Ut vero in majori contineretur, necesse esset in majori dici, legem divinam *soli* potestati sæculari obedientiam præcipere; *nullumque divinum præceptum* potestati ecclesiasticæ obedientiam indicere.

Quare si major diceret, legem divinam soli sæculari potestati obedientiam præcipere, conclusio in præmissis contineretur, & argumentum esset in forma; & major hæc manifesto falsa esset, nec conclusionis veritatem traheret. Si vero major dicit tantum, legem divinam potestati sæculari obedientiam præcipere, nec simul dicit; nullo divino præcepto obedientiam potestati ecclesiasticæ indici; argumentum non amplius est in forma; conclusio enim tunc in præmissis non continetur.

EXEMPLUM III. Sit tandem tertium hoc ratiocinium, de cujus quoque rectitudine quæritur. „ Aristus non est quod ego sum; atqui ego sum homo; ergo Aristus non est homo „.

Hujus ratiocinii facile deteget, qui animadvertet, conclusionem in præmissis non contineri, ac proinde a præmissis fluere non posse. In conclusione negativa siquidem attributum *homo* universim, & tota amplitudine sumitur; dum in minori affirmativa ad unicum individuum, me, limitatur. Repugnat vero, terminum tota sua amplitudine sumptum in eodem termino ad unicam sui partem limitato contineri.

Hic vero si vel paullum undeviginti rectorum syllogismorum exempla considerare velis, quæ modo de figuris syllogisticis agentes prolaturi sumus; videbis ubique conclusionem in præmissis contineri, ut in hoc postremo generico præcepto monuimus.

FI-

FIGURÆ SYLLOGISTICÆ.

705. DEFINITIO. *Figuræ syllogisticæ* dicuntur diversæ dispositiones, seu collocationes, quas medius terminus in syllogismi præmissis obtinere potest.

I. Tribus diversis modis in præmissis *medius terminus* distribui potest. Potest enim Aut esse unius præmissæ subjectum, & alterius attributum; & hæc dispositio vocatur *figura prima*;

Aut esse utriusque præmissæ attributum; & hæc est *figura altera*;

Aut esse utriusque præmissæ subjectum; & hæc est *figura tertia*.

II. Prima figura in duos modos dividitur; directum scilicet, & indirectum.

Modus directus est, in quo majoris attributum sit tantum conclusionis attributum.

Modus indirectus est, in quo attributum majoris sit conclusionis subjectum, media apta limitatione, qua aliquando coarctatur.

Quamprimum perpendemus, num prima hæc figura, in qua tantum *modi indirecti* locum habent, in plures diversas figuras partiri debeat, ut olim contenderunt, & per hos quoque dies nonnulli dialectici contendunt. (710).

706. NOTA I. Alibi monuimus propositiones, quibus syllogismus conficitur, semper esse affirmativas, aut negativas, universales, aut particulares; & has quatuor propositionum species veluti algebrice designari posse literis hisce quatuor majusculis, A, E, I, O, sive minusculis a, e, i, o. (606).

Constat ceteroqui ex conbinationum theoria, quatuor has propositionum species, trinas acceptas, ut in syllogismo sumi debent, sexaginta quatuor prorsus modis diversis combinari, quos subjicio.

707.

aaa	aae	*aai*	aao	eaa	*eae*	eai	*eao*
aea	*aee*	aei	*aeo*	eea	eee	eei	eeo
aia	aie	*aii*	aio	eia	eie	eii	*eio*
aoa	aoe	aoi	*aoo*	eoa	eoe	eoi	eoo
iaa	iae	*iai*	iao	oaa	oae	oai	*oao*
iea	iee	iei	*ieo*	oea	oee	oei	oeo
iia	iie	iii	iio	oia	oie	oii	oio
ioa	ioe	ioi	ioo	ooa	ooe	ooi	ooo

707. NOTA II. Inter sexaginta quatuor has diversas distributiones duodecim sunt, quæ omnibus syllogismi a nobis traditis præceptis conformes sunt, & quæ rectam, ac legitimam semper conclusionem præbent. Has Italicis literis designavimus, eæque varia medii termini dispositione undeviginti modos syllogisticos efficiunt, quorum mox exempla trademus. Undeviginti hi modi undeviginti vocibus continentur, quibus tetrasticon hoc technicum conflatum est.

Barbara, celarent, darii, ferio, barali-*pton*,
Celantes, dabitis, fapesmo, frisesomoron,
Cesare, camestres, festino, baroco, da-rapti,
Felapton, disamis, datisi, bocardo, fe-rison.

I. Patet tetrasticon hoc nulla a se significatione pollere, & voces factitias, quibus conficitur, neque Latinas esse, neque Græcas, neque Arabas, neque Germanicas, neque Celticas, neque ullius linguæ. Tantum sunt artificiosa syllabarum collectio ad *modum syllogisticum*, quem intendimus, referendum instituta.

II. In quavis ex his vocibus solæ *tres primæ* *voca-*

vocales sunt attendendæ, quæ præcise tres propositiones indicant affirmativas, aut negativas, universales, aut particulares, quæ in quovis modo syllogistico rectum syllogismum efficere debent.

Vocales ceteræ cujusque vocis, si præter tres aliæ sint, nihil omnino significant; & tantum ad versus mensuram complendam adjectæ sunt; propterea diversis notis descriptæ sunt.

Prima syllaba cujusque vocis majorem indicat, altera minorem, tertia conclusionem.

III. Olim non modo vocales, verum & *cujusque vocis consonantes* attendebantur, quæ ad hoc præcipue institutæ erant, ut indicarent qua ratione propositio in suam oppositam transformaretur, & ut adversarius adigeretur negatam propositionem concedere, aut contradictoriam negare; quod dicebatur: *adducere ad absurdum, aut ad impossibile.*

At postremis hisce temporibus, quibus innotuit *exiguum hoc consonantium mysterium* nulla in dialecticæ praxi utilitate mentem fatigare, jure in dialectica tradenda neglectum fuit; non ita tamen utilius mysterium, quod cujusque vocis vocalibus inclusum est.

708. NOTA III. Ex *quinquaginta duabus dispositionibus*, quas Romanis literis in præcedenti tabula descripsimus, nulla est, quæ alicui ex propositis præceptis, imo sæpius & pluribus non opponatur, quod facile erit dignoscere. Quamobrem illas ut vitiosas, & ad quodvis rectum ratiocinium efficiendum semper ineptas dialectica proscribit. Exempli gratia.

I. Quartum præceptum (693) quindecim sequentes dispositiones proscribit: eea, eee, eeo, eoa, eoo, eoe, eoi, oeo, oea, oee, oei, oeo, ooa ooe, ooi, ooo.

II. Quinti præcepti pars prima (696) viginti sequentes dispositiones proscribit: aea, aei, aoa,

aoi,

aoi, ica, iei, ia, ioi, eai, eia, eoa, eoi, oaa, oai, oea, oei, oia, oii, ooa, ooi.

Tertium quoque præceptum undeviginti sequentes dispositiones proscribit: aia, aie, aoa, aoe, eia, eie, eoa, eoe, iaa, iae, iea, iee, ioa, oaa, oae, oea, oee, oia, oie. Quibus vides, eandem dispositionem, imo plures a pluribus præceptis proscribi posse.

III. Pari item modo sextum præceptum tredecim has dispositiones proscribit (708): iia, iie, iii, iio, ioa, ioe, ioi, ioo, oia, oie, oii, oio, ooo; cetera.

709. NOTA IV. Etsi hæc *modorum syllogisticorum theoria* ferme nullo in usu sit in dialectica, & in praxi minimæ passim utilitatis sit; fieri tamen omnino potest, ut aliquando illam consulere necesse habeamus, præsertim in modis indirectis primæ figuræ, imo & in aliquibus directis alterius, & tertiæ figuræ; in quibus fieri potest, ut non semper facile dignoscatur recte ne conclusio a præmissis fluat.

Hac ratione opportunum censuimus cujusque ex undeviginti modis syllogisticis, qui superiori tetrastico technico continentur (707), exempla proponere.

Fi-

Figura prima ſyllogiſtica, in qua medius terminus *eſt ſubjectum majoris, &* *attributum minoris.*

MODI DIRECTI.

Bar	A	Omne *vitium* eſt contemnendum.
ba	A	Omnis ſimulatio eſt *vitium*.
ra	A	Ergo omnis ſimulatio eſt contemnenda.
Ce	E	Nullus *ſpiritus* eſt ſubſtantia materialis.
la	A	Omnis anima humana eſt *ſpiritus*.
rent	E	Ergo nulla anima humana eſt ſubſtantia materialis.
Da	A	Omnis *virtus* eſt commendanda:
ri	I	Aliqua indulgentia eſt *virtus*.
i	I	Ergo aliqua indulgentia eſt commendanda.
Fe	E	Nullus *improbus* eſt beatus.
ri	I	Aliquis Gallus eſt *improbus*.
o	O	Ergo aliquis Gallus non eſt beatus.

MODI INDIRECTI (707).

Ba	A	Omne *vitium* eſt contemnendum.
ra	A	Omnis ſimulatio eſt *vitium*.
li	I	Ergo *aliquid contemnendum* eſt omnis ſimulatio.
Ce	E	Nullus *ſpiritus* eſt ſubſtantia materialis.
lan	A	Omnis anima humana eſt *ſpiritus*.
tes	E	Ergo *aliqua ſubſtantia materialis* non eſt anima humana.

Omnis

Da	A	Omnis *virtus* est quid laudandum.
bi	I	Aliqua indulgentia est *virtus*.
tis	I	Ergo *quid laudandum* est aliqua indulgentia.
Fa	A	Omnis *scimius* est substantia animata.
pes	E	Nullus homo est *scimius*.
mo	O	Ergo *aliqua substantia animata* non est homo.
Fri	I	Aliquis *scimius* est homini similis.
se	E	Nullus homo est *scimius*.
so	O	Ergo *aliquid homini simile* non est homo.

Figura altera syllogistica in qua medius terminus *est bis attributum.*

Ce	E	Nullus Christianus *credit Alcorano.*
sa	A	Omnis Turca *credit Alcorano.*
re	E	Ergo nullus Turca est Christianus.
Ca	A	Omnis atheus est *irreligiosus.*
me	E	Nullus bonus civis *est irreligiosus.*
stres	E	Ergo nullus bonus civis est atheus.
Fes	E	Nemo probus est *detractor.*
ti	I	Aliquis Gallus est *detractor.*
no	O	Ergo aliquis Gallus non est probus.
Ba	A	Omnis justus est *aestimandus.*
ro	O	Aliquis Gallus non est *aestimandus.*
co	O	Ergo aliquis Gallus non est justus.

FI-

Tertia figura syllogistica in qua medius terminus *est bis subjectum*.

Da	A	Omnis *bonus civis* amat rempublicam.
ra	A	Omnis *bonus civis* odio habetur ab improbis.
pti	I	Ergo aliquis odio habitus ab improbis amat rempublicam.
Fe	E	Nullum *brutum* est purum automa.
lap	A	Omne *brutum* est ens organicum.
ton	O	Ergo aliquod ens organicum non est purum automa.
Di	I	Aliquis *improbus* est miser.
sa	A	Omnis *improbus* Deo infidelis est miser.
mis	I	Ergo aliquis Deo infidelis est miser.
Da	A	Omnis *bonus Christianus* est bonus civis.
ti	I	Aliquis *bonus Christianus* est Anglus.
si	I	Ergo aliquis Anglus est bonus civis.
Bo	O	Aliquis Gallus non est levis.
car	A	Omnis Gallus est regi subditus.
do	O	Ergo aliquis regi subditus non est levis.
Fe	E	Nullus *Anglus* est Vasco.
ri	I	Aliquis *Anglus* est gloriosus.
son	O	Ergo aliquis gloriosus non est Vasco.

FI-

FIGURA GALENICA.

710. OBSERVATIO. *Figurarum syllogisticarum* theoria altero æræ Christianæ sæculo celebre quoddam, at parvi momenti schisma inter dialecticos excitavit, quod adhuc viget, & cujus notionem aliquam tradere opportunum est.

Schismatis hujus philosophici auctor fuit Galenus sui ævi medicorum, & dialecticorum facile princeps. Hic duas præmissas primæ figuræ syllogisticæ transponens novam se figuram invenisse putavit, quæ ab ejus auctore *figura Galenica* nuncupata fuit.

Medius terminus, ajunt veteres, ac recentiores hujus philosophi sectatores in duabus præmissis evidenter disponi potest 1. ita, *ut sit primæ propositionis subjectum, & alterius attributum*; quod primam facit figuram syllogisticam, ut ab Aristotele inventa fuit, & in præcedenti tabula descripta est; 2. ita, *ut sit primæ propositionis attributum, & alterius subjectum*, quod, ajunt ipsi, novam figuram efficit omnino a tribus quarum exempla attulimus diversam. Hæc illi.

RESPONSIO. Patet Galeno, & ejus asseclis hujus quartæ dispositionis, & figuræ, quæ evidenter dari potest, veritatem non esse denegandam; at æque patet non item ejus utilitatem concedendam; quod satis est, ut eorum inventum inane reputetur. Ut vero ostendamus, nulla ratione hujus usum in dialecticam ab aliquibus invehi velle;

I. Supponamus; in novem primæ figuræ syllogisticæ exemplis, ut in superius posita tabula sunt, ubique transponi ejusdem syllogismi præmissas ita, ut prima altera fiat, & altera prima. Tunc nullo novo præcepto, nulloque doctrinæ augmento habebitur *figura Galenica*.

Si ergo entia sine necessitate non sunt multiplicanda, patet quartam hanc figuram Galenicam non admittendam, quæ & re, & doctrina ad primam figuram syllogisticam Aristotelicam tandem adducitur.

II. Si in novem modis tum directis, tum indirectis præmissas cujusque syllogismi primæ figuræ Aristotelicæ transponas: habebis quidem *novos novem modos syllogisticos*, quorum quilibet rectum syllogismum præbebit, quique omnes ad aliquam ex *duodecim combinationibus* a dialectica probatis adducuntur, quin aliis quinquaginta duabus a dialectica proscriptis quidquam commune habeant.

Novem hi modi Galenici sane ab Aristotele non ut vitiosi, & sophistici, sed ut inutiles, & superflui omissi, & proscripti fuerunt.

III. Vera horum modorum Galenicorum rectitudo probat quidem, diversa medii termini in præmissis dispositione *duodecim combinationes* a dialectica admissas supra *undeviginti modos syllogisticos* dari posse; non tamen probat alios, præter undeviginti modos in dialectica esse admittendos; qui enim præter hos dantur, inutiles, & superflui esse possunt, atque adeo a dialectica reijciendi.



§. II.

SYLLOGISMUS COMPLEXUS.

711. OBSERVATIO. S*yllogismus complexus*, de quo aliqua superius tradidimus (664), re ipsa omnibus de syllogismo in genere præceptis superiori paragrapho traditis subest.

Attamen sua peculiaria præcepta habet, quæ hic de quavis sua specie proponemus, nempe de syllogismis conditionali, disjunctivo, & con-

conjunctivo, de dilemmate, & de soryte. En tibi hujus paragraphi divisionem, & argumentum.

SYLLOGISMUS CONDITIONALIS.

712. DEFINITIO. *Syllogismus conditionalis* is est, cujus major est propositio conditionalis explicite conclusionem continens. Prima hujus majoris pars dicitur *antecedens*, altera *consequens*. Antecedens est hypothesis, seu conditio enunciata; consequens est quid necessario ab hac hypothesi, seu conditione pendens. (652).

Duobus tantum modis conficitur hic syllogismus, videlicet:

I. Vel *affirmando antecedens* in minori, & consequens in conclusione; ut in sequenti, qui ceteris erit exemplo ,,. Si rex injustum bellum ,, gerit, multiplicis homicidii reus est; hic rex ,, bellum injustum gerit; ergo multiplicis homicidii reus est ,,.

II. Vel *negando consequens* in minori, & antecedens in conclusione; ut in hoc, qui quoque ceteris erit exemplo ,,. Si quis electus non salvatur, Deus in suæ providentiæ œconomia ,, fallitur; atqui Deus in suæ providentiæ œconomia non fallitur; ergo nemo electus non ,, salvatur ,,.

713. NOTA. De *Propositione conditionali* nonnulla *magni momenti adnotanda* sunt, quæ hactenus dialecticorum fagacitatem effugisse videntur, & quibus neglectis vix conditionalis syllogismi indolem, & leges statuere poteris.

I. *Omnis propositio conditionalis* (primo adnotandum) *semper haberi potest ut formaliter, vel æquivalenter affirmativa*; semper enim unice affirmat *veram* inter antecedens, & consequens *connexionem*: ita ut primo posito, alterum necessario consequatur; & altero ablato, primum haberi nequeat.

Quare in syllogismo conditionali re ipsa minor est, quæ syllogismum determinat, ut affirmativus sit, aut negativus. In duobus superius allatis primus affirmativus est, alter negativus.

II. Alibi ostendimus, *propositionum affirmativarum* attributum, quum solitariæ sunt, & absolutæ, non universim, & tota sua amplitudine sumi (607). Non ita res habet in conditionalibus. Hoc secundo est adnotandum.

In quavis propositione conditionali *antecedentis etiam affirmarivi attributum semper universim, & tota amplitudine sumitur*, conditione universim, & nulla limitatione antecedens consequenti connectente.

Exempli causa quum dico: *Si Aristus est rex, magnis obligationibus obstringitur*, patet, me *regis* attributum sumere omni amplitudine, quam habere possit, meque loqui de rege Galliæ, de rege Hispaniæ, de rege Borussiæ, de rege Britanniæ, de rege quovis, nullo excepto.

Ita quum dico: *si Clitander est ingenuus, omnis fraudis est incapax*, patet, me *ingenui* attributum omni amplitudine sumere, nullo subjecto excepto, cui convenire possit; & affirmo. si Clitander est ingenuus quicumque, Gallus, aut Hispanus, catholicus, aut hæreticus, nobilis, aut plebejus, eum omnis fraudis esse incapacem.

III. Hinc sequitur, (tertio adnotandum) *quamvis propositionem conditionalem semper re ipsa esse universalem*, ratione indefinitæ, & illimitatæ connexionis, qua antecedens consequenti connexit.

Quare hæc propositio conditionalis „ si quis „ realem Christi præsentiam in eucharistia nega„ gat, ab ecclesia anathematizatur " huic universali re ipsa æquivalet: „ quicumque realem „ Christi præsentiam in eucharistia negat ab „ ecclesia anathematizatur ".

IV.

IV. Sequitur quoque (quarto adnotandum), *quamvis propositionem conditionalem semper supponere veritatem propositionis absolutæ, & universalis, cujus subjectum universale esset antecedentis attributum, & attributum ipsum consequentis attributum.*

Exempli causa, hæc propositio conditionalis: „ Si Ariſtus est Christianus, Dei, & ecclesiæ „ præceptis tenetur “, hujus absolutæ, & universalis veritatem supponit: „ quilibet christia- „ nus Dei, & ecclesiæ præceptis tenetur “.

Hæc quoque conditionalis: „ Si Ariſtus non „ est reus, non est puniendus “, hujus absolutæ, & universalis veritatem supponit: „ nul- „ lus innocens est puniendus “; cetera.

714. PRÆCEPTUM UNICUM. *Ut syllogismus conditionalis rectus sit*;

I. *Si affirmatur antecedens in minori, affirmandum est consequens in conclusione.*

II. *Si negatur consequens in minori, negandum est antecedens in conclusione.*

DEMONSTRATIO. Ambæ hujus præcepti partes se ipsis evidentes sunt. Si enim major vera supponatur, aut *vera, & necessaria connexio* inter antecedens, & consequens:

I. Patet primo juxta primam præcepti partem, *posito antecedente consequens sequi*: ceterum inter ea vera connexio non daretur, contra hypothesim. Quare quilibet syllogismus conditionalis, in cujus minori affirmatur antecedens, & in cujus conclusione affirmatur consequens rectus est.

Hujusmodi est hic „ si quis legem municipa- „ lem violat, puniendus est; omnis fur legem „ municipalem violat; ergo omnis fur punien- „ dus est “.

Rectus est hic syllogismus, etsi medius terminus *legem municipalem violat* sit duarum propositionum affirmativarum attributum; in propositione conditionali siquidem antecedentis

attributum tunc quoque, quum hoc antecedens est propositio affirmativa, semper universim, & tota amplitudine sumitur (713). Non ita consequens.

Hujusmodi est hic alter: „ Si Aristus non est „ reus, non est puniendus; Aristus non est reus; „ ergo non est puniendus ".

Rectus est hic syllogismus, etsi ambæ præmissæ negativæ videantur; major enim æquivalenter affirmativa est; si vero ut affirmativam eam habere velis, minor etsi extra syllogismum negativa, in syllogismo fit æquivalenter affirmativa (694).

Syllogismus hic conditionalis ad simplicem ita adducitur: „ quicumque non est reus, non „ est puniendus; Aristus non est reus; ergo „ non est puniendus ".

II. Patet deinde, juxta alteram præcepti partem, *ablato consequente non stare antecedens*: ceterum antecedens sine consequente stare posset, nec necessaria inter illa daretur connexio; adhuc contra hypothesim. Quilibet ergo syllogismus conditionalis, cujus consequens in minori, & antecedens in conclusione negatur, rectus est.

Hujusmodi est hic: „ Si Aristus cani caput „ obtruncavit, canis mortuus est; atqui canis „ mortuus non est; ergo Aristus illi caput non „ obtruncavit ".

Supposita necessaria inter antecedens, & consequens connexione, patet, si hoc non stat, neque illud stare potuisse. Q. E. D.

715. NOTA. Syllogismus conditionalis *duobus modis*, qui binis allati præcepti partibus e diametro opponuntur, vitiosus esse potest.

I. Vitiosus erit si a consequente in minore affirmato ad antecedens in conclusione affirmandum inferas. Hoc vitio laborat sequens ratiocinium: „ Si Aristus cani caput obtruncavit, „ canis ille mortuus est: atqui canis ille mor-

„ tuus

„ tuus est; ergo illi Aristus caput obtrunca-
„ vit“.

Propositio conditionalis semper veram, & necessariam connexionem *inter antecedens*, & *consequens* supponit, non vero eandem semper inter consequens, & antecedens supponit. Fieri nequit, ex hypothesi, ut antecedens sine consequente existat; at consequens sine antecedente existere potest; potest enim consequens a pluribus causis pendere, quarum una deficiente suppleat altera.

In allato exemplo canis Aristi non potest capite minui quin moriatur, & pluribus modis, quin capite minuatur, mori potest.

II. Vitiosus quoque erit syllogismus conditionalis, si a consequente in minori negato ad antecedens in conclusione nagandum inferas. Hoc vitio laborat sequens ratiocinium: „ si
„ Aristus est latro, infami supplicio dignus est;
„ atqui Aristus non est latro; ergo infami sup-
„ plicio non est dignus“.

Ut valeret hoc ratiocinium, quæ connexio inter antecedens, & consequens datur, ea quoque *inter consequens*, & *antecedens* requireretur; quod non ita est. Latro quis esse nequit, quin infame supplicium mereatur; at potest quis infame supplicium mereri, quin latro sit; plures enim criminum species sunt infami supplicio dignæ.

SYLLOGISMUS DISJUNCTIVUS.

716. DEFINITIO. *Syllogismus disjunctivus* est, cujus major est propositio disjunctiva. Hæc natura sua in attributo membra exigit incompatibilia, quæ nunquam in eodem subjecto simul esse possint (648).

Duobus modis hic syllogismus conficitur, quos explicare pergimus.

I. Primus modus est, si *alterutrum ex mem-*

bris incompatibilibus in minori affirmes, & alterum membrum, aut cetera, si plura sint, omnia neges in conclusione. Patet, si membrorum incompatibilium unum subjecto convenit, nullum reliquorum convenire posse: quae siquidem incompatibilia sunt se invicem excludunt.

Hujusmodi est hic syllogismus disjunctivus, cujus major duo tantum membra habet, & cujus minor est affirmativa: „ in civitate, in qua „ omnes aut nobiles sunt, aut plebeii, quisque „ civis necessario aut nobilis est, aut plebe- „ jus; atqui hic civis est nobilis; ergo non est „ plebejus ".

Hic quoque hujusmodi est, in quo major tribus membris constat, & minor est affirmativa: „ substantia animans bruta aut materia „ est aut spiritus, aut media inter utrumque; „ atqui substantia animans bruta est media in- „ ter utrumque; ergo neque materia est, ne- „ que spiritus ".

II. Alter syllogismi disjunctivi conficiendi modus est, *si unum ex incompatibilibus membris neges in minori*, & alterum in conclusione affirmes; modo disjunctio duobus tantum membris constet; si autem pluribus; tunc omnia haec membra incompatibilia, uno excepto, in minori ponenda sunt; illudque conclusionis attributum fieri debet.

Hujusmodi est hic syllogismus, cujus major duobus tantum membris constat, & minor est negativa: „ Aut materia aeterna est, aut esse „ coepit; atqui materia non est aeterna; ergo „ esse coepit ".

Hic quoque, cujus major tribus membris constat, quorum bina minor negativa a subjecto excludit: „ Cicero illustris Romanus civis aut „ patritii, aut equestris, aut plebeji ordinis „ erat; atqui neque erat patritii ordinis, ne- „ que plebeij; ergo erat equestris ".

717.

717. PRÆCEPTUM UNICUM. Ut syllogismus disjunctivus rectus sit:

I. *Nullum dari debet medium inter diversa disjunctionis membra.*

II. *Aliquod ex his subjecto propositionis disjunctivæ convenire debet.*

III. *Si minor affirmativa sit, conclusio negativa sit oportet: affirmativa, si minor negativa sit.*

DEMONSTRATIO. Facile hæc tria demonstrantur: ad hoc expositam syllogismi disjunctivi indolem perpendere satis est.

I. Ratio primæ partis est, quia si subjecto datur medium inter diversa disjunctionis membra, fieri potest, hoc medium subjecto convenire, neutro disjunctionis membro illi conveniente.

Medium inter diversa disjunctionis membra dicitur existendi modus, qui propositionis disjunctivæ subjecto convenire potest, & nihil eorum est, quæ a diversis disjunctionis membris enunciantur. Exemplo sit hæc propositio disjunctiva: „ Parollelogrammum obliquangulum aut „ majus, aut minus est rectangulo ejusdem ba„ sis, & altitudinis ".

Patet hujus propositionis subjecto medium dari inter bina disjunctionis membra, hoc est, *æquale esse* figuræ, cui comparatur. Si primum parallelogrammum alteri æquale est, ut re ipsa est, primum parallelogrammum altero neque majus est, neque minus (fig. 3.).

Propositio disjunctiva semper falsa est quum inter disjunctionis membra datur medium; hujusmodi enim propositio aut expresse, aut virtute exclusiva est; seu quia semper affirmat, subjectum suum id esse, quod alterutrum indeterminate disjunctionis membrum exprimit, quin unquam fieri possit, ne hoc subjectum id sit, quod aliquod disjunctionis membrum exprimit,

II. Alterius partis hujus præcepti ratio eſt, quia ſi nullum disjunctionis membrum ſubjecto convenit, neceſſario huic ſubjecto *inter disjunctionis membra medium datur*, hoc enim ſubjectum aliquem exiſtendi modum ſibi proprium habet, qui nihil eorum eſt, quæ a disjunctionis membris enunciantur.

Exempli cauſa, animæ brutorum datur medium inter *eſſe materiam extenſam*, & *materiam inextenſam*; hoc vero medium eſt, non eſſe materiam, ſed ſubſtantiam immaterialem omnino a materia diverſam.

III. Tertiæ partis hujus præcepti ratio eſt, quia quum diverſa disjunctionis membra in eodem ſubjecto ſupponantur; jam ſi aliquod ex his ſubjecto conveniat, neceſſario alterum, aut alia non convenient; & in propoſitione bimembri, ſi alterum a ſubjecto excluditur, neceſſario alterum conveniet; ſi bina membra in propoſitione trimembri a ſubjecto excluduntur, tertium neceſſario illi conveniet. Q. E. D.

718. NOTA. Ut magis innoteſcant vitia, quibus ſyllogiſmus disjunctivus ſophiſticus, & inanis reddi poteſt; illam hic aliquo generico exemplo, quod & ceteris inſervire poterit, oſtendemus.

EXEMPLUM I. Quum principes iniqua, & criminoſa jubent *aut illis parendum eſt*, *aut contra illos arma capienda ſunt*; atqui illis non eſt parendum; ergo contra illos arma capienda.

Falſum ratiocinium. Inter duo majoris disjunctivæ membra medium datur: hoc eſt, illis non obtemperare, & patienter ferre pœnam huic inobedientiæ injunctam.

EXEMPLUM II. Si Deus in natura exiſtit, *hic Deus compoſitus eſſe debet aut corpore infinito*, *aut finito*; atqui hic Deus non poteſt eſſe compoſitus corpore finito; ergo infinito.

Falſum adhuc ratiocinium. Datur medium in-

inter duo majoris disjunctivæ membra, quorum neutrum verum est, nec subjecto, nempe Deo, convenit. Hoc medium est, non esse corpus, esse quid nihil corporali substantiæ commune habens, esse substantiam pure, & simpliciter spiritualem.

EXEMPLUM III. Quæcumque sit materiæ natura, & quæcumque sint corpora, quæ constituit, *materia semper aut extensa est, aut organica*; atqui materia brutorum corpora constituens est organica; ergo non est extensa.

Adhuc falsum ratiocinium. Datur medium inter duo disjunctionis membra; nempe materiam esse posse simul extensam, & organicam.

Hinc vides, propositionem disjunctivam semper vitiosam esse, imo falsam, quoties membra disjunctionis *se invicem continent*; tunc enim, distincta, & incompatibilia exibet, quæ non talia sunt.

EXEMPLUM IV. Huc ne quoddam argumentum disjunctivum adducemus, quo ingeniosis pueris negotium fieri solet, eosque hærentes simul, ac inquietos efficit; qua eorum trepidatione sæpius voluptatem capimus? en illud. *Aut tu es Aristus, aut non es Aristus: atqui tu es Aristus; ergo non es Aristus.*

Falsum ratiocinium. Quum enim in minori, juxta præcedens præceptum, alterum disjunctionis membrum affirmaveris, juxta idem præceptum, in conclusione alterum membrum disjunctionis negandum est, nempe: *ergo non es Aristus.*

Ut hoc neges, necessario recta conclusio esse debet; *ergo falsum est, te non esse Aristum*; seu brevius: *Ergo non, non es Aristus.*

SYLLOGISMUS CONJUNCTIVUS.

719. DEFINITIO. *Syllogismus conjunctivus* is est, cujus major propositio est conjunctiva,

 & ne-

& negativa; cujus natura est duo incompatibilia in attributo conjungere, & negare hæc simul in subjecto esse posse (649).

Unico modo fit hic syllogismus, alterutrum nempe conjunctionis membrum affirmando in minori, & alterum negando in conclusione; ut in sequenti, qui ceteris erit exemplo. „ Non „ potest homo simul Deo servire, & mammo- „ næ; atqui avarus servit mammonæ; ergo „ non potest servire Deo".

Posita vera incompatibilitate inter duo majoris membra, patet, si eorum alterutrum in subjecto est, ut enunciat minor, alterum necessario a subjecto excludi, ut enunciat conclusio.

720. PRÆCEPTUM UNICUM. Ut syllogismus conjunctivus rectus sit;

I. *Alterum conjunctionis, seu majoris membrum in minori affirmandum est.*

II. *Alterum in conclusione negandum.*

DEMONSTRATIO. Facile ex hujus syllogismi definitione utraque præcepti pars probatur.

I. In omni syllogismo conjunctivo minor affirmativa esse debet; major enim jam negativa est; quare si minor quoque negativa esset, conclusio esset nulla; ut est in quovis syllogismo, cujus præmissæ sint negativæ (693).

Hac ratione vitiosus est sequens. „ Non po- „ test homo simul Deo servire, & mammonæ; „ atqui prodigus non servit mammonæ; ergo „ servit Deo".

II. In quovis syllogismo conjunctivo conclusio esse debet negativa; quum enim ex hypothesi duo majoris membra in eodem subjecto incompatibilia sint; si unum subjecto convenit, ut enuntiat minor, alterum necessario convenire nequit; hoc vero debet enunciare negativa conclusio. Q. E. D.

DI-

DILEMMA.

721. DEFINITIO. *Dilemma* est ratiocinium constans & *propositione disjunctiva* (648), quæ passim duo, vel tria membra incompatibilia continet, & duabus, vel tribus *propositionibus conditionalibus* (652), quarum singularum antecedens est aliquod disjunctionis membrum, quod propterea adversarius concedere nequit, quin contra principia sua faciat. Duo exempla propono, ad quorum normam alia pro disputationis ratione confici poterunt.

EXEMPLUM I. Primum hoc dilemma in aliquem ex iis Pyrrohonicis intorqueri poterit, qui omnia in humanis cognitionibus incerta volunt, nullamque scientiam dari contendunt. (242).

Tu, qui nullam scientiam dari dicis, *aut scis quod asseris, aut nescis*.

I. Si nescis, seu si certus non es, quod asseris verum esse, stulte, & inepte asseris.

II. Si scis, & certus es, quod asseris verum esse; ergo scis aliquid, te scilicet nihil scire.

Quare quoquo te vertas, nequis sine absurdo asserere, omnia incerta esse, & nullam scientiam dari.

EXEMPLUM II. Hoc alterum intorqueri poterit in aliquem ex iis *Materialistis seu mitigatis, seu non mitigatis*, qui *materiæ creationem* negant, eamque fieri non posse contendunt (1040).

Quoniam materia existit, ut & sensuum, & idearum testimonio constat, jam *necessario aut a se, & natura sua existere debet, aut a causa increata, & creatrice, quæ illam e non existente existentem effecerit*.

I. Si a se, & natura sua materia existit, jam ipsa in se, & æternum *activitatem essentialem, & infinitam* habere debuit, qua æter-

num,

num, & ante omnia tempora in sua propria existentia fœcunda fuerit; quod plane ideis, quas nobis materiæ suppeditat experientia, & observatio, repugnat: hæ siquidem ubique, & pari concordia ostendunt, in quavis materiæ portione, quam accuratius observare possumus, non sane intrinsecam, essentialem, & infinitam activitatem, imo vero *inertiam intrinsecam, & permanentem*, quæ materiæ naturalis, & non exuenda proprietas videtur.

II. Si materia est ab aliqua causa increata, & creatrice, quæ illam e non existente existentem fecerit; jam necessario *creatio*, seu *transitus a nihilo ad existentiam* in materia contigit; ergo materia creari potuit.

Quo quo igitur te vertas, Materialista, tibi necessario aut materiæ creatio admittenda est, quod est tuis principiis oppositum; aut omnes, quas ab experientia, & ab observatione de materia cognitiones habes, rejicias oportet; quod plane est rectæ rationi repugnare.

722. NOTA. *Dilemmaticum ratiocinium* id est, quod veteres dialectici dixere *argumentum cornutum*. Hoc ita nuncuparunt, quia si rectum sit, quaquaversum adversarium veluti totidem obversis cornibus petit, quot habet membra in propositione disjunctiva; quare quoquo se vertat adversarius capitur, nec effugium habet.

723. PRÆCEPTUM UNICUM. Ut dilemma rectum sit:

I. *Nullum omnino medium haberi debet inter disjunctiva propositionis membra a dialemmate enunciata.*

II. *In propositionibus conditionalibus, qua singula aliquod urgent dilemmatis membrum, antecedens firmissime consequenti, aut inductioni ab hoc antecedente deducta, connexum esse debet.*

DEMONSTRATIO. Ex hujus ratiocinii definitione facile hæc ostenduntur,

I. Nul-

I. *Nullum* dari debet *medium* inter disjunctivæ propositionis membra; ceterum hac via sibi patente adversarius effugium habebit (717).

II. In propositionibus conditionalibus antecedens inductioni inde factæ insolubili nexu alligatum esse debet; ceterum nullo absurdo adversarius inductionem sibi objectam, nec solide statutam, negat. Q. E. D.

724. NOTA. Etsi satis vitia huic præcepto opposita jam supra indicaverimus (717 & 718); non tamen abs re erit duobus exemplis hæc iterum ob oculos ponere.

EXEMPLUM I. Si gloriam amas, ajebat Fabio Romanus quidam, *tibi aut pro patria vincendum, aut cum patria moriendum est.*

Neutrum, pacato animo respondit Fabius: tantum cunctandum est, & popularis rumor contemnendus. *Cunctari* medium est inter bina dilemmatis membra.

EXEMPLUM II. Si uxorem ducis, ajebat Aristus Clitandro amico suo, *aut pulcra erit, aut non.* Si pulcra, zelotypia angeris, si non, tædio.

Falleris, inquit Clitander; inter puellas, quæ mihi arrident, una est, quæ pulchritudini optimos mores, virtutemque conjungit; hæc me a zelotypia liberaret. Altera est, quæ, sin minus pulcra, mihi animi dotibus plurimum placere potest, & cum qua tædium non timerem.

In duabus dilemmatis propositionibus conditionalibus non datur necessaria, & insolubilis connexio inter antecedens, & consequens; quod satis est ut totum argumentum nullum sit.

Dilemma igitur rectum erit, quum duo illa a præcepto requisita obtinebit; tunc enim a binis iis vitiis erit immune, quibus tantum sophisticum fieri potest.

SORYTES, SEU GRADATIO.

725. DEFINITIO. *Sorytes*, seu *gradatio* est ratiocinium quadam propositionum serie invicem connexarum constans: in quo a *prima veritate concessa* ad *aliam magis, minusve remotam* statuendam progredimur.

Medium adhibendum, ut a veritate concessa concedenda procedat, est *perpetuam veluti intermediarum veritatum catenam* efficere, quæ illam huic alligare possit, & fieri veluti via, qua prima postremæ communicet (681).

Hoc ratiocinii genus passim extra scholas tantum adhiberi solet, si quid discutiendum sit. Duo propono exempla ceteris futura.

EXEMPLUM I. Probare velim, Deum nihil in se ἀδυνατον, aut repugnans continere. Hoc ratiocinio, quod sorytes, aut gradatio est, id probabo.

In natura visibili existit Ens infinite intelligens, & infinite potens, quod illam movet, ac regit, quodque ego Deum voco. Quod visibilem naturam movet, ac regit, existit. Quod existit esse potest; quod esse potest nihil in se ἀδυνατον, aut repugnans habet.

Ergo a prima assertione ad postremam progrediendo constat, ens illud ineffabile, quo mundus iste visibilis regitur, nihil in se ἀδυνατον, aut repugnans continere.

EXEMPLUM II. Si pari modo probare velim, punitionem impii in vita futura supponere ejus libertatem in præsenti vita, hoc ratiocinio, quod sorytes, aut gradatio est, uti possum.

Impii punitio in vita futura, non nisi Deo, qui natura ipsa justissimus est & sapientissimus, agente, seu dæmoni permittente, eumque dirigente, fiet. Hæc ergo punitio justa, & sapiens erit. Ergo reus hic a crimine abstinere potuit,

&

& actionem omittere, aut omissionem evitare, qua punitur. Ergo reus hic, qui punietur, vere, & re ipsa liber erat in actionibus, aut omissionibus, quarum pœnas luet (681).

Ergo a prima propositione ad postremam procedendo demonstratum est, impii pœnas in futura vita necessario ejus libertatem in hac vita supponere.

726. NOTA. *Praeceptum unicum* de soryte, seu gradatione est, *ideas medias* primam propositionem postremæ conjungentes ita inter se dispositas, & colligatas esse debere, ut singulæ a præcedenti absolute pendeant; & eandem inter illas a prima ad postremam relationem dari. (725 & 742).

INDUCTIO.

727. DEFINITIO. *Inductio* est ratiocinium, quo tandem de aliquo toto quidpiam affirmatur, aut negatur, postquam hoc idem de singulis totius partibus seorsim affirmatum, aut negatum fuit (88).

Hujusmodi, exempli causa, est sequens ratiocinium, in quo supponitur, tres tantum totam Aristi familiam efficere: „ miles præclarus vir „ est hac ratione; sacerdos præclarus est hac „ alia ratione; soror præclara fœmina est hac „ alia; ergo tota Aristi familia præclara est. "

Inductio in iis, quæ rebus accidunt, perraro fieri potest; in iis, quæ rebus natura insunt, inutilis est. Quare in dialectica hoc ratiocinium minimi usus est, minimæque utilitatis.

CON-

CONCLUSIONES ASSYLLOGISTICÆ.

728. DEFINITIO. *Conclusiones assyllogisticæ* (a) dicuntur quædam conclusiones rectæ, & exactæ, quarum patet rectitudo; quæ tamen ad nullam dialecticæ legem, aut ad ullum præceptum adduci possunt; neque syllogistica forma, nisi terminis admodum mutatis efferri possunt.

Hujusmodi est conclusio hæc assyllogistica, quæ ab eo, quod res directe exhibet, ad id, quod indirecte exhibet, inferendo obtinetur; sive ut scholarum more loquamur; concludendo *a recto ad obliquum*; ut in sequenti exemplo, & huic similibus sexcentis. „ Christus est Deus, „ Ergo mater Christi est mater Dei. “

Hujusmodi quoque est hæc alia, quæ habetur rerum relationem invertendo, quam propterea dialectici nonnulli dicunt *inversionem relationis*; ut in sequenti exemplo, aliisque similibus. „ Si David est pater Salomonis; Er„ go Salomon filius est David. “



§. III.

SYLLOGISMI VITIA.

729. Vitiosus *syllogismus* ille quicumque dicitur, cujus conclusio a præmissis non descendit.

Generatim *falsum ratiocinium* dicimus illud quod-

(a) ETYMOLOGIA. *Assyllogisticus. A syllogismo non dependens, quin illi tamen sit oppositus. Ab α privativa particula, & συλλογισμὸς, syllogismus.*

quodcumque, a cujus præmissis conclusio non descendit.

I. Nihil interest præmissæ, & conclusio syllogismi sint ne in se veræ, an falsæ; ut enim jam monuimus, (685) syllogistica rectitudo a veritate propositionum, aut falsitate non pendet, quibus ratiocinium quodvis conficitur.

Quare non *falsum*, at vitiosum erit *ratiocinium*, cujus præmissæ, & conclusio propositiones falsæ fuerint; modo conclusio a præmissis recte fluat.

Contra vero ratiocinium, cujus præmissæ, & conclusio veræ fuerint, adhuc *falsum*, aut vitiosum erit, si conclusio in præmissis non contineatur, nec ab illis descendat.

II. Syllogismi, & in genere ratiocinii vitia omnia a fontibus duobus oriuntur; nempe aut a *pravo animo*, quo quis decipere, & fallere nititur ratiociniis captiosis utens, quorum fallaciam non ignorat; aut ab *intellectus debilitate*, qua fallere quis non tentat, nisi quia re ipsa suo ipsomet ratiocinio, cujus vitium non detegit, ille decipitur.

Hinc ortum habuere sophisma, & paralogismus; quæ duo cetera omnia vitiosi ratiocinii genera complectuntur.

SOPHISMA, ET PARALOGISMUS.

730. *Sophisma*, *&* *paralogismus* ratiocinia falsa sunt veri speciem præseferentia.

Binæ hæ ratiociniorum species natura diversæ non sunt: semper enim sunt veræ dialecticæ abusus, & eversio. Neque effectu differunt, qui semper æque fallere contendit, & quid semper obscurum, & ambiguum in rebus enunciandis præsefert. Tantum itaque in causa differunt; mente scilicet: quæ mens enim sophisma profert, mendax est, & fallere intendit; quæ paralogizat, fallitur ipsa, non tamen fallere intendit. I. *So-*

I. *Sophisma* a litigii libidine, & a mala fide procedit, quibus specie veri errorem, & illusionem ferit (729).

II. *Paralogismus* est falsum ratiocinium, quod a mentis debilitate, aut a non satis accurata animadversione procedit: hoc nosmet ipsos decipimus, aut pro vero falsum principium assumendo, aut pro recta pravam conclusionem habendo, quæ a vero principio derivari videtur, re ipsa tamen non derivatur.

VARII SOPHISMATIS ET PARALOGISMI FONTES.

Sophisma, & paralogismus a variis *illusionibus illatis*, aut *admissis* procedunt, quas brevibus verbis patefacere pergimus, ut eas mens dignoscere, & evitare consuescat.

731. FONS I. *Illusio æquivoci.*

EXPLICATIO. *Æquivocum* est multiplex ejusdem termini significatio; tunc vero in ratiocinio est æquivocum, quum idem terminus diversis significationibus adhibetur: hoc quatuor terminos ingerit syllogismo; qui propterea vitiosus, & nullus evadit (687): hoc sequenti argumento patebit, quod aliis pluribus, in quibus etiam magis occultum esse potest æquivocum, exemplo erit.

„ Taurus est unum ex cælestibus signis; at-
„ qui taurus est animal quadrupes; ergo unum
„ ex cœlestibus signis est animal quadrupes. "

Hic æquivocum peculiarem explicationem postulat, quæ apte ejus & naturam, & objectum palam faciat.

I. Fieri omnino potest, ut *in verbis* habeatur *æquivocum*; potest enim eadem vox usu instituta esse ad plurium rerum omnino diversarum ideas excitandas, quæ nihil habeant inter se commune, aut analogum. Hujusmodi est vox *Taurus*, quæ & animal agros nostros arans,

&

& quandam in zodiaco stellarum congeriem significat (258).

II. At *in ideis æquivocum* non datur; nequit enim rei unius imago rei alterius imago esse; puta, idea tauri agros arantis esse unquam nequit idea, aut imago illius cælestis signi, quod Taurum dicimus. Eadem vox has duas simul ideas excitat; & harum una nunquam est altera.

III. Raro æquivocum invenitur in ratiocinio, cujus objectum sunt res *materiales*, & *sensibiles*; in his enim, quarum vel rudes semper habent ideas nitidas, atque distinctas, fieri ferme nequit, ut ratiocinium satis non indicet qua significatione vocem adhibeat multiplicis significationis.

IV. Multo sæpius æquivocum invenies in ratiocinio de *rebus ad mores pertinentibus*, quarum ideæ passim minus nitidæ, minusque apud plerosque distinctæ sunt.

Exempli causa vox *Religio* aliquo pacto valde æquivoca est: aliud enim apud Christianos, aliud apud Mahumetis cultores, aliud apud idololatras significat.

Vox quoque *Ecclesia* valde æquivoca est; hac enim voce catholicus intelligit ecclesiam successorum Apostolorum, Calvinista ecclesiam Calvini, Lutheranus ecclesiam Lutheri.

Idem dicas de aliis innumeris objectis moralibus, ut hi sunt *virtus*, *honor*, *pudor*; quibus ideæ valde diversæ diversis ætatibus, & apud diversas nationes accommodatæ fuerunt.

In ratiociniis de hujusmodi moralibus objectis valde necessarium est ad æquivocationem vitandam, objecta, de quibus sermo, accurate statuere, ac definire, priusquam propugnentur, aut oppugnentur.

732. FONS II. *Illusio compositionis*.

EXPLICATIO. Error, seu illusio, de qua hic

hic sermo, ratiocinium vitiat, *quum a sensu diviso ad sensum compositum transitus fit*; quum scilicet res conjunguntur, quæ, ut veræ sint, divisæ, aut seorsim singulæ sumi debent.

I. Hoc vitio laborat hoc ratiocinium: „ unum, & duo sunt par, & impar; sed tria „ sunt unum, & duo; ergo tria sunt par, & „ impar. "

In eo vitium est, quod medius terminus: *unum, & duo* in majori sumitur in sensu diviso; in minori vero in sensu composito.

II. Eodem vitio laborat hoc aliud. „ Ex e„ vangelio cæci vident; sed cæci videre ne„ queunt; ergo qui videre nequeunt vident. "

In eo vitium est, quod in majori medius terminus *cæci* sumitur in sensu diviso, seu supponitur cæcitatem ademptam esse illi, qui prius cæcus erat, & postea miraculo fit videns; contra vero in minori idem terminus sumitur in sensu composito, sive conjungitur qualitas cæci cum qualitate videntis.

III. Hinc vides qua significatione intelligenda sint verba hæc evangelica: *surdi audiunt, claudi ambulant*, & alia hujusmodi. Hæc vera sunt in sensu diviso, non in composito.

Verum est eos, qui surdi erant, & miraculo a surditate sanati sunt, audire; non autem eos, qui surdi sunt, & surdi perseverant, audire.

733. FONS III. *Illusio divisionis*.

EXPLICATIO. Hoc vitium in ratiocinio est quum a sensu composito transitus fit ad sensum divisum: quum scilicet ea separantur, quæ, ut vera sint, conjuncta sumi debent.

I. Hoc vitio laborat hoc ratiocinium. „ apo„ stoli Jesu Christi fuerunt duodecim pauperes „ Israelitæ; sed Petrus, & Paulus fuerunt „ apostoli Jesu Christi; ergo Petrus, & Paulus „ fuerunt duodecim pauperes Israelitæ. "

In hoc vitium est, quod in majori apostoli col-

collective, & in sensu composito sumuntur; in minori vero distributive, & in sensu diviso.

II. Eodem vitio laborat hoc aliud: „ Ex evan-„ gelio avari, & impudici nequeunt salvi fie-„ ri; sed ex eodem evangelio omnes homines, „ ac propterea etiam avari, & impudici pos-„ sunt salvi fieri; ergo ex evangelio iidem ho-„ mines possunt, & non possunt salvi fieri. “

Vitium in eo est, quod in majori impossibilitas salutis pro avaris, & impudicis sumitur in sensu composito, supponendo scilicet eos perseverare, & mori in statu reprobationis; & in minori possibilitas salutis pro avaris, & impudicis sumitur in sensu diviso, supponendo, eos mutatis moribus impudicitiam, & avaritiam non amplius secuturos.

III. Hinc vides quo sensu intelligenda sint scripturæ verba: *Deus justificat impios:* vera est propositio in sensu diviso, falsa in sensu composito.

Deus justificat impios, qui impii esse desinunt, non qui impii perseverant. Idem dicas de similibus.

734. FONS IV. *Illusio transitus ab uno statu ad alium.*

EXPLICATIO. Hoc vitium tunc est in ratiocinio, quum ab uno rei statu ad alium quemcumque ejus rei statum illatio fit; quod pluribus modis fieri potest.

I. Quum a *præcedenti rei statu* ad ejusdem rei subsequentem statum, in quo non omnino eadem amplius est, trasitus fit, & vice versa, quum ab hoc postremo statu ad primum transitus fit.

Exempli gratia: „ Aristus dum privatus erat „ me amicum habuit; me quoque amicum ha-„ bebit modo ad amplissimam dignitatem ela-„ tus. “

Qui ita ratiocinatur adagium oblitus est: *honores mutant mores.*

Item

Item exempli gratia: „ Hodie comedisti quod „ heri occidisti: ergo heri perdicem assam occidisti. “

II. Vitium hoc est quum *a statu abstractionis rei* ad naturalem rei statum, & reciproce quum ab hoc ad illum transitus fit. Exempli gratia: „ Homo abstracte sumptus est compositum ex corpore organico, & anima spirituali & nihil præterea; ergo homo extra abstractionis statum, & in statu naturali hoc unice est: neque albus est, aut niger; neque dives, neque pauper; neque virtutibus ornatus, neque vitiis scatens, cetera. “

Hoc sophismatis, seu paralogismi genus sæculo proxime superiore omnia impia absurda athei Spinosæ peperit. *Tenebrosi* hujus *sophistæ* nullo titulo inter illustres philosophos recensendi, quo nomine nonnulli recentiores illum insignire voluerunt, fundamentum, cui ipse imbecilles suas ratiocinationes extruebat, hoc erat: „ Quum substantiam in statu abstractionis concipio plures substantias non concipio; ergo in „ naturali rerum statu non nisi una, atque unica substantia est. “

III. Hoc quoque vitium in ratiocinio est, quum de rerum congerie agitur, & ab earum *sensu composito* ad sensum divisum transitus fit, aut vice versa; quemadmodum supra explicavimus. (732 & 733).

IV. Hoc tandem vitium admittitur quum de hominis juribus, & immunitate differitur, & *ab ejus statu pure naturali* in silvestri vita ad statum socialem in monarchia, aut republica illatio fit. Exempli gratia: „ Homo in vita silvestri solus, & solitarius, nemini ullo prorsus „ pacto subditus esset: ergo neque in statu sociali, qui a silvestri vita omnino diversus est, „ ulli ullo pacto subditus esse debet. “

Si primus status, silvestris scilicet, cum hac omnimoda libertate stare potest; status alter, so-

socialis nempe, necessario postulat, *membrorum omnium libertatem* intra certos limites legibus coerceri; & potestatem esse constantem, semperque armatam, quæ leges has infringi vetet, quibus sublatis societas dissolveretur.

735. FONS V. *Illusio extensionis termini.*

EXPLICATIO. Diversis modis hac illusione ratiocinium vitiari potest, quos satis erit generatim indicare.

I. Vitiari potest primo *quum a rei accidentibus ad absoluta fit illatio*; sive quum ab iis, quæ rei fortuito, aut usu accidunt, ad id, quod in se ipsa est natura, & instituto, illatio fit.

Exempli causa; „ philosophia impiorum abu- „ su incredulitatem auxit; ergo philosophia na- „ tura sua perniciosa est. "

II. Vitiari deinde ratiocinium potest, *quum a termino magis generico ad minus genericum fit illatio*; puta a genere ad speciem, a specie ad individuum (614 & 194).

Terminus minus genericus magis genericum continet; exempli gratia, terminus *homo* terminum *substantia* continet; at magis genericus minus genericum non continet; puta terminus *substantia* terminum *homo* non continet.

III. Hoc vitium habetur *quum ab uno rerum genere ad aliud fit illatio*. Ita vitiosum est hoc ratiocinium, quo nonnulli Epicuræi contendebant, Deos, si Dii sunt, humanam formam habere: „ Dii habent quidquid perfectius est; „ ergo habent humanam figuram, quæ est om- „ nium perfectissima. "

Quod figura perfectissimum est, potest non esse id, quod in alio quovis genere perfectissimum est. Quare, posita etiam humana figura omnium figurarum perfectissima, non proinde sequitur, hoc esse quod *in omni natura genere* perfectissimum est; nec, naturam dari non posse nulla figura præditam, & omni natura perfectiorem, quæ humana figura prædita esset,

IV. Ineſt quoque hoc vitium ratiocinio, in quo *ab igneto contra notum, aut ab incerto contra certum illatio fit*. Ut in duobus ſequentibus exemplis plane abſurdis, quibus innumera ratiocinia ſimilia ſunt, quæ ut legitima venditantur.

„ Incertum eſt num in planetis homines ſint; „ ergo incertum eſt num homines in terra ſint, „ quæ eſt planeta, quem incolimus. "

„ Incertum eſt quo loco fuerit Babylon; ergo incertum eſt an Babylon fuerit. "

V. Vitium hoc ineſt tandem ratiocinio, in quo *a parte ad totum fit illatio*. Exempli cauſa. „ Hic, & alter Italus, cum quo mercabar, me deceperunt; ergo omnes Itali doloſi ſunt, „ & deceptores. "

Ineptum hoc, & abſurdum paralogiſmi genus frequentius, quam putetur, eſſe poteſt, quum de nationum moribus judicium fertur.

736. FONS VI. *Illuſio cauſa non cauſa*.

EXPLICATIO. Variis modis, ut præcedens, hæc illuſio ratiocinium vitiare poteſt. Exempli gratia:

I. Quum effectus certi cauſam dicimus *res tantum concomitantes*, quæ plane nihil in hunc effectum influunt, ut in hoc ratiocinio:

„ Poſtquam turris Londinenſis eſt, plura exarſere bella civilia; ergo hæc turris horum „ bellorum cauſa fuit. "

Aut in hoc alio. „ Hiſtoria docet apparentibus cometis horrida bella ſemper exarſiſſe; „ ergo cometæ bella aut efficiunt, aut annunciant. "

Aut in hoc alio: „ Ter, aut quater die veneris ludum infauſtum luſi; ergo dies veneris „ mihi ludenti infauſtus eſt. "

Vel ſolo naturæ lumine quiſque intelliget, *duorum rerum concurſum* non probare, alteram alterius cauſam eſſe. Hinc dialecticum adagium: *hoc, & hoc: non hoc propter hoc*.

II. Ri-

II. Vitium hoc deinde inest ratiocinio, quum certi effectus causa dicitur *quid inane & commentitium*, quod existat necne incertissimum, & cujus natura fabulam olet; imo cujus actio, si daretur, nimis effectui præstando impar appareт.

Hujusmodi sunt *qualitates occultæ* a Paripateticis inventæ, ut corporum proprietatibus causam assignarent. Hujusmodi *vortices* Cartesii, quos magnorum naturæ phænomenorum causas effecit. Hujusmodi *corpuscula adunca* ab Epicuro excogitata, & a Gassendo admissa, ut telluris, & planetarum constructionem explicaret. Hujusmodi pori *matricis formæ*, & *corpuscula vitis formæ* a Cartesio excogitata, ut magnetica phænomena explicaret; & alia hujusmodi.

III. Inest quoque ratiocinio, quum affectui imaginario, & inani *vera causa*, *aut imaginaria* tribuuntur; patet enim, effectum imaginarium nullam causam habere.

Paralogismus hic fortasse non, ut putatur, rarus est. Audivimus aliquando inter homines, ceteroqui doctos, *nonnullos semi-physicos*, qui omnino philosophice se explicare jactitabant, qua ratione salamandra igne viveret, qua ratione in nube fulminante conglobentur massæ æque solidæ, fortasse etiam æque graves, ac globus majoris tormenti bellici; quare hæc tormenta quo graviora, & solidiora sunt explosa minus retrocedant; quare globus ab his explosus minori vi polleat quum e tormento erumpit, quam quum jam viginti, aut triginta hexapedas percurrit; quare, si in conclavi duo pendula sint nulla ratione inter se communicantia, altero accelerato, aut retardato, alterum quoque acceleretur, aut retardetur; & sexcenta alia fabulosa his similia.

IV. Vitium hoc quoque invenitur, quum effectibus naturalibus, quorum causa physica igno-

ratur, *causa extraordinaria* tribuuntur, quæ nihil naturali rerum ordini commune habent, & quæ passim inter fabulas sunt recensendæ, uti magia, astrologia, sortilegium, necromantia, aliæque hujusmodi.

737. FONS VII. *Illusio mutata thesis, seu ignoratio elenchi* (a).

EXPLICATIO. Vitium hic definiendum, & explicandum ratiocinio inest, quoties quod discutiendum est, ignorando, aut ignorare simulando, quid omnino a quæstione pertractanda diversum proponitur. Exempli gratia:

I. Thesis mutatur, sive *ignoratio elenchi* habetur, quum major concessa pro minore negata probanda sumitur.

II. Idem accidit, quum adversarium impugnando, ab illo principia, quæ non admittit, admissa supponimus: facta concessa, quæ non concedit; & vice versa quum ab eo negata principia, aut facta supponimus, quæ non negat.

Frequentissimum hoc vitium est in causis forensibus agendis, in rebus polemicis, maxime vero apud eos, qui *novatores* nuncupantur. Hi, ut invisam reddant ecclesiam catholicam, a qua recedere statuerunt, sæpissime illi errores impudentissime affingere non erubescunt, quos ipsa omni celebritate proscribit, atque ejurat.

738. FONS VIII. *Illusio petitionis principii*.

EXPLICATIO. Petitio principii & in ratiocinio, & in definitione haberi potest. Utrobique inepta est, & ridicula.

I. Tunc in ratiocinio per Aristotelem datur petitio principii, quum urgenti difficultati respondetur id ipsum, de quo quæstio est.

Exempli gratia: Contendit Aristus, tellurem in-

(a) *Ignoratio elenchi, ignoratio, aut error in quæstionis themate. Hoc nomine ab Aristotele indicatur hoc sophisma; ab ἐλεγχος: argumentum.*

in centro universi immotam esse; Clitander vero, globum esse circa solem immotum orbitam describentem: hoc est inter hos duos quæstionis argumentum. Clitander plurimis validissimis rationibus Aristum urget, illi gravissima absurda ob oculos ponens, quæ tellus immobilis secum trahit. Respondet Aristus, nullum ex hoc absurdum sequi posse; *tellus enim re ipsa est immobilis*. Hæc ipsa est petitio principii ab Aristotele definita, & a sana dialectica proscripta.

Non rara in scholis est inepta hæc sophismatis species: ibi sæpius audimus, *principium non probatum in sui probationem adduci*; & veluti intercalare quoddam esse putidæ distinctionum, quæ nihil distinguunt cantilenæ, & inanium explicationum nihil explicantium blaterationi.

Ut hoc vitium evites, *mente has præcipuas dialecticæ veritates* alte infigas oportet: scilicet, incertum per incertum, aut per incertius non probari; ignotum per ignotum, aut per ignotius non explicari; a principio non admisso nihil inferri posse.

II. *Petitio principii* in definitione datur, quum rei natura per ipsam ejus rei naturam explicatur.

Exempli causa, si quis ut aquam definiat, aut ut ejus naturam explicet, dicat, aquam esse *partium aquearum congeriem*, petitionem principii faceret in definitione; patet enim, quamvis aquæ particulam re ipsa aquam esse, adeoque id ipsum, quod definiendum est, & explicandum, & cujus natura neutiquam explicata est.

Dicere enim, aquam esse particularum aquearum congeriem, aerem partium aerearum congeriem, aliaque hujusmodi, prorsus est dicere, aquam esse aquam, aerem esse aerem. Hoc est propositiones tantum identicas, adeoque ineptas graviter pronunciare (671).

739. FONS IX. *Illusio circuli vitiosi* (a).

EXPLICATIO. *Circulus vitiosus* est, quum duo, quæ dubia sunt alterum per alterum probatur; scilicet primum per alterum, & alterum per primum. Exempli causa, si Dei infinite sapientis existentia, quæ controversa supponatur, per idearum veracitatem; & idearum veracitas, quæ quoque controversa supponatur, per Dei infinite sapientis existentiam probetur, hoc est circulum vitiosum facere (424 & 425).

Patet circulum vitiosum fieri, ac proinde non rectum ratiocinium, *si iisdem, alterum per alterum, duo probes, quæ ab iis omnibus negantur, aut incerta dicuntur*.

At *nullus circulus vitiosus* fit, si diversis duo, alterum per alterum, probes, qui de his duobus diversa sentiunt; ita ut ab horum aliquibus alterum ex iis duobus certum admittatur, quod ab aliis incertum reputatur. Exempli gratia:

I. Atheo *Dei existentia*, quam incerta vult, per corporum existentiam, quam certam admittit, probatur; Malebranchii discipulo *corporum existentia*, quam demonstrari negat, a Dei existentia, quam certam admittit, demonstratur.

II. Pari modo quibusdam atheis *Dei existentia*, quam negant, probatur per legis naturalis existentiam, quam admittunt, aut admittere simulant; & quibusdam deistis *existentia legis naturalis*, quam negant, probatur per Dei existentiam, de qua non ambigunt.

III. Ex data circuli vitiosi explicatione facile colliges, quam inique, & inaniter, circulum vitiosum a catholicis fieri, hæretici objiciant; quum scripturarum auctoritate ecclesiam infallibilem; & ab hac ecclesiæ infallibilitate probent,

(a) *ETYMOLOGIA. Circulus vitiosus. Rationum in se ipsas recurrentium circulus.*

bent, hunc, vel illum librum esse divinitus inspiratum; sive hunc vel illum esse verum scripturarum sensum.

Contra hæreticos hos firmissime, & ad omnes inconcussas dialecticæ leges catholici ratiocinantur.

Scripturæ sacræ, quæ nos, & hæretici nobiscum unanimes esse infallibile Dei verbum fatemur, ut publicanum aut ethnicum habent, hominem scilicet Deo invisum, qui infallibilem ecclesiæ auctoritatem non admiserit (a); *Ergo ecclesia vere infallibilem habet auctoritatem.*

Ecclesia infallibilem auctoritatem habet a scripturis sacris evidenter statutam, & confirmatam: Ergo libri, quos Ecclesia divinos agnoscit, & ut sacras scripturas habendos præcipit, re ipsa *sacra scriptura* sunt: Ergo sensus, quo ecclesia dubios, & controversos divinarum scripturarum articulos intelligendos esse pronunciat, est *verus sensus sacrarum scripturarum.*

IV. Generatim nunquam circulus vitiosus fit quum veritas dubia, & controversa per aliam certam, & admissam probatur; etsi aliunde hæ veritates se mutuo adjuvent, atque suffulciant.

CONCLUSIO, SIVE

740. COROLLARIUM. *Dialectica, seu logica est vera scientia.*

DEMONSTRATIO. Dialectica, seu logica, sive ars ratiocinii est multiplex, & perpetua theoria, ac præceptorum series accurata demonstratione probatorum, atque ab inconcussis principiis procedentium; ut tribus præcedentibus sectionibus ostensum est, quibus quidquid ad per-

(a) *Si quis autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Matth.* 18. ℣. 17.

perceptionem, propositionem, & syllogismum pertinet, ac proinde dialecticam re ipsa constituit, continetur.

Ergo dialectica scientia est, omni rigidiori significatione; scientia est omnino certa, & perspicua; ubique enim rerum evidentia innititur; scientia aliis disciplinis viam sternens, quandoquidem omnino humanum intellectum, seu logicam naturalem, facultatem scilicet ratiocinandi dirigit, illustrat, perficit, a qua semper omnes pendent humanæ cognitiones. Q. E. D.

HUMANÆ MENTIS PROGRESSUS IN INQUIRENDA VERITATE.

741. OBSERVATIO. Humana mens naturæ studens, & *veritates inquirens*, (678) varia peragere debet, quæ generatim indicare pergimus.

I. Prima humanæ mentis operatio in veritate inquirenda est *rationes invenire*, quibus quæ detegit fulcire possit, sive ut aliquid tamquam verum admittat, sive ut aliquid tamquam falsum rejiciat, sive ut quid tamquam incertum, & dubium habeat.

Prima hæc humanæ mentis operatio, primus hic rationis gradus is est, quem *inventionem* dicimus. De hoc nullum dialectica præceptum habet, aut habere potest, quo mentem excitet, & exerceat. Naturæ donum hoc est, & opus ingenii.

At hoc naturæ donum, si datur, dialectica illustrare, & scientifica theoria dirigere potest, uti iis, quæ tradit de definitione, de divisione, de ideis mediis, de soryte.

II. Altera humanæ mentis in inquirenda veritate operatio est *rationes has* apto ordine *disponere*, quo earum nexus nitide elucescat, ut ex iis perpetua lucis, & certitudinis series appareat.

Al-

Altera hæc humanæ mentis operatio, seu alter hic rationis gradus *methodus* appellatur. Hic quoque naturæ, & intellectus donum est.

Hoc donum a dialectica non habetur directe, at indirecte haberi potest. Ipsa siquidem dirigente, humana mens ordini, præcisioni, idearum delectui, & claritati assuescit.

III. Tertia in inquirenda veritate humanæ mentis operatio *in rationibus pensandis* sita est, tum singularum, tum omnium simul collectarum vim perpendendo.

Tertius hic rationis gradus *judicium* dicitur, præclarissimum naturæ donum, quod dialectica cui deest impertiri nequit, potest tamen ubi est illud dirigere, & illustrare.

IV. Quarta in inquirenda veritate humanæ mentis operatio est *ab omnibus rectam conclusionem deducere*, eamque prorsus veram demonstrare; ita ut a quibusdam veritatibus se ipsis certis, atque evidentibus *nova veritas* emergat æque certa, atque evidens, quæ tamen hujusmodi non est, nisi necessario nexu cum certis, atque evidentibus veritatibus, a quibus emanat.

Quarta hæc humanæ mentis operatio, quartus hic rationis gradus is proprie est, qui dicitur *ratiocinium*, sive ars *inferendi*. Actum hunc omnium præstantissimum, maximeque faciendum facultatis ratione utentis potissimum respiciunt præcepta omnia, ac theoriæ omnes dialecticæ. Hinc vero potius *applicationis*, quam *inventionis scientia* est; quippe qui non tam ad humanæ mentis opes augendas, quam ad illam erudiendam, ut quibus a liberali natura donata est recte, & perseveranter utatur, est institutus.

SORITES, ET SYLLOGISMUS.

742. OBSERVATIO. Contendit Lockius, universam artem ratiocinandi in eo sitam esse,

ut *idea media* inveniantur inter propositionem, quæ vera dignoscatur, & aliam, quæ statuenda sit. Qua in re recte sentit.

At vero hinc infert, universam ratiocinandi artem ad sorytem adduci debere (681 & 725); syllogismum vero, ut ab Aristotele excogitatus fuit, & ut in scholis adhiberi solet, omnino a dialecticæ praxi procul amandandum esse; qua in re fallitur; neque enim soryte minus syllogismus ideas medias admittit; quin si in veritate inquirenda aliquando sorytes syllogismo præferendus est; sæpius tamen, imo sæpissime soryti syllogismus est præferendus.

Quum *bina* habemus *media* alternatim necessaria, aut utilia ut finem semper magni momenti futurum assequamur, cur nam alterum abjiciamus, nec utrumque simul admittamus?

743. NOTA. Rationes quibus Lockius utitur, ut syllogismum, atque universam Aristotelis dialecticam proscribat, parum sane tanto philosopho dignæ sunt. Nullo prorsus pacto quod intendit istæ probant; at sane quid aliud, quod ipse non arbitrabatur, perfecte probant; sæpius scilicet, quum aliquid novi proferre velimus, falsa nos & infirma proferre. (45).

I. Quod *primum objicit* syllogismo Lockius, & quo illum omnino proscribendum censet, ut ejus loco sorytem sufficiat, est, syllogismum non esse optimum rationis instrumentum, neque optimum artificium, quo hæc facultas exerceatur; syllogismus enim, inquit, rationi non inservit, nisi in postrema ex quatuor huic facultati attributis operationibus, conclusione scilicet; nihil vero in tribus aliis, inventione, methodo, judicio illam juvat (741).

At enimvero magis ne sorytes in tribus hisce operationibus, de quibus sermo, rationem juvat? an non & iste, ut syllogismus, semper necessario supponit, humanam mentem a natura vim inveniendi, ordinandi, judicandi ob-

obtinuisse priusquam concludat? Pares ergo sunt; atque hactenus alterum alteri anteponendi ratio nulla est, adeoque indigna philosopho.

II. *Alterum*, *quod* syllogismo Lockius *objicit*, & quo illum proscribere nititur, est, illo nos uti non posse neque in consultationibus de republica, neque in allocutionibus militaribus, neque in mercaturæ negotiis, neque in communi civilis vitæ consuetudine.

Demus hoc: an vero proscribendus syllogismus propterea quod non ad omnia sit opportunus? Algebra fortasse neque ad rempublicam administrandam, neque ad cohortes alloquendas, neque in forensibus judiciis, neque in sacris suggestibus, neque in communibus mercaturæ, & vitæ civilis usibus est opportuna; illam ne propterea ut hominibus inutilem, & ineptam proscribemus? Hoc esset in apertum paralogismum delabi, in eum, inquam, quem dialectici vocant, *transitum a dicto secundum quid ad dictum simpliciter* (735).

Syllogismus in quæstionibus omnibus abstractis, atque implexis maxime utilis est. In his ab involuta rerum, & ratiociniorum congerie aliquid eruendum, ac demonstrandum est, quod tibi firma basis sit, cui insistas, & a qua progrediare. Hoc ejus munus, ac ministerium est in philosophicis omnibus, ac theologicis, imo & mathematicis disciplinis.

„ Syllogismus, inquit Leibnitius, pulcher-
„ rimum est humanæ mentis inventum. Hic
„ universæ matheseos genus quoddam est, quod
„ quanti momenti sit nondum satis notum est:
„ in eo ars nunquam errandi continetur, mo-
„ do apte illo uti sciamus. Parum abest, quo-
„ minus Euclidis theoremata vera argumenta
„ sint; verique syllogismi. Quum enim ea,
„ quæ specie enthymemata sunt, efficit (670);
„ propositio suppressa, quæque deesse videtur,
„ citatione suppletur, qua indicatur ubi illam

,, jam demonstratam invenias. Hac ratione bre-
,, vitati studet auctor, & formam servat.

,, Logicæ præcepta, pergit Leibnitius, sunt
,, duntaxat recta ratio ordine, & scripto dis-
,, posita. Præcepta hæc *provinciæ consuetudini-*
,, *bus* compares; quæ eædem sunt postquam
,, descriptæ fuerunt, ac essent priusquam scri-
,, berentur, hoc tantum discrimine, quod quum
,, descriptæ sint, facilius uno veluti obtutu re-
,, censentur, & præsto nobis facile sunt,
,, ut illis quum opus fuerit utamur.

,, Si auctorum paralogismi perpendantur, sæ-
,, pius, quam putamus, illos in logicæ præ-
,, cepta peccasse deprehendemus. Ipse vero ali-
,, quando expertus sum scripto cum probis vi-
,, ris disputans, tunc tantum recte intellecta
,, quæstione disputationem processisse, quum
,, syllogismo uti cœpimus, ut ratiociniorum
,, chaos secerneremus.

Methodus syllogistica usui esse nequit in republica pertractanda, in judiciis, in suggestu, in causis agendis: in his enim magna brevibus verbis, ac vehementibus dicenda sunt; methodus vero syllogistica potius *conclusionis methodus* est, quam *expositionis*, aut *disquisitionis*. Non tamen in his quoque erit inopportuna, si quando rebus propositis, atque discussis, aut ad *veras conclusiones* ostendendas adhibeatur, quæ a pertractatis descendunt; aut ad *falsas conclusiones* detegendas, ad quas adducerent res non apte perceptæ, exempla inepte accommodata, eloquentia fucum faciens, simulata veri, aut utilitatis species, omne demum genus sophismata.

III. *Tertium*, quod syllogismo objicit Lockius, & quo exaltata bile excandescit, est, hoc ratiocinii genus magis ad depravandam, quam ad perficiendam rationem opportunum esse. ,, Syllogismus, inquit, non ad cognitiones
,, augendas, sed cum jam acquisitis tantum ad
,, confligendum est opportunus. Quid igitur va-

,, let

„ let syllogismus? in scholis præsertim adhi-
„ betur, in quibus idearum convenientiam,
„ quæ apertissime patet, negare non erubes-
„ cunt; aut extra scholas etiam apud eos vi-
„ get, qui Doctorum exemplo idearum conne-
„ xionem ipsis quoque maxime perspicuam ne-
„ gare nullo pudore didicerunt".

Putares ne tam impudentem, calumniosamque criminationem, tamque patenter absurdam in celebri Lockii de humano intellectu opere esse consignatam?

At enimvero unde nam in sapienti Lockio fanaticus hic in syllogismum furor? ubi nam terrarum vidit, aut audivit homines esse, qui in scholis, aut extra scholas aut patentem idearum convenientiam, aut perspicuam earum connexionem nullo pudore negarent?

Plane patet, si hujusmodi homines existunt, iis qui stultorum domicilio includuntur, esse comparandos; & si apud eos idearum convenientiam, aut connexionem in syllogismo negare licet, hanc quoque in soryte negare permissum iri. Quare si hujusmodi dementiæ genus (vera sit, aut somniata) ratio est, cur syllogismus proscribatur, ratio erit quoque, cur & sorytes eadem pœna mulctetur.

744. NOTA. Lockius, cujus ingenium profundum magis erat, quam nitidum, acre magis, quam rectum, peculiare magis, quam sublime, magis ad diversa a ceteris hominihus excogitanda proclive, quam ad recte cogitandum; magis aptum rem unam, quam rerum collectionem bene percipere, parum admodum scholas, quarum methodum tot convitiis traducit, frequentasse videtur. Hoc satis indicat chaos illud, quod nimium sæpius offendimus in suarum definitionum, ac ratiociniorum congerie, cui scholastica methodus, & ratiocinandi consuetudo majorem ordinem, præcisionem, diligentiam attulisset.

Qui

Qui igitur factum est, ut arbitraretur, in scholis idearum convenientiam, aut connexionem impudenter negari? puto sane quia illi fortuito contigit in scholis defendentem audire, qui ab adversario undequaque pressus, ut qua posset via effugium inveniret, propositionem aliquam evidentem impudenter negavit. Hinc sibi fortasse persuasit fortuitum hunc syllogisticæ methodi abusum ipsam esse methodum syllogisticam. Hoc vero plane est in paralogismum maxime absurdum, sed maxime communem, & a dialectica proscriptum labi, quo a rei abusu ad rei ipsius naturam illatio fit (735).

SECTIO QUARTA.

METHODUS SCIENTIFICA.

745. DEFINITIO. M*ethodus scientifica*, ut alibi monuimus (577), ars est aut notam veritatem demonstrandi, aut ignotam inveniendi. Methodus scientifica duplex est, altera *synthetica* dicitur, altera *analytica*.

I. Prima a principio evidenti, & admisso ad veritatem inde fluentem magis, minusve remotam descendit, quæ proinde ita statuta est, ac demonstrata; a principio vero siquidem nihil falsi descendere potest.

II. Altera a propositione incerta, ac demonstranda ad aliquod principium magis, minusve remotum certum, & evidens ascendit, in quod propositio incerta resolvatur; quod satis est, ut certa fiat, ac demonstrata. Quoniam enim cum principio certo, in quod resolvitur, connexionem ascendentem habet, patet cum ipso quoque *connexionem descendentem* habere, eamque ab illo pendere, & deduci.

Exem.

Exempli causa, *duobus diversis modis* probari potest, Henricum IV. a Divo Ludovico descendere, sive ostendendo, Divum Ludovicum genuisse Rupertum Claromontis Comitem, qui hunc alium genuit, & hic alium, & hic Antonium Borbonium, qui Henrici IV. pater fuit; sive ostendendo, Henrici IV. patrem fuisse Antonium Borbonium, cujus pater fuit hic, & hujus hic, & hujus Rupertus Claromontis Comes, cujus tandem Divus Ludovicus pater fuit.

Prima methodus syntheticam, altera analyticam refert (*a*).

METHODUS SYNTHETICA.

746. EXPLICATIO. *Synthesis* a simplicioribus magisque notis principiis initium facit, & veritatum certarum, apteque inter se connexarum serie procedit, donec ad rei, quam inquirit, cognitionem perveniat.

I. *In methodo synthetica* plures veritates simul congregantur, ac veluti colligantur ita, ut ex harum nexu *nova veritas* emergat, quæ ipsa id est, quod aut invenire, aut statuere intendebatur.

II. Synthesis tum ad theorema demonstrandum, tum ad problema solvendum est opportuna. Utrobique synthetica methodus a principio certo, & admisso initium facit; tum per magis, minusve prolixam consequentium apte deductorum seriem tandem ad *veritatem aut de-* te-

---

(a) *ETYMOLOGIA. Synthesis* σύνθεσις *methodus compositionis; a* σύν, *cum, &* θέσις, *positio.*

Analysis; ἀνάλυσις; *dissolutio, decompositio, A* λύω, *dissolvo, & præpositione* ἀνὰ, *in, per, inter. Totius in partes suas dissolutio,*

tegendam, *aut demonstrandam* descendit; quæ, quum a principio certo fluat, dubia esse nequit, & quum a principio certo, & admisso consequatur, aut theorema demonstrat, aut problema solvit.

747. NOTA. *Theorema* est propositio, cujus tantum veritas est demonstranda.

Problema est propositio, in qua aliquid fieri, aut inveniri petitur; & ostendi, modum, quo hoc assequimur, certum, ac tutum esse.

Corollarium, ut alibi diximus, propositio est a veritate jam demonstrata descendens, & ejus necessaria, atque evidens consequentia.

METHODUS ANALYTICA.

748. EXPLICATIO. *Analysis*, ut & synthesis, tum theoremati demonstrando, tum problemati solvendo apta est. At alio gressu, aliaque via ad metam tendit.

I. Si *theorema demonstrandum* sit; analysis primo ut verum sumit, quod est demonstrandum, & statutum supponit theorema ipsum statuendum. Deinde consequentias ex suppositione sua adhuc incerta descendentes deducit, atque ex his alias; donec ab una consequentia ad aliam transiens ad *postremam consequentiam* pervenit, quæ aliquid aut manifesto verum, aut manifesto falsum continet.

Postremæ hujus consecutionis natura veritatem, aut falsitatem propositionis demonstrandæ patefacit.

Si facta suppositio de theorematis veritate ad aliquam *consequentiam evidenter veram* perducit, suppositio recta est, & problema verum demonstratum.

Si eadem suppositio ad *consequentiam evidenter falsam* perducit, suppositio absurda est, & theorema falsum demonstratum.

II. Si *problema solvendum* sit; analysis primo

mo illud solutum supponit hoc, vel illo modo, quem ad solutionem obtinendam aptiorem putat. Hinc consequentias deducit a suppositione adhuc dubia descendentes, atque ab his alias, donec ad *postremam* aliquam *consequentiam* pervenerit aliquid continentem, quod plane δυνατόν, aut ἀδύνατον sit.

Postremæ hujus consequentiæ natura definit quænam solutio sit, quam primum veluti fortuito selegeramus.

Si suppositio nihil absurdum trahit, & ad *aliquid evidenter* δυνατόν adducit; patet veram esse, & problema solutum.

Si eadem suppositio quid absurdum trahit, & *ad* ἀδύνατον, *&* *repugnans* perducit; tunc patet, aut problema ipsum contradictionem involvere, aut assumptam solutionem problema non solvere, & aliam perquirendam.

III. Generatim in *methodo analytica* propositio adhuc incerta in suas diversas partes dissecatur; quæ omnes veræ erunt, si propositio vera sit; falsæ, si falsa sit.

749. NOTA I. *Methodus synthetica* semper ad veritatis cognitionem ipsa luce perducit. Hæc mentem illustrare, ac perficere aptior est.

Methodus analytica breviori passim via, at paullum tenebrosa, minusque apta mentem perficere ad eandem metam perducit.

Prima fere semper alteri anteferenda est, quum veritates jam notæ aliis demonstrandæ sunt. Altera primæ sæpius præferenda, quum veritates adhuc ignotæ inquiruntur. Propterea synthesis *Methodus doctrinæ*, analysis *Methodus inventionis* passim appellatur.

750. NOTA II. Methodi hæ duæ plurimum inter se diversæ videntur. Attamen si diligentius perpendantur, eas magis, quam putamus, similes inveniemus. In synthetica a simplici ad compositum, a noto ad ignotum, a trunco ad ramos; in analytica a composito ad simplex,

ab

ab ignoto ad notum, a ramis ad truncum pergimus. Carceres diversi sunt; stadium, & meta re ipsa eadem.

I. In mathematicis *methodus synthetica* nobis videtur analyticæ passim præferenda. Mentem enim magis illustrat veritatem simul, & viam, qua ad veritatem itur, ostendens.

Quum in mathematico objecto id tantum sit quod illi mens efficit, quodque optime percipit, patet semper a principiis certis, atque admissis initium fieri posse; ut deinde per magis, vel minus prolixam consequentiarum seriem semper nitidam ad *peculiarem veritatem*, quæ demonstranda est, mens perducatur. Hæc ipsa synthesis semita est (60).

II. In physicis, & in quibusdam metaphysicis, in quibus objecta non id tantum sunt, quod illa mens esse vult, sed propria, & specifica natura priusquam concipiantur prædita sunt; *methodus analytica*, quum adhiberi potest, semper syntheticæ videtur præferenda.

Exempli gratia; plurium corporum natura non apte dignoscitur, nisi dissolvantur, ut eorum diversa principia, & constitutiva secernantur. Item animæ sive hominum, sive brutorum natura apte non dignoscitur, nisi utriusque analysis veluti fiat in earum operationes, & effectus; sive ab his operationibus, & effectibus probe notis ad invisibilem, & abditam causam ascendendo, quæ horum est in homine, aut in bruto subjectum, & principium. Hæc ipsa analysis semita est.

METHODUS IN LUCUBRATIONIBUS.

751. EXPLICATIO. In variis hisce humanæ mentis productionibus, quæ & objectorum explicandorum seriem continent, & veritatum admittendarum, & principiorum statuendorum, & rerum suadendarum; *methodus* importat quemdam

dam rerum ordinem, quemdam idearum progressum; quibus omnia suo loco posita inveniuntur, omnia clara in luce collocata, apte invicem connexa, solide probata. Methodus efficit, ut omnes totius partes simul eleganti ordine, magna claritate, concordi actione propositum effectum pariant, & proprium singulæ munus exequantur.

I. Ut opus aliquod *methodicum* dici mereatur, quod nomini, & laudi assequendæ omnino necessarium est, & qua dote si opus destitutum sit, facile ceteræ omnes obtenebrescent, necesse est, totam rerum in ipso pertractandarum supellectilem apte disponi, rem suo quamque loco statuendo; quidquid inutile, & redundans est abscindi, & rejici; tenebras enim tantum, & ambages parere est opportunum; res quoad fieri potest, ita collocari, ut quæ simpliciores sunt ad magis complexas, quæ faciliores, ad difficiliores viam sternant, quæ præcedunt sequentes illustrent, ac probent; atque ex his omnibus Totum quoddam emergere nitide expositum, apte explicatum, solide connexum atque statutum, aptumque natura sua id præstare, quo elucubratum fuit, sive ut erudiat, sive ut persuadeat, sive ut animos excitet, atque commoveat.

II. Ex hactenus dictis *de operis methodo* profecto intelliges, non ita facile esse laudem hanc omnino necessariam operi alicui comparare. Si enim hac dote præditum est, plurima, eaque rara in ejus auctore necessario supponit; mentis scilicet vastitatem, & rectitudinem non communem; *rectitudinem*, inquam, qua inutile, & redundans præcidere, & in magna rerum congerie id tantum seligere novit, quod opportunum est, & eo modo illud proferre, qui ad propositum finem adducat; *mentis vero vastitatem*, qua uno veluti intuitu innumera, eaque diversa, Totum, & ejus partes complectatur, earum

rum relationes detegat, & connexionem apte percipiat; qua Totius, ejusque partium plena cognitione, omnia distribuat, & perseveranter & proposito fini accommodet, & clara luce perfundat.

III. Methodus, quam exponimus, non solum in lucubrationibus, quæ ad doctrinam pertinent; sed in iis etiam quæ ad delectandum elaborantur, est adhibenda; puta in poemate epico, in fabula Romanensi, in tragœdia, in comœdia, in historia; utrorumque enim laus ab apta rerum dispositione proficisci debet, qua propositus effectus producatur.

IV. *Methodi defectus* nimium sæpius in *operibus ad scientiam pertinentibus* deprehenditur. In his fere semper veritates utiles, nonnunquam veritates novæ, & præclaræ inveniuntur, quæ natura sua plerisque arriderent; at quum indigestæ, confusæ, inepte expositæ sint, hoc ipso displicent; nec nisi a quibusdam, quos sacra sciendi fames urget, vorari possunt.

Idem dicas de innumeris *operibus ad delectandum elaboratis*, quæ ornamentis hac illac disseminatis adhuc lectores inveniunt; ut totum tamen assumpta nauseam pariunt.

752. CONCLUSIO. *Hanc methodi laudem* in universa hac entium insensibilium theoria, ac præsertim in hac ratiocinii theoria promereri studuimus, quæ fortasse non infima totius operis pars erit; a nobis sane laboris plurimum, ac diligentiæ postulavit.

Facile nobis fuisset *Dialecticam* edere, quæ omnes hujus scientiæ partes prolixe pertractans infinita esset, quin ditior, aut utilior evaderet Non vero æque facile nobis fuit dialecticam edere, quæ scientiæ hujus objecta quæcumque complectens, & nihil desiderandum relinquens, & copiosa simul, & nitida, & solida, & brevis esset.

Proclive est dum brevitati studes, te obscurrum

rum fieri; & fieri etiam poteſt, ne fias; videmus enim, libros eſſe, breves illos, atque conciſos, mira tamen claritate, ac nitore præſtantes; ut prolixos bene multos videmus, qui obſcuri ſunt, ac tenebroſi.

Non ideo ſemper quis obſcurus eſt, quia brevis eſt, ſed quia res non bene percepit, ac mente digeſſit. Quum omnia bene perceperis, omnia etiam brevibus verbis dixeris, ut jam monuimus. In lucubrationibus plerumque prolixi, & verboſi ſunt, quibus per tempus, aut per ingenium non licuit breves eſſe. Breves libri, ſi clara methodo digeſti ſint, intelligentibus ſemper ſatis diffuſi ſunt; ingenio carentibus eos diffuſos facere eſt oleum, & operam perdere.

Finis Tractatus Tertii.

TRACTATUS QUARTUS.

THEORIA DEI.

THEORIA

ENTIUM INSENSIBILIUM

SIVE

METAPHYSICA UNIVERSA SACRA ET PROPHANA.

TRACTATUS QUARTUS.

THEORIA DEI.

NUllum sane sublimibus humanæ mentis meditationibus dignius objectum est *invisibili illo visibilis naturæ Auctore*, qui sane rerum omnium primum principium est, & finis ultimus; & quocum homo necessario maxime intimis rationibus devinctus est. Magni hujus tractatus *Dei existentia*, & *Dei natura* argumentum est, & partitio; in quo id agitur, ut moralis universæ, religionis universæ, societatum omnium fundamenta jaciantur. Ab hoc inanes omnes quæstiones, quibus tempus hæc pertractando nimium teri solet, præcidemus; his enim neque cognitiones nostræ augeri, neque mores vel minimum perfici possunt.

SECTIO PRIMA.

EXISTENTIA DEI.

753. DEFINITIO. Nondum inquirentes, num universi hujus Tractatus objectum re ipsa existat:

I. Edicimus primo, ut cuivis ambiguitati aditus præcludatur, & ut claras rerum ideas habeamus, hac voce *DEUS* nos semper re ipsa, vere, & explicite intelligere,

Substantiam increatam, & creatricem, quæ essentiali naturæ suæ exigentia æternum extiterit, quæque initio temporum ceteris entibus omnibus existentiam impertita est:

Substantiam omni perfectionum genere infinitam, quæ essentialiter in natura sua omnem perfectionem intelligibilem continet, & omnem, quæ excogitari possit, imperfectionem a natura sua essentialiter excludit:

Substantiam spiritualem nihil eorum habentem, quæ sensibus percipere possumus; in omnibus a materia, ab energia, a materiæ proprietatibus & modificationibus essentialiter diversam; quidquid visibili naturæ sive animatæ, sive inanimatæ perfectionis inesse potest eminenter possidentem; nihilque cum illa, præter auctoris, motoris, servatoris, supremi domini rationem, commune habentem.

Hoc ipsum illa ipsa voce cæcus Atheismus intelligit, qui elatis naturæ, & rationis vocibus obturans aures, hujus substantiæ, hujus Entis existentiam negare audet.

II. Prima hac sectione sensibilibus, gravibusque probationibus ostendemus; *in natura visibili Principium invisibile existere infinita intelli-*

ligentia, infinitaque activitate praditum, quod nihil illius sit, quod natura visibilis est. Quid vero hoc principium sit, nisi illud ipsum Ens ineffabile, ens infinite perfectum, cujus modo notionem tradidimus?

At vero nonne manifeste rationi repugnare est asserere, *subjectum infinita potentia, infinitaque intelligentia praditum* non esse quoque infinita bonitate, justitia, sapientia, sanctitate, omni demum infinita perfectione præditum? Infinitum perfectione indivisibile est: aut totum est, aut nihil.

754. COROLLARIUM. Ex hac definitione consequitur, *si Deus in natura existit, hunc in essentia sua continere quidquid perfectionis concipi potest, quidquid habere melius est, quam non habere; eumque ab essentia sua excludere quidquid vitium, aut imperfectionem olet, quidquid non habere melius est, quam habere.*

Quare si quando demonstraverimus, Ens hoc re ipsa existere, jam ut definiatur habeat, nec ne hanc, vel illam proprietatem, hoc vel illud attributum, nil jam opus erit, nisi ut perpendatur, melius ne sit id habere, quam non habere.

PROLEGOMENA AD DEI EXISTENTIAM.

755. OBSERVATIO. Ut *Dei, ejusque omnino a natura materiali sensus nostros afficiente distincti, existentia* solide, & inconcusse statuatur, necessario & intellectus, & experientiæ ministerio uti debemus.

Experientia naturam visibilem, & præcipua ejus phænomena nobis patefaciet; a quorum cognitione ratiociniorum valide suadentium serie perpetua, Dei, ut eum modo definivimus, existentiæ demonstratio deducetur.

Hanc ferme viam toto hoc tractatu prosequemur. Interea his prolegomenis præcipua, quæ

hic observanda, statuenda, demonstranda suscepimus, generatim proponemus.

756. ASSERTIO I. Evidens est, *aliquid æternum extitisse*; ceterum nihil modo existeret. Cuicumque vero sentienti, & cogitanti certum est, aliquid modo existere. Q. E. D.

757. ASSERTIO II. Evidens est, *Id, quod æternum extitit, in se, & a se essentialem, & infinitam energiam habuisse*; hac enim tantum energia hoc æternum existens in propria sua existentia æternum fœcundum esse potuit.

I. *Energia accidentalis* suppofuisset extrinsecam causam, a qua produceretur; ergo accepta fuisset; non ergo fuisset æterna; non ergo in subjecti sui, seu in rei, in qua existit, existentia æternum fœcunda esse potuisset.

II. *Energia limitata*, etsi subjecto, seu rei, in qua existit, essentialis supponeretur, sufficiens non fuisset, ut esset principium æternum æternæ hujus subjecti, sive rei existentiæ; præsertim si hoc subjectum, sive res hæc proprietates illimitatas, & infinitas in sua natura contineat. Patet enim, principium sive productum, sive improductum, rei, cujus principium est, communicare non posse quod ipsum non habeat. Q. E. D.

758. ASSERTIO III. Evidens est, *Id, quod essentiali energia, & essentiali natura sua exigentia æternum extitit, perire non posse*. Eadem siquidem energia intrinseca, essentialis, infinita, quæ illi ante omnia tempora existendi necessitatem indidit, eandem illi omni tempore, & ultra omnia tempora existendi necessitatem inferet. Q. E. D.

759. ASSERTIO IV. Evidens est, *materiam magis nobis observatione notam, cujusmodi est terra, & aqua, non id esse, quod essentiali, & infinita sua energia æternum extitit*. In hac materia siquidem non modo energiam essentialem, & infinitam, quæ illam æternum existen-

tem

tem effecerit, non deprehendimus; imo vero post accuratissimas observationes, post exquisitissima, & infinita experimenta non nisi omnimodum in illa, permanentemque energiæ defectum deprehendimus; non nisi intrinsecam, & permanentem motui, quieti, actioni, aut non actioni indifferentiam; uno verbo non nisi *intrinsecam inertiam*.

Materia hæc non modo se præditam non ostendit principio intrinseco actionem suam efficiente; potius vero *resistentiam re ipsa* se habere natura indicat actioni, quam causa extranea illi communicare nitatur; resistentiam, inquam, physicam semper massæ proportionalem, omnibus physicis ac naturæ studiosis notam, quam *vim inertiæ* nuncuparunt. Porro resistentia hæc *accidentalis* est, quippe quæ a natura, & essentia substantiæ in se inertis provenire nequit, nec nisi causæ extraneæ effectus esse potest; quæque re ipsa nihil est, nisi effectus *legis naturæ*; voluntatis, scilicet, liberæ, & efficacis Entis intrinseca sua, atque infinita energia essentialiter existentis. (*Phys.* 286, *&* 291).

Quibus positis, præcipuam jam veritatem observatione, & ratiocinio solide statutam, ac demonstratam habemus; *in duabus* nempe *materiæ speciebus*, quę magis a nobis intime dignosci possunt, terra, scilicet, & aqua, nullam *earum existentiæ rationem sufficientem* apparere; hisce binis magis notis materiæ speciebus observationis, & ratiocinii judicio essentialem, atque æternam existentiam repugnare; illisque hoc eodem observationis, & ratiocinii judicio non nisi aliunde acceptam, & *accidentalem existentiam* ab energia, & actione extrinsecæ, & præexistentis causæ productam (quæcumque causæ hujus natura sit) convenire posse. Q. E. D.

760. ASSERTIO V. Evidens est, *Si materia homogenea est, seu natura similis in omnibus*

bus corporibus (120); *idem de aere, de luce, de quavis materiali substantia, quod de terra, & de aqua diximus, dici posse*; hanc nempe substantiam, quæ aerem, ignem, lucem, liquida, & fluida quæcumque constituit, substantiam esse natura inertem; quæ si actionem habet, hanc a principio a materia diverso mutuatur; quæ si existit, non nisi aliunde acceptam, & *accidentalem existentiam* ab energia, & actione præexistentis causæ productam habere potest. Ut enim duæ, seu plures substantiæ natura homogeneæ sint (*Phys.* 141 & 592), evidens est, illas eadem habere debere constitutiva physica, tum easdem positivas, ac negativas proprietates. Q. E. D.

761. ASSERTIO VI. Evidens est, *vel supposita materia intrinseca activitate, adhuc vel primo natura lumine innotescere, ipsam æternum existentia sua principium esse non potuisse, nisi in se, & a se in singulis elementis essentialem, & infinitam habeat activitatem*; evidenter enim repugnat, existentiam æternam a principio natura, & energia limitato provenire posse.

At enimvero observatione, & ratiocinio certum est, nullam notæ materiæ portionem, cujuscumque speciei illa sit, infinitam in natura, & essentia sua activitatem continere; ubicumque enim hæc activitas apparet, eam certis finibus limitatam deprehendimus.

Exempli gratia, actio, seu reactio columnæ aereæ attollit, ac sustinet ad maris libellam sibi oppositam in vacuo mercurii columnam viginti, & octo pollices altam; non tamen duplam, aut sesquitertiam attollere posset, aut sustinere.

Pari modo quidam lucis radius somitem accendit, lignum incendere non valet. Alius validior lucis radius lignum incendet, non tamen aurum, aut argentum liquefacere valebit.

Pari item modo magnes, qui acui ipsi perfrica-

catæ & in fulcro libratæ motum imprimit, non aut ferreo tormento bellico, aut incudi pariter illi perfricatæ eundem motum indere poterit.

Quæ cum ita sint, si etiam contra omnia experientiæ, & observationis testimonia supponeremus, materiam ipsam actionis suæ intimum principium esse; ubicumque in materia actionem videmus, hanc certis finibus limitatam deprehendimus, nullibi illimitatam, atque infinitam. Nulla ergo materia se essentiali, & infinita activitate præditam exhibet. Nulla ergo materia nota ita se nobis exhibet, quasi ipsa existentiæ suæ æternum principium esse potuerit. Q. E. D.

762. ASSERTIO VII. Evidens est, *quidquid virium, & actionis in materia observatur, quodque vis gravitatis, vis impulsiva, vis attractiva, vis repulsiva, vis inertiæ, aliove nomine designatur, nihil contra intrinsecam inertiam a nobis materiæ attributam probare*. Quum enim materia consideratur tamquam substantia passiva, & iners in iis omnibus, quæ ejus naturam, & essentiam constituunt, & incapax sibi ullum motum, aut actionem imprimere; non propterea censetur incapax motum, & actionem sibi *ab extrinseca causa* impressam admittere, & transmittere. Causa vero hæc extrinseca, unde motus, & actio materiæ provenit; est, aut esse potest *id essentiali, & infinita natura sua energia æternum existens*, quod nullo pacto materia est (757 & 759). Si quis ex motu, & actione in materia observata inferat, *materiam motus, & actionis suæ principium intimum esse*; eo ferme pacto ratiocinaretur, quo omnino rudes, & in silvis enutriti, ac brutis pene comparandi homines fortasse cogitarent, qui ligneos pusiones saltantes spectati, eos propria & intrinseca energia moveri arbitrarentur, propterea quia extrinsecam causam illos moventem, atque agitantem non viderent. Q. E. D.

763. NOTA. Tria in materia sunt, quæ aliquando permiscentur, accurate tamen distinguenda sunt; mobilitas scilicet, motus, & principium motus.

I. *Mobilitas materiæ* est ejus ad motum recipiendum aptitudo sive ab energia sibi propria, sive ab extrinsecæ causæ energia.

Mobilitas est *proprietas materiæ essentialis*, quæ in illa cum motu, aut quiete, cum energia ipsi sive intrinseca, sive extrinseca, esse potest.

II. *Motus materiæ* est vera ejus de loco in locum, de uno ad aliud spatii punctum translatio: quæcumque hujus translationis causa sit.

Motus est *phænomenon materiæ accidentale*: Nulla enim ratione demonstratum est, materiam universam moveri; & materia ut materia æque concipitur sive quiescat, sive motu quocumque moveatur.

III. *Principium motus* est causa in materia motum excitans; sive hoc sit aliqua *energia materiæ intrinseca*; quod experientiæ, & rationi evidenter opponi videtur; sive hoc positum sit in energia, & actione *Causæ a materia essentia distinctæ, & materia infinite præstantioris*; quod ab omnibus, quas observatio, & ratiocinium præbet, argumentis de natura materiæ solidissime demonstratum videtur (759, 880, 1222).

764. ASSERTIO VIII. Evidens est, *Id, quod essentiali natura sua exigentia æternum extitit, intrinsecam, & essentialem intelligentiam habere*. Visibilis enim tum animatæ tum inanimatæ naturæ aspectus nobis ubique offert, & patentissime ostendit rerum ideas infinite magnas, infinite varias, infinite accuratas, quæ necessario in visibili natura *substantiam intelligentem* supponunt. Porro nulla substantia intelligentia donata fuisset, nisi in aliqua substantia essentialiter existente, & intelligente intelligentia æternum extitisset. Q. E. D.

AS-

765. ASSERTIO IX. Evidens est, *Hoc, in quo intelligentia aeternum extitit, & a quo quidquid in natura visibili intelligentia dignoscimus e tempore emanavit, neque terram esse, nec aquam, nec aerem, nec ignem, neque materiam ullam nobis notam.* Observatio siquidem, & ratio concordes nobis ubique diversas has substantiarum species ostendunt iis omnibus destitutas, quae nos ideas, cogitationes, judicia, animi sensus appellamus, & quibus substantia intelligens sese patefacit. Q. E. D.

766. ASSERTIO X. Evidens est, *ordinem, atque harmoniam, quam in natura visibili, ejusque productionibus observamus, nullo pacto indicare, se ab ipsa materiali natura procedere.* Omnia enim nobis enunciant, atque testantur, materialem substantiam esse tantum inertem, caecam, passivam, ac propterea ineptam perpetuum, atque accuratum ordinem servare; hunc vero ordinem, atque harmoniam perpetuo, ac perseveranter ab illo ente infinite activo, & infinite intelligente procedere, quod essentiali naturae suae energia aeternum extitit. Q. E. D.

767. ASSERTIO XI. Evidens est, *Hoc infinite activum, & infinite intelligens, quod essentiali natura sua energia aeternum extitit, non esse plurium substantiarum activarum, & intelligentium collectionem, quarum qualibet finitam, & limitatam intelligentiam habeat.* Naturae quippe visibilis animatae, & inanimatae aspectus nobis annunciat, & plane demonstrat, *ideae, & operationis unitatem*, quae non nisi *a principio simplici, & natura unico* proficisci potuit; & praeterea evidenter repugnat, substantiarum activarum, & intelligentium collectionem, quarum quaelibet activitatem, & intelligentiam limitatam haberet, aeternum existere potuisse finita, & limitata diversarum naturarum, quibus componi supponitur, energia. Quin si hujus collectionis etiam aeterna existentia absur-

de supponeretur, adhuc ab ea activitatem, & intelligentiam infinitam prodire repugnaret, quam plane rerum visibilium existentia, & perseverantia annunciat, atque supponit; quod amplius, & fusius in tractatus progressu demonstrabimus. Q. E. D.

PRIMÆ HUJUS SECTIONIS PARTITIO.

768. OBSERVATIO. Omnibus ætatibus universa natura, & ratio hominibus edixerunt, & conclamarunt, *Deum existere*.

Omnibus quoque ætatibus exiguus hominum religionis hostium numerus tenebrosa sophismata excogitavit, quæ *elata huic naturæ, & rationis voci* objiceret, ut dubiam redderet, atque incertam Dei existentiam.

Ne quid in re tanti momenti desiderandum relinqueremus, opportunum censuimus, & *absurda* simul cæci atheismi *deliria* ob oculos ponere, quibus Dei existentiam oppugnat, & *solidas, victricesque rationes*, quibus eam demonstrat sana philosophia. Hæc primæ hujus sectionis partitio, hoc duorum sequentium articulorum argumentum.

769. NOTA I. Veritas si cum mendacio confligat sæpius clarius elucet. Tunc eam majori nisu majorique securitate amplectimur, quum clare perspeximus quæ gravia, & horrenda absurda necessario admittenda sint, ut ea oppugnetur, aut deseratur. *Incredulus enim nequit una manu diruere, quin altera ædificet.*

Exempli gratia, *Dei existentia* impugnari nequit, quin absurda hypothesis admittatur materiæ æternæ sese ipsam moventis, disponentis, & in organa conformantis. *In divina providentia existentiam* insurgere quis nequit, quin absurda illa admittat hinc necessario consequentia; Deum scilicet sapientia, & justitia destitutum, & recti ordinis non amantem. *Existentia*

tia substantia spiritualis in homine negari nequit, quin supponatur, & admittatur simplex materia apta & sublimes cogitationes, & magnos animi sensus habere.

Quæ infirmam, & inermem incredulitatem reddunt, sunt ipsa ejus principia, absurda nempe deliria, quæ solidissimis veritatibus ab ipsa impugnatis substituere cogitur. Hoc ipsa præstare nequit, quin se insanam, absurdam, ridiculam aperte prodat.

Hac itaque parte oppugnanda est; hoc fœdo aspectu palam ostendenda & iis, quos jam seduxisse potuit, & iis quos seducere parata est.

770. NOTA II. Duobus sequentibus articulis *omnia atheismi argumenta* nihil infirmatis eorum viribus, quæcumque sint, proponemus; quotquot scilicet speciosa systemata, aut seducentia ratiocinia duobus, vel tribus mille annis excogitavit, ut *Entis increati*, & *creantis* existentiam impugnaret. Plane siquidem nobis persuademus satis fore, hæc atheorum argumenta protulisse, ut aperte pateat quam infirma, ac laborantia sint, & quam eorum principia, & ab his consequentia absurda sint (76).

Horum articulorum, qui ambo ad atheismum detegendum, & conterendum sunt instituti, primus præcipue quibus modis sese tueri athismus nitatur, alter quibus armis aggrediatur ostendet.

ARTICULUS PRIMUS.

ATHEISMUS, ET EJUS ABSURDA SYSTEMATA.

771. UT dicendis de atheismo præludamus, ab ejus accurata notione tradenda initium faciemus, quæ quid ipse sit plane ostendat, & ab eo, quod non est, illum apte secernat.

I. *Atheismus* dicitur impia opinio, quæ Deum esse negat, aut tantum *Deos* admittit *apathos*, *& inertes*, qui naturæ formandæ non præfuerunt, qui in ejus actione, & conservatione nihil agunt, qui nihil umquam in iis, quæ ad ipsam spectant, præstiterunt neque in physicis, neque in moralibus.

Si atheum audias, idea Dei creatoris, Dei legislatoris, Dei criminum vindicis, aut virtutis remuneratoris omnino fabulosa est. *Natura visibilis* sive animata, sive inanimata, sive intelligens, sive non intelligens non est nisi fortuita substantiarum materialium conglobatio, cujus omnia constitutiva physica æterna sunt, & increata, cujus leges omnes necessariæ sunt, & immutabiles, cujus universitas cæci casus tantum effectus est, a quo, nulla prævia, ac præexistente idea, partes omnes dispositæ, ac distributæ fuerunt. Nulla spiritualis substantia neque creata, neque increata illi præest, aut illam regit; nulla superior potestas, ab ipsa distincta illi dominatur. Neque in ipsa, neque extra ipsam Deus ullus est; aut si qui in ipsa, aut extra ipsam Dei sunt, materiales illi sint, aut immateriales, nihil illis cum ipsa est, nihil ipsi cum illis.

II. *Materialismus* dicitur absurda, ac detestanda opinio, quæ in rerum universitate unicam substantiæ speciem, materialem scilicet, admittit; quæque propterea ab universa natura substantiam quamvis spiritualem sive increatam, sive creatam excludit.

Si materialistam audias, nullus est in natura Deus; aut si quis est, is ipsa materia est naturam componens. Neque vera anima in homine est; quod *anima humana* dicitur ipsa materia est, quæ humani corporis organa componit.

Hinc vides, *materialismum esse atheismum adhuc extensum magis;* quippe qui verum Deum

e na-

e natura tollens, etiam chimæricos tollit. Quare binæ hæ sententiæ unica tantum re ipsa sunt; idem enim objectum habent, & nomine tantum diversæ sunt. Quisque materialista atheus est: quisque atheus materialista. Ambobus omnia in universo materia sunt: homo æque, ac silex. *Intelligentia*, & *sensus* quocumque in subjecto sint, modificationes tantum sunt materiæ organicæ, quæ hoc ipso intelligens, & sensibilis fit, quin materia esse desinat.

III. *Deismus* nuncupatur impia opinio, quæ Deum visibilis naturæ auctorem existere admittens, ejus *providentiam* negat; seu quæ concedens, visibilem naturam tum animatam, tum inanimatam a *Deo æterno* infinite intelligente, & omnino a materia distincto conditam esse, ejusque leges a Deo statutas, vult Deum hunc in hoc opere suo nihil amplius agere.

Deista tenet, in natura Deum esse, unicum, purum spiritum, existentia æternum, perfectionibus infinitum. At hic Deus rerum universitatis, & hominis conditor, nihil amplius agit neque in hac universitate, neque in homine perinde ac si non esset.

Rerum universitatem creans, aut condens, eam *certis*, *& immutabilibus* legibus subjecit, quæ ipsæ sufficiunt ad eam permanentem efficiendam. Quare, ut stet rerum universitas, Deo non amplius indiget.

Hominem creans, aut condens, mechanica organa illi dedit, quæ sufficiunt ad eum in physicis dirigendum; & divinæ suæ lucis radium, sive *Rationem*, quæ illi satis est, ut in moribus dirigatur, ut illi ostendat quid facere, quid vitare debeat; quæ homini legis, & judicis loco sit. Quare Deus nihil jam hominem curat; hic vero in suis organis, & in ratione sua id omne habet, quod ad munus suum exequendum opus est. Præterea homo *nimis exiguum objectum est*, quod ens infinite magnum

ab

ab æterno solio suo respicere dignetur, cujusque necessitates, actiones, gaudia, molestias, virtutes, crimina, cultum, aut blasphemias curare velit.

772. NOTA. Hic sane vel minimum attendenti satis patet, *Deismum nihil minus Atheismo perniciosum esse*; atque bina hæc systemata, etsi principiis dissentiant, optime tamen in iis, quæ consequuntur consentire; exleges siquidem animi motus, & affectus faciunt, & mores impune depravari ambo sinunt. Patet enim, *Deistarum Deum*, qualem ipsi sibi fingunt, nihil magis hominum affectus, ac mores regere, ac chimærici Dii Epicuri illis præessent.

Tot Deismi sunt sectæ, quot deistarum capita. Alii magis, alii minus animi affectibus, & motibus concedunt; hi cultum aliquem volunt, illi nullum. Quisque sibi religionem, & præcepta pro libidine effingit, pro diversa cujusque opinione, aut mentis volubilitate.

Neque raro *Deismus atheismo permixtus* videtur; sæpe enim cum illo materiam æternam admittit, nihilque *æternæ intelligentiæ* dat, præter motum, ordinem, organa *æternæ* huic *materiæ* ab illa effecta. Porro materia hæc æterna, ut Deus, æque ac ille, Deus ipsa esse deberet.

Sequenti sectione perniciosa Deismi principia ostendemus; hac illa Atheismi tantum sunt ostendenda (*a*).

VA-

(a) *ETYMOLOGIA. Atheus*, ἄθεος, *homo sine Deo. ab* α *privativo, &* θεός, *Deus. Hinc Deista, ac Theistæ, vere synonima; sed ratione rerum pertractandarum diversa significatione sumi possunt.* Deista *semper dicitur qui Deum admittens providentiam negat*, Theista *ali-*

VARIÆ ATHEISMI SPECIES.

773. OBSERVATIO. Atheismus, sive materialismus *Proteus* quidam multiformis est, pro diversis mentibus, a quibus proficiscitur, quibus insinuandus, & quibus suadendus est.

Omnino in Spinosa solutus, nullum Deum vult, nisi materiam universalem.

Paulo mitior in Epicuro, Deos in natura esse sinit, sed apathos, tantum existere destinatos, & in quiete lethargica nescio qua voluptuosa felicitate gaudere. Non tamen Deum vult, qui naturam condiderit, qui eam regat, aut curet neque in physicis, neque in moralibus.

Mitior adhuc in Telliamede, Deum deistarum, & si lubet, Deum Christianorum in natura admittit; at illi sociam facit materiam *æternam atque increatam*, quæ se ipsam ordinat, & in organa conformat nullo externo indigens ministerio.

At quamcumque formam atheismus sumat, peculiarem semper notam habet qua proditur, & qua ab omni non ipso semper distinguitur; *semper* scilicet *Dei naturæ auctoris existentiam negat*: hac ratione semper dignosci, oppugnari, proteri poterit.

774. DEFINITIO. *Atheum* itaque dico quemcumque negantem *Dei visibilis naturæ auctoris existentiam*, seu quemcumque asserentem, visibilem naturam a suprema intelligentia omnino

---

aliquando dicitur, qui Deum admittit, nec providentiam negat; & tunc sumitur ut illis oppositus, qui aut Deum negant, aut plures Deos admittunt.

no a materia essentialiter distincta existentiam, ordinem, leges non habuisse.

Quid enim vero interest, Epicurum Deos æternos admittere, si eos inertes, & inutiles facit, a quibus visibilis natura neque in physicis, neque in moralibus ullo modo regatur?

Quid interest, Spinosam Dei existentiam admittere; si Deus hic Spinosæ, ut ille Anaximandri, Zenonis Elæi, Stratonis Lampsaceni, & plerorumque veterum materialistarum, nihil est præter materiam universalem, quæ nullo modo Deus esse potest?

Quid interest, Indum philosophum Telliamedem Deum æternum, ut Deistæ, & fortasse ut Christiani admittunt, fateri; si huic sociat *materiam æternam*, quæ se ipsam ordinat sine ipso, & sese in organa conformat, quæque ut ipse æterna, & increata, æque ac ipse Deus erit?

Deum, aut Deos in natura visibili ita admittere, est nomen hypocrisi retinere, rem impietate destruere (*a*).

775. NOTA I. Omnia omnino atheismi systemata tandem in hoc recidunt, ut *chimaricam* materiæ *vim* tribuant sese in globos alios lucidos, alios opacos conformandi, in diversa elementa, in diversas animalium, vegetabilium, fossilium species, uno verbo, in hanc, quam videmus, rerum universitatem; unde inferant, aut Deum in natura non esse, aut si est, nihil ejus existentiam, actionem, supremum in hominem, & in res universas dominium comprobare. Quare si vel unum quodcumque

(a) *Quamquam video nonnullis videri, Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse Deos, re sustulisse*, Cic. de nat. Deor, *lib.* 1.

que atheismi, puta Epicurræum systema protuleris, & confutaveris, re ipsa omnia protuleris, & confutaveris.

Ut tamen quid atheismus sit clarius pateat, ejusque diversæ origines detegantur, sophysmata, quibus adstruitur, formas, in quas sese mutat, tribus sequentibus paragraphis illum tribus diversis formis proponemus, quæ omnes ejus metamorphoses complectentur, & *tria veluti atheorum genera* referent, ad quæ omnes, qui haberi possint, athei necessario adducuntur; scilicet.

Illi, qui cum Spinosa Deum in natura nolunt, & tantum materiam, & ejus materiales modificationes Deum agnoscunt.

Illi, qui cum Epicurro nolunt Deum naturæ conditorem, sed qui in natura se ipsa condita quotquot libet Deos admittunt, modo neque in homine, neque in rerum universitate quidpiam agant.

Tandem illi, qui cum Indo philosopho Telliamade quem libuerit Deum in natura admittunt, etiam, si lubet, infinite intelligentem, & potentem, ut Deismus fatetur; at *naturæ auctorem* eum esse nolunt, quod Deismus fatetur.

776. NOTA II. Fortasse dices: Epicurrus, Spinosa, & Telliamedes non magis aliis pluribus Materialistis sive mitibus, sive non mitibus, impii sunt; quare ergo illos, ut *materialismi antesignanos*, præ ceteris seligis, quos oppugnes?

Hoc ideo fit, quia in eorum impietate præcipui, & auctores sunt, ad quorum tria systemata, quæcumque materialismi, aut atheismi excogitari possint systemata referuntur. Philosophi est rerum ideas genericas arripere, neque quum genera, aut species novit, in individuis immorari.

Non Epicurrum, non Spinosam, non Telliamedem oppugnare, & sternere contendimus, at

at materialismum tribus genericis systematibus contentum, quorum illi auctores fuere, aut fuisse videntur, quæque eorum nomine adhuc vigent; sive ab auctoribus systemata hæc ita, ut modo recensentur, inventa fuerint; sive temporis lapsu, aliquam subierint mutationem, qua tamen naturam non mutaverunt.



PARAGRAPHUS PRIMUS.

SYSTEMA EPICURRI.

777. OBSERVATIO. QUI primus Atheismi, aut Materialismi systema protulit, nimium celebris Epicurrus fuit. In Atticæ pago natus tercentis ferme, & viginti duobus ante Christum annis philosophicam scholam Athenis aperuit, quæ incredulitatis veluti armamentarium, aut seminarium fuit. Obiit septuaginta duos ferme annos natus. Mathematicæ, quam ignorabat, & quam contemnere affectabat, hostis, eam a sua philosophia expulit, quæ dialecticam, moralem, & physicam complectebatur.

I. In *dialectica* nullo duce, magistro nullo nihil protulit memoria dignum. In ipsa, nihil nisi suam cognitionis, judiciorum, ac recti ratiocinii tenuitatem ostendit (582).

II. In *morali* Aristippi discipulus, beatitudinem, seu summum bonum in voluptate collocavit; non fortase in turpi, ac inhonesta voluptate, ut nonnulli ex ejus asseclis statuerunt, sed, ut credibile est, *in pura, atque honesta voluptate*, quæ nunquam a virtute separatur.

Notandum tamen, Ciceronem non ita Epicurro favere, aliud suadente dubia, quam tradit, voluptatis definitione: æque enim honestæ, ac turpi voluptati aptari potest.

III. In *physica* Democritum sequutus animam, Deos,

Deos, & visibilem mundum simul complexus audacter magis, quam philosophice pronunciavit:

Primum *animam humanam* sive sumptam ut facultatem intelligentem, sive ut sensibilem (471), non nisi materiam esse, & fortuitam atomorum magis, minusve tenuium congeriem, quæ organorum pars est, & cum illis perit (*a*).

Deinde *Deos immortales*, si qui sunt, beatos & tranquillos procul ab humanis vicissitudinibus vivere, secura, & grata voluptate gaudentes, nec quidpiam agere in visibili natura sive animata, sive inanimata, quam nihil curant.

Tandem *mundum visibilem* esse, & subsistere non a Diis invisibilibus, sed a quatuor principiis physicis, quæ nihil cum Diis habent commune; nempe ab *atomis æternis*, quæ earum naturæ exigentia semper extiterunt; *a motu hisce atomis intrinseco*, quo aut semper agunt, aut ad agendum aptæ sunt; *a vacuo infinito*, in quo æternum se moverunt; & *a cæco casu*, quo se in globos opacos aliæ, aliæ in lucidos coacervarunt, aliæ in substantias animales, in fossiles, in vegetabiles, in id omne, quod visibilem rerum universitatem constituit.

778. NOTA. Hæc Epicurri philosophia, & indoles fuit: hic elegantissimi atheismi ab impie-

(a) ETYMOLOGIA. *Atomi, corpuscula insectilia. Corpus individuum, molecula indivisibilis, ab* ἄτομος, *non sectilis.*

Atomos Physici cum Epicurro vocant minimas materiæ partes, in quas corpus dissolvi possit. Verosimillimum est, atomos has utcumque parvas diversa figura, & diversa magnitudine in diversis corporibus donatas esse; puta, in auro, vitro, terra, luce.

pietate excogitati systematis auctor fuit. Etsi enim hoc quidquid gravius, & speciosius contra Dei existentiam inventum fuit re ipsa contineat; etsi plurimis absurdis, atque contradictionibus scateat, quæ cuique simili systemati comunes sunt, nihil tamen hoc melius ab atheis prolatum fuit.

PHYSICA EPICURRI PRINCIPIA.

779. EXPLICATIO. Physica Epicurri principia, quibus nullo Intelligentiæ increatæ, & creatricis ministerio admirandam hanc visibilem naturam ortam autumat, sunt innumeræ atomi per immensum vacuum fortuito errantes (356). Ita vero procedit Epicurrus.

I. Quum hæ atomi intima earum natura ita exigente existant, *æterna sunt*. Nunquam esse cœperunt, neque, ut essent, causa creatrice indiguerunt.

II. Quum massis & figura infinite variæ sint hæ atomi, *corpora omne genus componere apta sunt*. Aliæ graviores, majoresque sunt, ceu quæ terrestria corpora afficiunt; tenuiores aliæ, ceu quæ aeris, ignis, lucis elementa confingunt; sphæricæ aliæ, cubicæ, ellipsoidales; conicæ aliæ, cylindricæ, pyramidales; latera aliæ habent lævia, ut quæ specula componunt plana, convexa, concava, cylindrica, conica; aliæ asperis sunt, & inæqualibus lateribus in modum tophi, aliæ ramosæ sunt, & aduncæ hami instar, aut anchoræ.

III. Quum earum natura id exigente atomi hæ mobiles sint, *æternum in motu* fuerunt velocitatibus, ac directionibus diversis, quibus huc illuc fortuito latæ per universum infinitum vacuum fuerunt. Ibi nihil eorum naturali activitati obsistit, sive tendentiæ, quam natura, & se ipsæ habent, ut diversis modis moveantur.

Ma-

Motus diversi hisce atomis æternis, & increatis ab Epicurro tributi, sunt, *motus*, quem ipse *naturalem* vocat; hic vero is est, qui eas deorsum urget: motus, quem *violentum* nuncupat, quo sursum impelluntur: & motus *declinationis*, quo lineas exacte parallelas describere prohibentur, seu quo coguntur, etsi infinite parum, invicem accedere; hoc vero est, quod Lucretius vocat *exiguum clinamen principiorum*.

780. NOTA. Varia hæc Epicurri effata fabulosa magis, quam philosophica, apta potius menti, ac phantasiæ fucum facere, quam recte sentientibus arridere, in philosophicis Ciceronis operibus eleganter exposita sunt, & solide confutata.

In his videmus, præclarissimum illud veteris Romæ lumen, & summam laudem aliunde sane, quam ab impietate promeritum, quam parvi faceret Epicurrum, ejusque sententiam. Ita siquidem judicium, quod de illo fert, exorditur libro primo de Finibus. *Principio in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus. Democrito adjicit perpauca mutans; sed ita, ut ea, quæ corrigere vult, mihi quidem depravare videatur.*

UNIVERSI PER EPICURRUM ORIGO.

781. EXPLICATIO. A *diversis hisce physicis* Epicurri *principiis*, sive ab hisce atomis æternis, massa, & figura variis, quaquaversum per infinitum vacuum errantibus, quid re ipsa emergit?

I. Infinito temporum lapsu atomi duæ ramosæ, & aduncæ sibi obviam venere, mutuo ictu se perculere, atque invicem implexæ perstitere.

Ex harum atomorum plexu, qui a duplici motu oblique opposito ortus supponitur, in

ntro-

utroque post adhæsionem *motus rotationis* circa centrum, & axem utrique communem oriri debuit.

Binæ hæ atomi ita implexæ motum hunc rotationis servantes circa communem axem, & alium rectum impulsionis aliquam partem versus, alias similes atomos offendere per vacuum errantes, illisque adnecti debuerunt.

Hoc artificio *corpusculum* hoc primum binis tantum atomis constans infinito temporum decursu in globum massa immensum concrescere debuit, puta in terrestrem globum; qui & atomis hisce ramosis conflatus erit ipsa earum figura invicem adhærentibus, & aliis atomis diversæ figuræ, puta sphæricis, cubicis, pyramidalibus, cylindricis, quæ in interstitiis detinebuntur, inter ramosarum angulos, uncos, prominentias necessario relictis.

II. Eodem artificio, quo in aliqua vacui infiniti parte ortus est globus, quem modo descripsimus, necessario *innumeri alii globi* fieri debuerunt magnitudine, & natura diversi; *magnitudine*, ratione majoris, minorisve atomorum copiæ, quæ serius, ocius invicem sibi occurrentes adhæserunt; *natura*, pro diversa atomorum, quibus constant, massa, aut figura, sive utraque.

VEGETABILIUM, ET ANIMALIUM PER EPICURRUM ORIGO.

782. OBSERVATIO. Epicurrus *quatuor* suis *principiis*, atomis scilicet, motu, vacuo, casu jam naturam visibilem in magnas massas, seu globos lucidos, & opacos efformavit.

Hactenus tamen hi non nisi informes massæ, & indigestum chaos sunt, in quo nihil vegetat, aut vivit.

Idem casus, qui opus cœpit, illud perficiet, organis instruet, & animabit.

783. EX-

783. EXPLICATIO. I. Ut *produceretur vegetabile*, puta, quercus, sive ranunculus, quid per Epicurrum opus fuit?

Necesse tantum fuit, in globo opaco, cujusmodi tellus est, atomos massa, & figura diversas casu eodem ordine, ac distributione eadem coire, quam in vegetabilium, ceu quercus, & ranunculi germine videmus (120): & in tellure communi omnium in ipsius sinu, & superficie viventium, & vegetantium matre *aptas matrices* esse, in quibus diversæ hæ molecularum congeries, hæc *germinum primordia* casu formata, & telluris, aut solis calore agitata fermentarent, explicarentur, terrestres succos ebiberent, in vegetabile, ceu quercum, aut ranunculum, converterentur.

Quid in hoc difficile, quid absurdum, inquit Epicurrus, si supponamus casu *moleculas analogas* coisse, quarum collectio sit veluti germen primigenium aptum fieri speciei alicujus vegetabile; atque hujusmodi germina invenire in tellure aptas matrices, seu loca eorum vegetationi opportuna?

784. EXPLICATIO II. Ad *animal*, puta cervum, aut gallum, *producendum*, quid in Epicurri principiis necesse fuit?

Tantum casu in hujus globi superficie moleculas coire natura diversas eodem ordine, ac distributione eadem, qua modo sunt in diversis animalibus, puta, in cervi spermate, aut in gallinæ ovo fœcundato; & in superficie terræ *aptas matrices* esse, in quibus prima hæc germina casu formata, & terræ, aut solis calore agitata successive in puncta salientia, in organicos embriores, in animalia viventia, puta in parvas cervas, seu gallinas, mutarentur.

Quid absurdi, ait Epicurrus, si supponamus, *moleculas analogas* casu coisse, quæ collectæ sint veluti germen primigenium aptum fieri animal datæ speciei, oviparæ, aut viviparæ, cervum,

vum, aut cervam, gallum, aut gallinam; atque hæc germina in tellure matrices aptas, seu loca sese explicandis atque animandis opportuna invenire?

785. NOTA. Nihil difficile per Epicurrum hæc animatio in *speciebus oviparis* præsefert; passim enim videmus, insectorum, & piscium ova in suæ speciei animalia hoc pacto mutari in telluris superficie, aut sinu, nullo, præter telluris, aut solis calorem, adjumento; tum parva viventia ab hisce ovis exclusa, ubique statim ac organis instructa, atque animata sunt pabulum, & alimenta eorum necessitati, ac naturæ consentanea invenire.

Paulo difficilius non tamen *αδυνατον*, per Epicurrum est, *species* quoque *viviparas* ita animari; neque enim repugnat, casu primitus in superficie terræ materiæ collectiones factas fuisse *diversis* vivipararum specierum *matricibus* omnino similes; atque has prope lactis rivulos casu scaturientes, quibus animalcula, quæ nascerentur, & quæ organorum ratione vivipara futura sunt, ali possent.

786. EXPLICATIO. III. Ad *animal* producendum *intelligentia, & ratione donatum* quid in Epicurri principiis necesse est?

Oportuit primo, (ut in diversis viviparis speciebus efformandis) casu in telluris superficie, aut sinu *plurimas matrices* produci aptas humani corporis germina admittere, & animare; eodem casu in has matrices vehi materiæ collectiones iis omnino similes, quæ humanum corpus efficiunt; eodem casu his matricibus proximos lactis fontes enasci, quibus humanus fœtus in primis animæ exordiis aleretur. Præterea necesse fuit, inter diversas moleculas, quibus humanum germen, seu fœtus constat, complures esse ferme infinite illis tenuiores, quæ ceterorum animalium species constituunt, ut his in humano fœtu id efficiatur, quod ipse animam

mam intelligentem vocat, & ab anima sensibili distinguit; ut alibi explicavimus (471).

Hic quoque Epicurus inquit, quid absurdi, si hæc omnia casu contigisse adeoque hominem, ut plantas, & bruta, casu tantum primitus extitisse dicamus?

787. NOTA I. Naturæ studiosis proprie, non metaphorice *matrix* dicitur in regno animali ea viviparorum pars, in qua fœtus efformatur, & animal a quo deinde species perpetuo produci debet. Metaphorice in fossili regno matrices appellantur variæ illæ terrestres substantiæ, in quibus metalla, & semimetalla efformantur.

Epicurrus, & Lucretius, quibus tellus omnium in ipsa viventium, & vegetantium est *prima mater*, totidem illi veras matrices assignant, quot varias animantium, & vegetantium species continet. Has matrices sola mente confictas Lucretius vocat *uteros terræ* de primis iis hominibus agens, quos a terrestri materia diversis temporibus, diversisque locis immediate natos supponit.

788. NOTA II. Hypothesis, quam hic Epicurrus admittit, & ad quam tandem secum athei, ac materialistæ omnes confugere coguntur, ut explicent qua ratione duo regna, animale, & vegetabile primum extiterint, *gravissimæ objectioni*, qua proteri debebat, plane obnoxia erat. Ejus hæc summa est.

Si olim tellus ipsa varias animantium species peperit, cur eas per hos etiam dies non parit? Si olim, exempli causa, homines, fœminasque protulit, ubi nec homines essent, nec fœminæ, cur modo eadem quoque phænomena neque in populosis, neque in inhospitis, ac desertis regionibus non exhibet?

Objectionem hanc præsensit Epicurus, eamque responsione se, & secta sua digna preoccupavit. Tellus, inquit, olim junior erat; nunc senuit. Tellus senescens, ut fœmina anus, non jam parit,

Nihil in universa natura perpetuum; omnia pereunt, inquit Epicurus; excipe tamen atomos, quibus constat, quæque simul extensæ sunt, & individuæ. Quidquid his conflatum fuit aliquando esse cœpit; quidquid vero aliquando esse cœpit, ne sole quidem, aut tellure, aut planetis, aut astris exceptis, crescere debet, maturescere, languescere, tandem perire.

Terra junior, ac ætate rigens *fæcunda* erat; tunc nulla opitulante causa, sed casu tantum, homines, bruta, plantas, omnes vegetantium, & viventium species peperit; quæ primis illis temporibus communis matris vigore enutritæ omnes firmiores perfectioribus, ac robustioribus organis instructæ, magisque vivaces erant, quam posterioribus sæculis deinde fuerint.

Terra tandem in senectutem, & caducitatem devexa *sterilis effecta est*, ut animalium fœminæ, quum senuerint, parere desinunt. Si vero tellus aliquam adhuc habet fœcunditatem, hac tantum vilia quædam insecta progignit, quæ nullo modo primis illis vividis, magnisque partubus, quibus prima illa ætas insignis erat, sunt comparanda.

789. NOTA III. Traditam ab Epicuro *primæva* animantium, ac vegetantium genesis explicationem non nisi putidam deliriorum, & ineptiarum seriem esse nemo non videt. Ne vero quidpiam nos Epicuro apposuisse quis suspicetur, quo ipsum, & ejus systema ridiculum ostenderemus; ipsam celebris hujus athei sententiam ab ejus maxime fideli interprete Lucretio fuse descriptam libro quinto sui poematis de rerum natura hic subjicimus.

Tum tibi terra dedit primum mortalia sæcla:
Multus enim calor, atque humor superabat in arvis.
Hinc ubi quæque loci regio opportuna dabatur,

Cre-

Crescebant *uteri terra* radicibus apti;
Quos ubi tempore maturo tepefecerat ętas
Infantum fugiens humorem, aurasque peti-
scens,
Convertebat ibi Natura foramina terræ,
Et succum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis: sicut nunc fœmina quæ-
que
Quum peperit dulci repletur lacte; quod
omnis
Impetus in mammas convertitur ille ali-
menti.
Terra cibum pueris, vestem vapor, herba
cubile
Præbebat, multa & molli lanugine abun-
dans.
At novitas mundi nec frigora dura ciebat,
Nec nimios æstus, nec magnis viribus au-
ras:
Omnia enim pariter crescunt, & robora su-
munt.
Quare etiam, atque etiam maternum no-
men adepta
Terra tenet merito; quoniam genus ipsa
creavit
Humanum, atque animal prope certo tem-
pore fudit
Omne, quod in magnis bacchatur montibu'
passim,
Aeriasque simul volucres variantibu' formis.
Sed quia finem aliquam pariendi debet ha-
bere,
Destitit; ut *mulier* spatio defessa vetusto;
Mutat enim mundi naturam totius ætas.

Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
Expugnata dabunt clades, tristesque rui-
nas.....
Jamque adeo effœta est ætas; *effœtaque
tellus*,

Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

790. NOTA IV. *Vetus* ne *hoc Epicuri somnium*, quo planetis fœcunditas, & sterilitas tribuitur, asseclas, atque assertores invenire philosophica hac nostra ætate potuisse, unquam credidisses? Hoc tamen re ipsa contigit. Ex recentioribus philosophis nonnulli sunt, qui lunæ planetam jam senem vident, atque decrepitum; effœtum propterea jam, ac plantis, atque animantibus pariendis imparem; *Jovis* vero *planetam* infantem adhuc, & partubus nondum aptum. Primus non amplius incolas habet, alter nondum habuit.

Huic conjecturæ, inquiunt, astronomicæ observationes fundamentum præbent. Hæc lunam nobis exhibent atmosphæra destitutam: hac illa caret, sive quod ignis ejus centralis omnis extinctus est, adeoque quidquid in ipsa fluidi est aut liquidi perpetuo gelu concrevit; sive quod juxta nova Telliamedis somnia humorem omnem amisit, nec nisi quod habet terreum illi reliquum est (820 & 834).

Iisdem observationibus nobis apparet Jupiter veluti ingentibus fasciis circumseptus, & maculis obsitus, quæ alternatim apparent, & evanescunt (a). Hoc indicare videtur, in hoc planeta omnia sus deque misceri, agitari, confligere, ibi omnia horrendum chaos esse, quale Ovidius cecinit; variasque has maculas, quæ alternis apparent, & evanescunt, non nisi *ingentia maria* esse posse, quæ litoribus erumpunt, exundant, inde in abyssos præcipiti fluxu

(a) *Cassini elementa astron. pag.* 405. *Acta Academia scientiarum, anno* 1708. *pag.* 237.

xu ruunt, ac dejiciuntur, ratione violentissimi ignis centralis, quo adhuc exæstuat, & quem necessario continere debet tantæ magnitudinis globus, tamque refrigescere difficilis, ut Jupiter est, qui millies ducenties, aut tercenties nostro terrestri globo major est.

CONFUTATIO. Nulla disquisitione, habeant ne planetæ incolas; statuere possumus primo, si re ipsa animantia, & vegetabilia in planetis sunt, ut in tellure, hæc non simplici materiæ vi organis instructa esse, & animata (795 & 877). Præterea confidenter dicere possumus, (atque hoc unum est, de quo modo quæstio) rationes, quibus contendunt, lunam jam extrema senectute laborare, Jovem vero infantili ætate adhuc informem esse, inanes esse omnino, ac nullius momenti.

I. Posito, nullam re ipsa lunæ atmosphæram innotescere, *non propterea sequitur, lunam extrema caducitate languescere, igne centrali, & humore quovis exhausto.*

Patet primo, hypothesim, quæ planetas ortos facit ex magna solis portione avulsa, & disjecta, nullam seriam confutationem mereri; neque magis confutatione alteram dignam esse, quæ planetas refrigescere successive vult in inversa suarum massarum ratione (*Phys.* 491).

Patet deinde, lunam, quæ semper telluri veluti adnexa est, æque ac tellurem calefacientibus, & vivificis solis radiis semper illustrari; hoc tantum discrimine, quod idem telluris hemisphærium duodecim ferme horis tantum solis radiis obversum est; ubi vero idem lunæ hemisphærium quindecim continenter diebus soli est obversum; quod, cæteris paribus, & majores calores, & majora frigora in luna, quam in tellure, parere debet.

Patet tandem, si in tellure, & luna atmosphærarum altitudines supponantur earum massis proportionales, lunæ atmosphæram, a maxima

ſua ad minimam denſitatem ſupra ejus ſuperficiem, ad quartam leucæ partem tantum elatum iri; vapores præterea, & exhalationes, quæ in exigua hac *lunæ atmoſphæra* attolluntur, diverſas admodum ab iis eſſe poſſe, quibus in terreſtri noſtra atmoſphæra denſæ nubes componuntur; ſive iis tantum inviſibilibus, ac diaphanis vaporibus eſſe ſimiles, qui nobis cælo ſudo, & alicubi per plures menſes matutinum, & veſpertinum rorem efficiunt. In hac veroſimillima hypotheſi, lunæ atmoſphæra vel accuratiſſimas noſtras obſervationes effugiet. (*Phyſ.* 743 & 927).

II. Poſita eorum omnium veritate, quæ de Jovis faſciis, & maculis traduntur, non propterea inde ſequitur, *planetam hunc nondum perfectionem naturæ ſuæ conſentaneam adeptum eſſe*; fieri enim omnino poteſt, maculas has, & faſcias *ingentes* dumtaxat nubes eſſe, quæ in immenſa ejus atmoſphæra ſucceſſive conglomerentur, & diſſipentur.

Fingamus, egregium in Jove aſtronomum eſſe veteri hac fabula, de qua modo quæſtio, imbutum, & exiguo huic noſtro globo obſervando intentum. Hic cælo admodum ſudo Europam, atque Aſiam videbit clara luce nitidiſſimas: cælo admodum nubilo eædem hæ mundi partes ipſi non amplius apparebunt. Quum nubes, quibus immenſæ regiones obumbrantur, ſubito diſſipabuntur; regiones hæ alternatim illuminatæ, & obumbratæ illi emergere, obrui, & renaſci alternatim videbuntur.

Facile ille ex his inferet, quam firma ratione tu videris, tellurem noſtram adhuc horrendum chaos eſſe, quale fortaſſe aliquis Jovis incola poeta cecinerit, in eaque omnia adhuc nullo ordine permiſceri, & agitari; adeoque globum noſtrum nulla adhuc animantia, aut vegetabilia protuliſſe, ea deinde poſt aliquot centena, aut millena ſæcula magna in copia pariturum. PE-

PETITIO PRINCIPII, PRÆCIPUUM EPICURI, ET CUJUSVIS ALIUS ATHEISMI SYSTEMATIS VITIUM.

791. OBSERVATIO. In iis omnibus, quæ Epicurus, & Lucretius excogitarunt, ut rerum, & præcipue animantium, & vegetabilium primordia explicarent, perpetua apparet physicæ, physiologiæ, rectæ rationis eversio; ut facile quisque, sive philosophus sit, sive non sit, modo ratione polleat, aperte sentiet.

At vero quantumvis absurda sit hæc Epicuri theoria, omnium tamen, quæ ab atheismo proferri possint, maxime, si ita loqui fas est, philosophica est. Etsi re ipsa omnino vitiosa sit, tamen mendacii, & sophismatis artificium tanta copia, tantaque vi in poemate de rerum natura fucum facit, ut præcipuum veteris, recentiorisque atheismi opus censeatur; neque ejus auctor quid omiserit, ut pessimam, quam agebat, causam tueretur. *Si Pergama dextra defendi possent, etiam hac defensa fuissent.*

Sophisma, quo frequentissime Lucretius utitur, est *petitio principii*; hoc in eo situm est, quod probanda semper probata supponantur; seu quod probanda in sui ipsorum probationem adducantur (738).

Aliqua modo illustriora præposteri hujus ratiocinii exempla proferemus; quæ ideo dumtaxat ab impio Lucretii opere excerpimus, quia eadem sunt in fœdis iis libris omnibus, quibus impii scriptores atheismum statuere, ac disseminare conati sunt.

792. SOPHISMA I. Lucretius cum Epicuro contendit, omnia in natura casu fieri; imo *naturam ipsam casu primitus formatam fuisse*; hoc vero contendit contra Anaxagoram, contra Platonem, contra Zenonem stoicum, contra nonnullos alios veteres philosophos, qui na-

turam visibilem ab aliqua *Infinita Intelligentia* formatam, & conservatam asserebant; quę primum in materia operata est, elementa distribuit, moleculas selegit, omne genus corpora confinxit, omnia certis, communibus, & inconcussis legibus subjecit, unde quæcumque videmus phænomena enascuntur.

At enimvero quibus rationibus, quo probationum genere sententiam suam Lucretius fulcire nititur? Perspicua, ac patente *principii petitione*. Ut enim probet, omnia in visibili natura casu fieri, complura phænomena profert, quæ passim in natura produci videt, quæque casu tantum fieri supponit; atque hæc ut certam, ac præclaram sententiæ suæ probationem confidenter affert.

At inter ipsum, & adversarios quæstio ipsa est; num quæ ipse casu fieri in visibili natura supponit, re ipsa casu fiant; an vero *ab aliquo impulsu ratione dato, & composito* necessario procedant, quem primitus invisibilis aliqua potentia naturæ indiderit omnino ab ipsa natura diversa, imo naturam ipsam regens, finibus infinite magnis, infiniteque sapientibus.

793. SOPHISMA II. Contendit Lucretius cum Epicuro, terram juventute adhuc vigentem elephantes, rhinocerotes, leones, tauros, struthiones, crocodilos, cete, aliaque parere potuisse; quandoquidem etiam modo jam ætate effœta plurimas insectorum species parit. (788).

At vero hæc quoque pura puta *principii petitio* est, qua quod probandum est, statutum jam, ac probatum supponitur; terram scilicet primordiis suis comparatam nunc senectute effœtam esse; præcipue vero illam insecta, cujuscumque speciei sint, adhuc progignere.

Ut vermis, ut bruchus, ut insectum quodvis organis donetur, nulla minor intelligentia, aut potentia requiritur, quam quæ ad elephantem, aut cetum organis instruendum, & animandum re-

requiratur. At vero tellus neutrum phænomenon unquam operata est. Ut igitur alterum verosimile fiat, in hujus probationem alterum adduci nequit.

Tenebricosis iis ætatibus, quibus plantæ, & insecta a materiæ fermentatione, & corruptione oriri putabantur, facilis, & brevis erat ad atheismum transitus. *Germina detecta* atheismi naufragium fuerunt. „ Postquam philosophi noverunt, inquit Volterius, nullum esse vegetabile sine germine, nullum germen sine archetypo; si quando pauci, multo certe pauciores nunc athei sunt."

794. SOPHISMA III. Contendit Lucretius cum Epicuro, fieri potuisse, ut terra sese ipsam primitus in organa conformaret in vegetabilibus, & animantibus; hoc vero probat, quia quotidie videt in novis animantium, & vegetabilium productionibus hoc idem phænomenon renovari.

At vero hæc quoque pura *principii petitio* est, in qua quod probandum est jam probatum supponitur; materiam scilicet se ipsam, & propria virtute in varia animantia, & vegetabilia transformari, non vero ad æternos archetypos, & *increatæ, & creatricis intelligentiæ* virtute, & actione, qua primitus materia condita, subinde perpetuo ad certas leges & immutabiles in animalia, & vegetabilia transformatur.

795. NOTA. Patet ad *organa efformanda alicui corpori*, ad animal, seu vegetabile condendum, puta equum, aut cerasum, causa opus esse, atque in hac causa, quæcumque sit, *prævium, ac statutum archetypum*, ad cujus exemplum animal illud, seu vegetabile formetur.

Materia igitur priusquam sua sibi organa confingeret, priusquam in varias animantium, & vegetabilium species mutaretur prævias, ac statutas archetypas ideas habere debuisset harum omnium specierum, quæ productura erat.

Atqui in Epicuri, Lucretii, materialistarum omnium veterum, & recentiorum principiis *nunquam materia adhuc organis destituta ideas has archetypas habere potuit*. Per eos omnes siquidem non nisi per organa materia intelligens fit, & cogitans.

Quæ quum ita sit, Epicurus, Lucretius, materialistæ quicumque statuentes materiam sibi ipsam organa effingere, patenti contradictione, sed ab eorum systemate inseparabili, supponunt, ideas archetypas infinite varias, rectas, regulares, accuratas in natura esse, priusquam *entia*, quæ sola has ideas habere possunt, formata fuerint; priusquam entia, quæ sola cogitare possunt, extiterint. Deus bone: quam philosophiam!

796. SOPHISMA IV. Tenet Lucretius cum Epicuro contra Platonis, ac Zenonis scholas, imo contra antiquarum, novarumque nationum omnium tum exculturum, tum barbararum opinionem, *humanam animam esse mortalem*; quo vero hoc præcipue probat, est, eam tenuioribus, exilioribusque atomis constare; quæ quoque, pereunte corpore, dissolvi debent (777 & 1040).

At vero hæc quoque pura *principii petitio* est, qua id ipsum, quod probandum est, animam humanam scilicet atomorum congeriem esse, probatum supponitur.

Quamcumque atomorum congeriem nec cogitare, nec sentire posse alibi ostendemus; ac propterea animam humanam, quæ & sentit, & cogitat, necessario quid esse ab atomorum congerie omnino diversum (1042 1046).

797. In omnino similem paralogismum, ac *principii petitionem* plerique recentioros, qui se acute ratiocinari putant, imo celebres etiam scriptores nonnulli, inter quos Lockius, sæpe numero labuntur.

Supponunt primo, & hoc gratis, bruta esse pu-

pura automata, nullaque anima a materia distincta prædita esse; atque ex hac hypothesi omnino gratuita probare contendunt, non sane philosophice, materiam sentire, fortasse etiam cogitare posse; nec animadvertunt, quod *probatum, ac statutum supponunt*, id ipsum esse, quod probandum, ac statuendum est; nec tamen unquam probabunt, aut statuent.

798. SOPHISMA V. Lucretius cum Epicuro proprio jure, at ratione nulla statuit: *physica corporum principia, sive atomos corpora quævis componentes æternum se ipsis earum natura ita intrinsece exigente extitisse.*

At si quis Moysis discipulus æque confidenter pronunciet, hæc physica corporum principia, atomos has corpora constituentes *nequaquam æternum extitisse*, & a substantia immateriali, invisibili, increata, & creatrice, infinite intelligente, & infinite sapiente primitus conditas, fuisse; ut sententiam suam tueatur quid reponet Lucretius?

I. Celebre ne illud axioma suum proferet: *ex nihilo nihil*, quo suam sententiam fulciat?

Atqui erit hæc pura *petitio principii*; hoc enim ipsum est, quod inter ipsum, & adversarium disputatur; verum ne sit, nihil ex nihilo fieri; an verum sit, ens intelligens nondum existens voluntate, & actione potentiæ infinitæ existens fieri posse (131).

II. Dicet ne, nequire se percipere qua ratione hæ atomi a nihilo ad existendum transire potuerint; ac proinde quum illas existentes videat, eas æternum extitisse censendas?

At vero Moysis discipulus æquo jure instabit, neque se percipere qua ratione hæ atomi a se, & æternum existere potuerint. Quare quum illas existentes videat, eas existentes censere debere *vera creatione*, quæ eas a non existentia ad existentiam eduxerit.

Sententia igitur discipuli Epicuri, & disci-

puli Moysi de atomorum existentia ita confidenter prolata, erit utraque nullius auctoritatis; nondum enim alterutra ratione ulla fulcitur, & tantum opinione statuitur.

Quare si ambo philosophi sint, judicium de re, de qua disputant suspendant oportebit, de atomorum scilicet æternitate. Rei veritatem *philosophica atomorum observatione* perquirent. Atomorum natura accurate observata, ac sedulo investigata utri ratio faveat supremo judicio, omnique exclusa appellatione, definiet.

III. Si quando ad hoc tribunal causa deferatur; profecto Epicurri discipulus contra Moysis discipulum non firmiter stabit.

Quid enim in hisce atomis, quæ exempli gratia, terræ cumulum, aut marmoris frustum componunt, uterque detegit? *Intrinsecam inertiam* inveniet, quæ earum naturæ perseveranter inhærens apparet, nec quidquam illius *activitatis* habet *essentialis*, *&* *infinitæ*, qua semper necessario distingui debere concipimus quamcumque substantiam, quæ a se existens quæque æternum in sua propria existentia fœcunda fuisse supponatur (759 *&* 761).

799. NOTA. Plures alios Lucretii paralogismos producere facile potuissemus; ejus poema siquidem falsis principiis, ac ratiociniis undequaque scatet.

At eos tantum proferre opportunum censuimus, qui ejus impiæ sententiæ sunt veluti bases, ac fundamenta; qui erroris præcipui fontes sunt, & perennes; qui cuivis atheismi systemati veluti intrinsece inhærent, & a Lucretio ad quemvis atheum necessaria adoptione traducuntur.

EPICURI SYSTEMA AD PHILOSOPHICAM TRUTINAM REVOCATUM.

800. OBSERVATIO. Systema Epicuræum, ut a nobis & in suis principiis, & naturæ applicatum expositum fuit, nec omni ex parte admitti, nec rejici debet; ut enim innumera absurda, ita etiam pleraque *utilia* continet, quæ recentioris physicæ veluti exordia fuerunt.

Gassendus homo sapiens, & satis philosophicis, ac mathematicis disciplinis imbutus, ut apte de systemate aliquo judicaret, ut verum a falso secerneret, ut quid in eo absurdum, quid rationi consentaneum, quid impium, quid philosophicum esset, apte dignosceret; Gassendus, inquam, Epicuri systema admisit, *impietate, & absurditate rejecta*; postquam scilicet ostenderit, aut supposuerit, has atomos, quas Epicurus æternas vult, vacuo infinito innatantes, a Deo creatas fuisse; has atomos, quas Epicurus natura sua in infinito vacuo moveri & casu regi supposuit, ab infinita increata, & creatrice intelligentia moveri, & in suis motibus regi. Virgilius ex Ennii fimo, Gassendus ex Epicuri fimo aurum colligere novit.

Nos hic quatuor illa celebrata Epicuri principia, nempe vacuum, atomos, motum, casum perpendere pergimus.

801. EXPLICATIO. I. Alibi satis diffusam *vacui theoriam* tradidimus. Ibi verum esse hoc Epicuri principium ostendimus, quod universæ recentioris physicæ basis est (352 359).

Quare nos quoque cum Epicuro, cum Gassendo, cum Neutono, cum fere omnibus tum veteribus tum recentioribus philosophis *vacuum infinitum* admittimus, in quo sive errantia, sive immota corpora omnia, quæ rerum universitatem constituunt sparsa, ac veluti demersa sunt.

At

At vero hoc vacuum, ſeu ſpatium infinitum nobis nihil eſt, niſi *Dei immenſitas*; quod ſane Epicurus nollet, quodque fortaſſe nec recentiores aliqui vacui infiniti aſſertores nobis quavis ex parte concederent.

802. EXPLICATIO II. Admittimus quoque cum Epicuro *atomos principia* corporum; non iis tamen ea omnia, quæ Epicurus, tribuimus. Etenim Epicurus earum naturam explicans :

I. Eas *increatas* ſupponit, *& æternum exiſtentes*, quod nobis earum naturæ videtur repugnare; hoc jam oſtendimus, & ſequenti articulo adhuc demonſtrabimus (759 *&* 881).

II. Eas ſupponit *eſſentia ipſa indiviſibiles*, quod nobis veræ extenſionis ideæ repugnare videtur; ut quoque in noſtra materiæ theoria ſatis oſtendimus (*Phyſ.* 48, 55, 60).

III. Eas ſupponit *in ſua ſubſtantia extenſas*, quod evidens apparet; ex iis enim ſimul collectis vera & ſenſibilis habetur extenſio, corporum ſcilicet, quæ phyſice conſtituunt.

IV. Eas ſupponit *maſſis, & figuris veluti infinite varias*; quod cognitionibus, quas materiæ experientia, & obſervatio præbent, optime conſentire videtur (120).

V. Eas ſupponit *in ſuis lateribus inſectiles*, nihil ſcilicet poſſe eas infringere, earum figuram mutare, primigeniam earum conditionem deſtruere; hoc quoque iis, quæ de atomis *naturæ ſtabilitas* indicat, videtur maxime conſentaneum.

Nos vero quum phyſica corporum principia *inſectilia* dicimus, ea ita inſectilia volumus *libera Dei voluntate*, non vero ratione intimæ alicujus proprietatis illis neceſſario inhærentis ante hanc liberam Dei voluntatem. In hoc ab Epicurro omnino diſſentimus.

VI. Quare ſi ab atomis Epicurri & *æternitatem*, quam omnino quamprimum confutabimus, & *abſolutam indiviſibilitatem* demas, quum

quam fusius jam primo physicæ nostræ tractatu confutavimus; cetera omnia recte procedunt.

803. EXPLICATIO III. *Motus æternus* atomis ab Epicurro attributus omnino admitti nequit, nec rerum ideis, quas habemus, ulla ratione consentit. Dato etiam siquidem, si lubet, eas æternum extitisse, quod absonum, & fabulosum est; patet, si æternum moventur, earum motum aut *essentialem*, esse debere, aut *accidentalem*.

I. Si *essentialis* sit, eas unquam quiescere, unquam motum amittere, aut quem semel habuerunt, mutare repugnabit. Nulla enim res quod essentia habet, amittere potest, quin desinat esse, quod est.

Quare si motus iste atomis essentialis sit, eum in corporibus quibusque, quorum sunt principia physica, servabunt. Ullum corpus unquam quiescere, aut motum ab eo, quem primum habuit, diversum acquirere repugnabit; quod profecto ferme omnibus phænomenis, quæ in visibili natura cernimus, plane adversatur.

II. Si motus iste *atomis sit accidentalis*: jam ex earum natura necessario non procedit; iis ergo ab extrinseca causa advenisse dicendus est; ergo aliquando cœpit; ergo non fuit æternus.

Patet atomis motum inesse non posse, nisi ut ceteris corporibus omnibus, quæ apte, & perspicue noscimus, nec nisi atomorum collectio sunt. Atqui in his omnibus motum gigni, mutari, interire, renasci cernimus, pro diversis causis in illa agentibus. Quare jure colligimus, *motum* corporibus semper *accidentalem* esse, semperque a causa ab ipsis distincta produci. Cur itaque de atomis ipsis, quæ non nisi horum corporum principia physica sunt, idem non dicamus?

804. EXPLICATIO IV. *Casus*, quem Epicurrus admittit, inane nomen est nihil significans,

ficans, nulli rei respondet, nullius rei, quæ mente concipi possit, ideam excitat.

I. Quid ergo *per Epicurrum casus est?* Sane quid vagum, indefinibile, imaginarium, chimæricum, cui innumeros effectus tribuit, quorum causam ignorat, aut noscere recusat.

Quum innumera in natura, & *præclara phænomena* vides, quæ ipsa enunciant, se esse a causa infinite intelligente, & potente, sine qua nunquam esse potuissent; finge tibi, si potes, hæc phænomena, effectus hos a quopiam produci non intelligente, nihil agente, a quopiam, quod nihil est. Si hoc mente percipere vales, Epicuri casum percepisti.

II. At enimvero si casus in Epicuri sententia nihil est, aliquid tamen est in sententia philosophorum; atque hoc apte semel definire perneceſſarium. Quid igitur *in philosophorum sententia Casus est?* Est effectus inopinatus genericarum naturæ causarum libere a Deo statutarum.

Exempli gratia, si globus a tormento bellico e propugnaculo ad nullum scopum explosus venatorem, aut viatorem procul enecet, quem in linea parabolica ab ipso descripta offendit; dicemus, eum casu interfectum fuisse, propterea quia ejus mors tum ipsi, tum ballistario, nihil tale cogitanti, inopinata contigit; etsi re ipsa internecio hæc legis impulsionis libere a naturæ auctore statutæ effectus sit.

Pari modo, si aqua arenam, & terram permeans in cavernæ fornice stalactites, aut stalagmites efformet, quæ aliquo pacto pyramides, columnas, seu plantas, aut animalia referant, dicemus, hæc casu formata fuisse; etsi omnia *legum gravitationis, & affinitatis* libere a Deo statutarum necessarius effectus sint. (Phys. 80, 85, 600).

„ Quod *casus* dicitur, inquit Volterius, „ nulla re melius, quam talorum jactu, expli-
„ cari

„ cari potest. Casus, inquiunt, effecit, talos „ duodecim potius dare, quam septem. Ut hoc „ phænomenon physice explicare possemus, iis „ oculis instructos nos esse oporteret, quibus „ apte videremus quomodo talos fritillo inclu„ simus, magis, minusve celeres, ac frequen„ tes manus succussiones, quibus agitantur, & „ major, minorve illis velocitas inditur: *hæ* „ *causa* sunt, quæ simul sumptæ *casus* vocan„ tur".

LUCRETIUS POETA.

805. OBSERVATIO. Atheismus, sive fabularum, & somniorum series, quam hactenus exposuimus, Lucretiani poematis sunt argumentum. Hæc Lucretius cecinit, pictor magis, quam philosophus, arte magis, quam ingenio præstans (*a*); copiosus semper in descriptionibus, ac fervidus, etsi sæpius aliquanto rudis; at fere semper lapsabundis principiis utens, & fallaci, ac infirmo ratiocinio.

Postremis hisce temporibus immoderatus quidam Lucretii admirator dicere ausus est, poetæ hujus philosophi principia nulla unquam confutatione infirmari potuisse. Hominem, qui hæc effutit, indoctum ne dicam, an impudentem? A Ciceronis ætate ad hæc usque tempora quæ, & quam multa præclara ingenia enumerare possemus, a quibus quidquid perniciosum in Lucretii poemate continetur detectum, atque confutatione protritum fuit, sive principia consideremus, quæ admittit, sive quæ ex his deducit,

(a) *Lucretii poemata, ut scribis, non ita sunt multis luminibus ingenii, multa tamen artis.* Cicero ad Quintum fratrem Lib. *II.* Epistol. *II.*

cit, ſive rationem, qua his utitur ad naturæ phænomena explicanda.

I. Inter *Lucretii principia* alia ſunt evidenter vera, eaque ſana philoſophia tenet; alia evidenter falſa, & perniciosa; eaque ſana philoſophia omni ætate innumeris modis rejecit, & ejuravit; alia demum abſurda ſunt, & indigna philoſopho; eaque ſana philoſophia ſerio impugnare, & confutare contempſit.

Poſtremis hiſce accenſenda ſunt, inter alia quam plurima, *ſimulacra* illa, quæ a rerum ſuperficie, imo & ab intimis ſinibus continenter emanare ſupponit, ut in nobis vigilantibus ſenſationes, ideas, affectiones, motus quoſcumque excitent; in dormientibus vero ſomnia, deliria, motus involuntarios efficiant (471).

II. In *Lucretii ratiociniis* alia ſolida, & recta ſunt; eaque dialectica commendat; alia ſophiſtica ſunt, & captioſa; & horum vitium dialectica patefecit, præſertim quum ea pernicioſa eſſe novit (791); alia tamdem inepta, & puerilia ſunt: hæc dialectica neglexit, atque contempſit.

Ex his poſtremis illud eſt, inter complura, quo Lucretius mundum extenſione infinitum probare nititur. Ut quid, inquit, extenſione finitum ſit, hoc ab alio quoquam ultra poſito finiatur, ac terminetur neceſſe eſt. Ergo rerum univerſitas eſt infinita; nihil enim ultra ipſam ſupereſt, quo finiri, ac terminari poſſit.

806. NOTA. Lucretius Italiam videbat Galliis terminatam, Gallias Oceano, Oceanum atmoſphæra, atmoſphæram cælo. Ex his ideam genericam ſibi effingens, eamque in infinitum producens infert, quoniam quidquid apparet aliis corporibus terminatur, neceſſario dari debere corpora in infinitum, ut quodvis corpus terminans ab alio & ipſum terminetur. Quum vero omnes naturæ viſibilis partes finitæ ſint, & finitæ appareant, univerſum neceſſario infini-

finitum esse debet, ut pars quævis finita, & terminata sit.

Quum ista Lucretius ad primi libri sui calcem proferret profecto, id ignorabat, aut oblitus erat, quod vel infimum logicæ auditorem non effugit; rem quamvis, scilicet extensione prorsus finitam ac terminatam esse sola ulterioris extensionis negatione, aut privatione; *ideam finiti & quid positivum* continere, nempe illius naturam quatenus aut aliqua perfectione donatam, aut ad datum usque terminum productam; & *quid negativum*, negationem scilicet illius finiti ultra illam perfectionem, vel illum terminum.

Omne, quod est, igitur nulla regione viarum
Finitum est; namque extremum debebat habere.
Extremum porro nullius posse videtur.
Esse, nisi ultra sit, quod finiat: ut videatur
Quo non longius hæc sensus natura sequatur.
Nunc extra summam quoniam nihil esse fatendum est.
Non habet extremum: caret ergo fine, modoque . . . .
Postremo, ante oculos rem res finire videtur.
Aer dissepit colles, atque aera montes:
Terra mare, & contra mare terras terminat omnes:
Omne quidem vero nihil est, quod finiat ultra.

§. II.

§. II.

SYSTEMA SPINOSÆ.

807. OBSERVATIO. ERostratus celeberrimum Ephesi templum incendens, atque ita insolenti mentis insania præclarissimum monumentum, quod fabulosis numinibus religiosa antiquitas extulerat, in cineres redigens infandi sibi nominis famam comparavit. Ferme similem sibi adeptus est Hebræus Spinosa medio jam ferme elapso sæculo superiore, pacato, & tranquillo animo invisibile Numen e natura ejicere conatus, a quo illa vel ipsis oculis moveri, & gubernari conspicitur; sive prolixam putidorum sophismatum seriem contexens, quibus stupidum atheismum statueret, atque his ita in seriem collectis omnium maxime indigestum, tenebricosum, fœdum, & rude monumentum extruens, quod impietas ingenio, & elegantia destituta insaniæ unquam erexerit. Nova de religione proferendi furor, & nonnullorum Cartesii principiorum abusus duo spinosismi lutulenti fontes fuisse videntur.

I. Eorum, quæ Spinosam in dirum atheismi barathrum dejecerunt, unum fuit *infanda mania* Moysis, & prophetarum religionem, immutandi, & pervertendi, imo potius evertendi.

Spinosa origine Judæus in parentum suorum religione enutritus fuit, ab ejus tamen principiis cito recessit, impie, & præpostere explicare conatus quid miracula essent, quid prophetiæ, quid lex naturalis, ceteraque præcipua Mosaicæ religionis fundamenta. Contendebat siquidem, *miracula* puros alicujus ignotæ naturæ legis effectus esse; *prophetias* quoque aut phantasiæ insolenter agitatæ, aut ingenii ce-

ceteris accuratius a natura comparati, adeoque ceteris acutius videntis puros effectus esse; *Legem naturalem*, aliasque ab hominibus latas ideo tantum statutas esse, ut homines in politicis regerent, nulli illos servandæ conscientia teneri. *Hominum finem* esse vitam, quam vivunt; nihil illis post obitum expectandum. Porro ab hisce principiis ad atheismum brevis est via. Spinosa eruditione quadam imbutus confusa, & indigesta, & judicio temere audaci ductus in iis, quæ meditabatur, nec quidquam nisi obliquo lumine videre volens, omniaque ad incredulitatem adstruendam trahens cito depravati ingenii sui indocilitate sectæ suæ indignationem, & Judaica anathemata sibi concitavit. Ut procellam qua merito urgebatur, effugeret, Judaismo abjurato in Belgium secessit, ibique non persuasione ductus, sed politica, Protestantium hæresi nomen dedit,

Prima sua religione solutus, nullam postea re ipsa amplexus, effræni philosophandi maniæ se totum dedit; hoc vero insolenti, & inusicato modo præstitit, nullique simili; quo tandem in extremum impietatis, & insaniæ barathrum devectus est.

II. Alterum, quo Spinosa tam fœde diversus abiit, fuit *horrendus* Cartesianorum principiorum *abusus*.

Ipse sublime Cartesii ingenium præter modum admiratus, cujus famam in dies magis magisque augeri conspiciebat, tantum mentis acumine, & studio valuit, ut Cartesii sententias, principia, methodum magni faceret, non ita tamen, ut ejus quoque philosophandi vim, & rationem sequeretur; tantum enim his omnibus abusus est.

A Cartesio Spinosa didicerat ideas genericas efficere, id de rebus affirmare, quod necessario in earum ideis contineri dignoscitur. Porro hoc ipsum fuit, quod in illo monstrosam

sub-

substantia unica, *& universalis* ideam excitavit.

Cartesius in sua vorticum fabula cubis a Deo creatis, & impulsis mundum inanimatum, & materialem efficere conatus erat. Spinosa se ulterius progredi posse censuit; & mundi materialis, & inanimati rationem reddere, quin ens ullum supremum illi constitutiva physica crearet, atque sufficeret.

Cartesius in sua brutorum automatum fabula, omnia, quæ brutorum operationes respiciunt, materia, & motu explicare studuerat; Spinosa aliquid ulterius sibi arrogavit; eandemque explicationem omnibus hominis operationibus, iisque omnibus, quæ in natura visibili ordinem, atque intelligentiam præseferunt, accommodare contendit.

Patet sane, neque in Cartesii principiis, neque in ejus fabulis quidpiam esse, quod vel directe vel indirecte ullo modo ad atheismum viam sternat. Hinc tamen cœpisse videtur Spinosa, ut immensum illud intervallum trajiceret, quod inter rectam rationem, & absurdam ejus sententiam interjacet.

SUBSTANTIA UNICA, ET UNIVERSALIS SPINOSÆ.

808. OBSERVATIO. Dixerat Cartesius, *materiam esse homogeneam*, *sive in omnibus corporibus perfecte similem* (120): elementa materiæ, quibus quæcumque corpora componuntur, neutiquam natura, sed figura tantum esse inter se diversa: si elementa, quæ aquam efficiunt, exempli causa, sua tantum figura amissa, illam, Deo hæc agente, assumerent, quam habent aeris, aut lucis, aut marmoris elementa; hæc, quæ modo aquea sunt, plane fieri elementa aut aerea, aut lucida, aut lapidifica: materiam, qua, puta, sol constat, illi, ut

ut materia, omnino similem esse, quæ terram, mare, arborem, corpus bruti, silicem, lapidicinam, ferri, aut argenti fodinam constituit: cetera (Phys. 142, & 192).

At enimvero hæc Cartesii sententia philosopho dignissima, nihil prorsus cum absurdo *substantiæ unicæ, & universalis* systemate commune habet. In hoc Spinosa contendit, & statuit, non substantias omnes similes esse; verum neque *binas substantias* dari in universa natura; & substantiam solis, exempli causa, & substantiam terræ, unam identice, eamdemque substantiam esse; eo pacto, quo apud Scotistas universale a parte rei admittentes natura humana Aristi, & natura humana Clitandri non binæ humanæ naturæ, sed una eadem, atque unica humana natura sunt (329).

Hæc insolens, & absurda Spinosæ sententia est de universa rerum natura.

Age vero, si fieri potest, auctorem ipsum attendentes, monstrosæ hujus sentiendi, & philosophandi rationis originem, explicationem, & usum exponamus.

809. EXPLICATIO I. Unde nam portentosa *substantiæ unicæ, & universalis* idea in universa visibili, invisibilique natura Spinosæ enasci potuit? ex crassa metaphysicæ inscitia; ex gravi errore, quo *substantiam genericam*, seu abstracte consideratam *a substantia ut re ipsa in se est* minime distinxit. In statu abstractionis omnes substantiæ simul confusæ sunt; in alterostatu sumptæ ut in se sunt, ad unam omnes invicem omnino distinctæ sunt (346, & 351).

I. Exempli gratia Spinosa *ideam genericam substantiæ* sibi effinxerat; hinc omnia ejus sophismata ortum habuere.

Idea hæc ita abstracta æque spiritui, ac materiæ congruit, bruto æque, ac vegetabili, vegetabili æque ac fossili, homini ac belluæ, Aristo, ac Clitandro.

Hac

Hac tamen idea ita abstracta nonnulla habet attributa ab ipsa inseparabilia, proprietates nonnullas essentiales, aliqua sibi convenientia, aliqua, a quibus vel absolute, vel hypothetice necessario pendeat. Idea quippe generica substantiæ materiæ, & spiritui, homini, & silici, corporum elementis, & corporibus inde conflatis necessario convenit; & quæcumque substantia existit, ea in se ipsa, alicubi, cum aliquibus attributis sibi propriis existat necesse est.

II. Hinc vero ratione præcipui scientiarum omnium principii (417), seu potius ratione abusus, & præposteræ applicationis hujus principii universa Spinosæ theoria de unica, & universali substantia descendit.

Quoniam in generica idea substantiæ nihil videbat, quo diversæ peculiares substantiæ *sub hac idea communi, qua simul confunduntur*, comprehensæ, invicem distinguerentur; infert ipse, & confidenter statuit, nihil veritus, hoc corollarium, & hanc demonstrationem illi negari posse, *in natura universa unam, atque unicam esse, eamdemque substantiam.*

Quoniam in generica idea substantiæ aliquam contineri videbat necessariam essentiæ immutabilitatem, aliqua necessario illi attributa convenire, aliquam *hypotheticam* alicubi, & aliquo modo existendi necessitatem; infert adhuc, & confidenter affirmat, nullo metu hæc illi a quoquam negari posse, *substantiam, quam unicam esse jam statuit, esse tum essentia, tum existentia necessariam, & immutabilem.*

Labentibus hisce principiis universum Spinosæ systema extruitur, quo naturam universam facit *unicam substantiam necessariam*; atque hanc Deum appellat.

810. EXPLICATIO II. At vero *substantia hac unica* quanam ratione erit simul terra, & sol, spiritus, & materia, homo, & silex, cetera?

tera? Erit, inquit Spinosa, ratione *diversarum* quarundam *modificationum*, quas admittere potest.

I. Sicuti per Scotistas una, eademque humana natura evadit Aristus, & Clitander ratione quarundam formalitatum illi superadditarum; ita per Spinosam una, eademque substantia fiet terra, & sol, materia, & spiritus, homo, & silex ratione quarundam modificationum, quæ, ejus natura nec immutata, nec multiplicata, efficient, ut hic illa materia sit, illic spiritus; hic terra, illic sol, hic avis, illic piscis (329).

II. Binas genericas modificationes, pergit Spinosa, substantia unica, & universalis admittere potest, *extensionem* scilicet, & *cogitationem*. Porro binæ hæ modificationes sunt, quæ in hac unica substantia quidquid diversitatis in maxime vario naturæ spectaculo intuemur, efficiunt.

Exempli gratia, substantia unica, ut extensa, id est, quod *materiam* dicimus; ut cogitans, hæc eadem substantia id est, quod *spiritum* nuncupamus; ut materia simul, & spiritus, substantia unica id est, quod Spinosa *Deum* vocat, sive entium universitatem.

Substantiæ hujus unicæ, & universalis partes sunt terra, sol, sidera, planetæ, cometæ, aqua, ignis, vegetabilia, fossilia, homines, bruta, quidquid in rerum universitate sensibus percipitur, aut sensus effugit.

III. *Substantia hæc unica, & universalis*, hic *Deus* Spinosæ in sole lucens, in terra opacus, in marmore solidus, in nive frigidus, in accenso torre ardens, in Susanna castus, in Messalina impudicus, in Tito beneficus, in Nerone tyrannus, in arbore vegetat, in cane latrat, in fele gemit, in leone rugit, in infante nascitur, in sene moritur, in Turenio fama celebris est, in Ravaillaco infamis; neque

tam multiplici metamorphosi quidquam suæ *essentialis indivisionis*, *&* *indistinctionis* amittit; spiritus enim, & materia, homo, & silex, ceteraque semper per Spinosam quid unicum sunt, una quippe, eademque substantia, quæ natura immutabilis, & individua, non nisi modificationibus varia, & dividua sit.

SPINOSISMI ABSURDITAS.

811. OBSERVATIO. Absurdum adeo, ac portentosum est Spinosæ systema, ut quid in illo prius refellendum sit, quave ratione, ac methodo in confutatione utendum sit sane ambigamus.

Quum systema aliquod confutandum suscipitur, aliquid in eo investigatur a recta ratione alienum, & absurdum, quo detecto, id unum superest, ut in systemate hoc absurdum, & rectæ rationi oppositum esse ostendamus; hoc præstito systema ruit.

At enimvero ita ne nos gerere possumus in systemate confutando, quod geometrarum methodum, & speciem ostentans informe quoddam chaos est definitionum; quæ & intelligi nequeunt, & secum ipsæ confligunt, quod patentibus absurdis scatet axiomatum, aut postulatorum mathematicorum more prolatis; in quo corollaria sunt nulla ratione philosophica, quum a nulla veritate descendant; quod ideas exhibet sine objecto, in quibus nihil clare vides, nisi omnia falsa esse, & absurda.

Quid contradictorium erit, quid absurdum, in quod labi vereatur Spinosæ sectator, imo vero quid hujusmodi imperturbato animo non admittet, qui tenebricosis ideis obvolutus, & rectæ rationis principia ex adverso invadens, dicat solem, & terram unam eamdemque substantiam esse in duobus diversis immensi spatii locis; hominem, qui capite plectitur in Anglia,

glia, & eum qui in purpura nascitur in Gallia, non duas esse substantias, non entia duo; sed tantum binas, ejusdemque entis modificationes?

Erubescat jam quisque adeo obcæcari, & seduci se sivit, ut huic systemati laudes impertiretur; erubescat porro, se insaniam, & insolentiam ipsam commendasse ideo tantum, quia impietatis syngrapho munita, & ejus auspiciis sese illi obtulerat.

812. NOTA I. Hoc atheismi systema in *Spinosæ ethica* præsertim continetur. Opus hoc posthumum est in quinque partes distributum. Prima de Deo est, de substantia scilicet unica, & universali. In quatuor reliquis de spiritus origine, & natura agitur, de affectionum origine, & natura, de earum vi, de humana libertate.

I. Spinosa primum impii systematis semina celebri suo *Tractatui Theologico politico* inseruit quod diversis titulis e Latino sermone in Gallicum versum fuit; nec nisi ex impietate, qua totum sordescit, celebritatem est consequutum.

Systema suum deinde fuse explicavit, quantum ipsius natura patitur, & hujusmodi auctoris tenebricosa mens potuit, in Ethica, quam postremis vitæ temporibus scripsit; & post ejus obitum tantum alii ediderunt.

II. Ceterum Spinosæ systema, si rerum summam attendas, nihil habet novi; siquidem idem ipsum est vetus nonnullorum Græcorum materialistarum systema, Diagoræ, Critiæ, Xenophanis, Anaximenis, qui nullum Deum admittebant præter *Naturam materialem*, seu nescio quam chimæricam *energiam*, quam in hac natura, ab illa tamen distinctam, statuebant.

Spinosa vetus hoc systema e tenebris eruens hoc unum præstitit, ut illud quodam doctrinæ apparatu novis somniis, atque erroribus farciret, quibus minus intelligibile, magisque absonum, quam initio esset, effectum fuit.

813. NOTA II. Plane allucinantur, qui in Spinosæ systemate magnum aliquod, & philosopho dignum, ut pleraque sunt in Epicuræo, se inventurum speraret,

Epicurus medios etiam inter errores animum erigit, atque attollit magnifica ob oculos objecta ponens quum de astrorum & planetarum, de animantium, & vegatantium origine differit. Pone, si fieri potest, cum Epicuro omnia materiam esse: videbis, in falsa hac, & absurta hypothesi nihil grandius, nihil magis philosophicum Epicuræo systemate excogitari posse, (781, & 800).

Contra vero Spinosa mentem erroribus obruens deprimit illam, & depravat iniqua, & stulta, qua ducit, philosophandi ratione. Pone quoque cum Spinosa, si fieri potest, omnia esse materiam; tum in falsa hac hypothesi attende qua via te ducat ad naturæ phænomena explicanda. Ubique invenies tibi rerum loco inania verba dari. Exempli gratia.

Pete a Spinosa qua ratione natura condita fuerit, quave servetur. Hæc in Spinosæ principiis explicatione non indigent; natura siquidem tantum est *substantia unica*, & *necessaria* quæ quod est semper fuit, nec aliud quidquam unquam erit.

Pete ab illo iterum, qua ratione substantia hæc unica & necessaria mentibus nostris adeo diversa videatur, lucida in sole, & sideribus, in planetis, & cometis opaca, frigida in glacie, torrida in igne, intelligens in homine, non intelligens in silice ? Obvia responsio est in Spinosæ principiis. Satis est enim in hac unica substantia quam libuerit *diversarum modificationum* congeriem supponere; hæ illam hic materiam efficient, illic spiritum, hic opacam, illic lucidam, hic animatam, illic inanimatam, hic probam, illic improbam.

Sane ut ita respondeatur magno studio non est

est opus. Hæc tamen re ipsa est omnis explicandi ratio in Spinosæ sententia.

814. NOTA III. In Morerii Lexico legimus, Spinosam ingenio plane geometrico præditum fuisse; at potius tardo, tenebricoso, insolenti, & pravo, legendum esset.

I. Etsi per definitiones, lemmata, theoremata, corollaria geometrarum more quis procedat, non propterea geometrico ingenio præditus censebitur, nisi quoque (hoc enim postulat ingenium vere geometricum) definitiones has, theoremata, corollaria hæc nexu, recto ratiocinio, claritate, veritate communiat.

II. Non inficiabimur in aliquibus operibus, quæ veritate non innituntur geometricum ingenium deprehendi posse; ut in Cartesiana vorticum, & Leibnitiana monadum fabula plane elucet.

At geometricum ingenium deprimeret, & injuria afficeret, qui illo conscripta opera diceret erroribus, & contradictionibus undequaque scatentia; in quibus nihil est, quod recta ratio non ejuret.

Magis geometricum elucet ingenium in Epicuro, quum atomos suas concipit extensas, insectiles, massa, & figura, & motu infinite varias; quam in omnibus simul prolixis Spinosæ libris. Hæc Epicuri sententia recentioris physicæ basis effecta est. Nulla Spinosæ sententia philosophiam vel minima in parte unquam promovebit.

III. Quo præcipue apud quosdam celebris est Spinosa, est suo in religionem omnem odio, & infenso animo. Recens auctor de illo hæc habet: " Judaicam sectam detestabatur ut ethnicus; catholicam ecclesiam oderat ut judæus; illam calumniis insectabatur ut hæreticus, omnem demum religionem contemnebat ut atheus, eo pacto, quo monarchiam improbabat ut reipublicæ addictus ".

815. NOTA IV. Spinosam jam monuimus ubique rectæ rationi obsistere. Facile nobis esset, ut nonnulli recentiores fecerunt, illum ostendere in suo systemate sibi fere semper ubique contradicentem. At tædium, & molestiam non levem, veram utilitatem ferme nullam hoc labore pareremus. Quid faciant aliquæ contradictiones in aperto positæ ex opere, quod totum absurdis, & contradictionibus necessario conflatum esse debet?

Multo utilius arbitror, aliquando ostendere quam inanis, & lapsabunda sit universa impia celebris hujus athei philosophia. Hoc præstare pergimus primas sex ethicæ suæ propositiones cum *assertis demonstrationibus* ob oculos ponendo; in quibus nihil est, quod rectæ menti fucum facere possit. En illas igitur, præviis definitionibus, & axiomatis. In sex hisce propositionibus impii systematis summa tota est.

„ DEFINITIONES. I. Per substantiam in„ telligo id, quod in se est, & quod per se „ concipitur: hoc est id, cujus conceptus non „ indiget conceptu alterius rei, a quo forma„ ri debeat.

„ II. Per attributum intelligo id, quod in„ tellectus de substantia percipit, tamquam e„ jus essentiam constituens.

„ III. Per modum intelligo substantiæ affe„ ctiones: sive id, quod in alio est, per quod „ etiam concipitur.

„ AXIOMATA. I. Effectus cognitio a co„ gnitione causæ dependet, & illam involvit.

„ II. Quæ nihil commune cum se invicem „ habent, per se invicem intelligi non possunt; „ sive conceptus unius alterius conceptum non „ involvit.

„ PROPOSITIO I. *Substantia prior est na*„ *tura suis affectionibus.*

„ DEMONSTRATIO. Patet ex definitione „ prima, & tertia. Q. E. D.

Præ-

Præclaram sane, firmam, accuratam demonstrationem! ut ostendat, substantiam quamvis existere posse, & debere quavis peculiari modificatione destitutam, priusquam aliquam peculiarem modificationem assequuta sit. Nonne posita hac demonstratione evidenter sentimus, *atomum*, exempli gratia, sive æterna supponatur, sive creata, existere debuisse ante aliquem existendi modum, ante aliquam figuræ, motus, aut quietis modificationem? existere debuisse nullo existendi modo, nulla figuræ, motus, aut quietis modificatione? cetera.

Hic Spinosa *prioritatem natura* cum *prioritate rationis* confundit. Modificationis idea substantiæ ideam semper necessario includit: idea substantiæ non semper ideam modificationis, saltem hujus, aut alterius modificationis necessario includit. Non tamen inde sequitur, substantiam semper necessario quavis modificatione natura priorem esse; sunt enim substantiæ, quas nunquam sine aliqua modificatione concipere possumus, nec ipsæ sine aliqua modificatione unquam possunt existere: ac hujusmodi est ipsa atomus, de qua sermo.

„ PROPOSITIO II. *Duæ substantiæ diversa* „ *attributa habentes nihil inter se commune* „ *habent*.

„ DEMONSTRATIO. Patet etiam ex de„ finitione prima. Unaquæque enim in se de„ bet esse, & per se debet concipi: sive con„ ceptus unius conceptum alterius non invol„ vit. Q. E. D.

„ PROPOSITIO III. *Quæ res nihil commu*„ *ne inter se habent, earum una alterius cau*„ *sa esse non potest*.

„ DEMONSTRATIO. Si nihil commune „ cum se invicem habent; ergo per secundum „ axioma, nec per se possunt invicem intelligi, „ adeoque per primum axioma, una alterius cau„ sa esse non potest. Q. E. D.

Nonne & has dixeris plane firmas, ac invictas demonstrationes, ut probetur, creationem non dari? Quod idea atomi non sit idea spiritus increati; quod atomus, & spiritus increatus concipiantur singuli a se, & per se; sequitur ne, duo hæc objecta, quæ nihil habent commune ratione naturæ, neque ratione causæ, & effectus quidquam commune habere? Hoc tamen est Spinosæ ratiocinium, hæc ejus asserta demonstratio.

Si duorum nihil natura commune habentium alterum essentia infinite activum sit, & alterius perfectiones eminenter infinite habeat, quare hoc illius causa esse non poterit?

„ PROPOSITIO IV. *Duæ, aut plures res*
„ *distinctæ vel inter se distinguuntur ex diver-*
„ *sitate attributorum substantiarum, vel ex*
„ *diversitate earumdem affectionum.*

„ DEMONSTRATIO. Omnia, quæ sunt,
„ vel in se, vel in alio sunt: hoc est, per de-
„ finitionem primam, & tertiam extra intel-
„ lectum nihil datur præter substantias, ea-
„ rumque affectiones. Nihil ergo extra intel-
„ lectum datur, per quod plures res distingui
„ inter se possunt, præter substantias; sive,
„ quod idem est (per secundum axioma) ea-
„ rum attributa, earumque affectiones. Q. E. D.

„ PROPOSITIO V. *In rerum natura non*
„ *possunt dari duæ, aut plures substantiæ ejus-*
„ *dem naturæ, sive attributi.*

„ DEMONSTRATIO. Si darentur plures
„ distinctæ, deberent inter se distingui vel ex
„ diversitate attributorum, vel ex diversitate
„ affectionum, per propositionem præcedentem.
„ Si tantum ex diversitate attributorum; con-
„ cedetur ergo non dari nisi unam ejusdem at-
„ tributi. At si ex diversitate affectionum;
„ cum substantia sit prior suis affectionibus,
„ per primam propositionem; depositis ergo af-
„ fectionibus, & in se considerata, hoc est

„ ve-

„ vere considerata, non poterit concipi ab aliis „ distingui; hoc est per propositionem præce- „ dentem, non poterunt dari plures, sed tan- „ tum una. Q. E. D.

„ PROPOSITIO VI. *Una substantia non* „ *potest produci ab alia substantia.*

„ DEMONSTRATIO. In rerum natura non „ possunt dari duæ substantiæ ejusdem attributi, „ per propositionem præcedentem; hoc est, quæ „ aliquid inter se commune habent; adeoque, „ per propositionem tertiam, una alterius cau- „ sa esse nequit, sive una ab alia non potest „ produci. Q. E. D.

Præclaras oppido demonstrationes, easque omni ex parte inconcussas ut hominibus universis probetur, deceptos, & illusos fuisse, quum plures re ipsa haberi in rerum universitate distinctas substantias putaverunt, quarum una non sit alia; atque ut probetur, *unam, atque unicam* in natura visibili *substantiam* haberi; atque lunæ, terræ, Syrii, solis substantiam non jam quatuor distinctas substantias, sed unam re ipsa, individuamque substantiam esse.

At vero malo Spinosæ fato tres hæ postremæ demonstrationes & *falso supposito* laborant, & *falso dilemmate* innituntur; quod quidem noscere facile est; unde ridiculæ, ruentes, absurdæ sunt.

Falso sopponunt, duo distincta esse non posse, quin diversa sint; quod plane falsum est. Binæ siquidem aquæ guttæ perfecte similes hoc ipso distinctæ sunt, quod una non sit altera, &, ut ajunt, quia inter illas re ipsa habetur *alteritas naturæ*; quin necesse sit inter ipsas *naturæ diversitatem* haberi, ut inter aquæ guttam, & saxum, aut lucis radium intercedit. (31).

Falsum dilemma invenies initio demonstrationis propositionis quintæ. Inter duo dilemmatis membra datur medium. Ut duo siquidem inter se distincta sint, non semper aut diversitas

attributorum essentialium, aut modificationum accidentalium diversitas in illis requiritur; satis enim ad hoc est *simplicem* inter illa dari *naturæ alteritatem*, ita, ut unum sive altero possit existere (721 & 723).

Ab his sex falsis propositionibus, puerilibusque sophismatis a nobis, ad verbum ex regiæ bialiothecæ exemplari descriptis universum descendit impium Spinosæ systema; hac siquidem basi superstruit quidquid paradoxorum in quinque ethicæ suæ partes auctor iste congessit.

ACTOR SYSTEMATIS NATURÆ.

816. OBSERVATIO. Ex Epicuri, ac Spinosæ systematibus simul utcumque permixtis *systema naturæ* conflatum est. Auctorem quæris noscere? fortasse non is est, cujus nomen liber præsefert; ast illum, quicumque sit, odio furentem in religionem quamvis dignosces, malum dialecticum, malumque philosophum, ingenio obscuro, nec minus Spinosa sibi contradicentem, minus fertili, ac vivida phantasia, at magis fervida, ac seducente magis fortasse, quam Lucretius. Hæ præcipuæ ejus notæ esse videntur.

Quidquid falsorum principiorum, falsarumque propositionum, atque inductionum pernicioso hoc systemate continetur, a nobis incidenter, & generice confutabitur tum in demonstrationibus statuendis, tum in objectionibus solvendis in hoc tractatu & in sequenti de anima. Hic tantum nonnulla generica attingemus, ut quæ de auctore diximus, vera comprobentur.

Auctor hic nulla allata ratione, probatione nulla audacter dicit, ideo tantum credi, Deum existere, & hominis animam spiritualem esse, quia non satis *naturam materialem* contemplamur, atque dignoscimus, quæ & universi Deus est, & anima hominis. Tum si, & magni philo-

losophi, magni physici, valde in naturæ cognitione versati, (puto sane ut ipse est) omnes homines essent, nullum illos Deum credituros, nullam religionem sequuturos. At vero quam ipse eminentis scientiæ suæ validam, atque illustrem probationem affert, ut se ingenii vi, cognitionibus philosophicis, physicis, naturæ investigatione universo humano generi præstare innotescat; seque solum visibilem naturam bene dignovisse; ceteros homines toto orbe terrarum omnibus ad hunc usque diem elapsis sæculis illam male dignovisse?

I. Quo loco inter philosophos dignus est auctor, cujus opus manifestis contradictionibus refertum est; qui pronuncians, se quascumque demonstrationes existentiæ Dei Cartesius, Neutonus, Malebranchius, Clarkius protulerunt, eversurum, illas ne attingit quidem; & tantum petit (petitio sane indigna philosopho) quare, quod demonstratur, non esse *naturam materialem*, non sit ipsa natura materialis; qui homines supponens in omnibus *absoluta, & non superanda necessitate* constringi, nempe in ideis, in judiciis, in affectionibus, in motibus, in opinionibus, in moribus, in legibus, in consuetudinibus, in iis omnibus, quæ nos modificationes nostras activas, & passivas, intrinsecas, & extrinsecas nuncupamus; magna operis sui parte passis manibus conclamat, atque conqueritur, homines melioribus legibus non regi, neque moribus esse magis castigatis, quum necessitate ita sit; eosque hortatur, ut alium cogitandi, & agendi tenorem sequuntur ab eo, quem necessitate adducti sequantur?

Profecto non mentis imbecillitate, aut rationis defectu, aut philosophiæ inscitia Deus esse creditur, & anima hominis spiritus; sed contra quia ingenium malum, pravumque est, ut illud Spinosæ, & auctoris hujus, insania atheismi, & materialismi laboratur,

II. Quo loco inter physicos, & naturæ studiosos sæculo decimo octavo dignus erit auctor, qui somniat, farinam fermentescentem, & putrescentem vermes, & insecta gignere, eaque organis, & anima instruere (793 & 795) : qui putat, atque asserit, fieri posse, ut æternum homines in terra fuerint; qui de astronomia loquens, quam ne a limine quidem salutavit, ait, telluris motum, unde habetur æquinoctiorum præcessio, omnia tandem in orbe nostro permutaturum, & alternatim polos sub æquatore, æquatorem sub polis collocaturum (*Phys.* 1327 & 1378); qui omni rationi obsistens, graviter pronunciat, in rebus neque ordinem esse, neque perturbationem, inania nomina hæc esse, quibus utimur ad commoda, aut incommoda indicanda; adeoque verum ordinem non haberi neque in corpore animantis, neque in vegetabilis, neque in naturæ universitate; qui idearum, & rerum ordinem evertens, probare nititur timorem Diis nationum ortum dedisse; non vero ideam Deorum existentium omnibus hominibus insculptam Deos hos timere, rogare, colere, aliquando & amare suasisse; qui nulla intermissione *naturæ energiam* prædicat, nunquam quid ipsa sit novit, aut saltem nunquam quid hac energia intelligat explicavit, sit ne vis attractionis, impulsionis, inertiæ, aut alia quæpiam ignota, & definiri recusans (177 & 896); qui tenet, id, quod Deum dicimus, esse ens chimæricum propterea quia ejus essentia, & natura comprehendi nequit: quique ideo eodem jure materiam ens chimæricum dicere poterit, nec illius siquidem natura, & essentia comprehendi potest? (219 & 1392),

III. Quo loco inter naturæ studiosos, & morum magistros auctor dignus erit, qui ut execrandam materialismi philosophiam morum tueatur, quemdam *naturæ codicem* nobis tradit, in

quo

quo omnia ridicula, & absurda sunt, si Dei existentiam excludat, ut re ipsa excludit? Quid enim quæso isthęc natura est, quæ in illo codice esse nos jubet justos, veraces, fideles, honestos, beneficos, cetera? Est ne natura aeris? an ignis? an aquæ? an terræ? an suorum vegetantium, fossilium, animantium? Profecto nisi naturæ nomine æternum mundi hujus visibilis auctorem, & supremum dominum intelligamus; universus naturæ codex inanis vocum congeries est nihil significantium, aut potius oppositum ab initio ad calcem significantium.



§. III.

SYSTEMA TELLIAMEDIS.

817. OBSERVATIO. Systema Telliamedis, de quo modo agere aggredimur collectione quadam continetur observationum, ac meditationum, quibus quidam Indus philosophus naturam scrutatus fuisse perhibetur. Hic libero, & erudito in rebus physicis ingenio omnes mundi partes perlustravit. Operis hujus auctor est Gallus quidam, qui diu in Ægypto nationis suæ consul fuerat; & obiit Massiliæ anno 1738 de religione aliter omnino sentiens, ac illa indicent, quæ suo Indo philosopho, seu miti materialistæ affingit, quæque auctoris ipsius fortasse nunquam sententiæ fuerunt. Auctor iste Mailleus est, cujus nomen (*de Maillet*) inversum Indi philosophi *Telliamed* nomen refert.

Consul Mailletus itaque sapiens criticus in sua *Ægypti descriptione* initio fuit; postremo impius fabulator apparuit in suo *Telliamede*, opere posthumo, quod non nisi anno septimo,

aut

aut octavo ab ejus obitu editum fuit (a). In hoc se exlegi phantasia, falso, & insolenti judicio, & sanæ physices omnino jejunum auctor aperte indicat. Exempli gratia.

I. Quid de auctore sentiendum, qui se libero, & erudito in physicis ingenio prædicans, hac nostra ætate audet dicere, terram ad polos/oblongatam esse, ad æquatorem compressam; *hanc vero ad polos productionem a radiorum solarium percussione fieri*? Postrema hæc asserti hujus pars aperte definit quo inter physicos loco Telliamedes habendus sit.

Præcipiti fortasse sententia, aut inscitia condonanda terram dixit auctor ad polos productam, ad æquatorem compressam; præsertim quum quo tempore scriberet, adhuc philosophi inter Cassinum qui pro hac sententia stabat, & Neutonum, qui terram ad polos compressam contendebat, ancipites erant; necnondum geometricæ mensuræ ad circulum polarem, & ad æquatorem Neutoni sententiæ standum esse definierant.

At vero qui hanc ad polos productionem, sive datur, sive dari supponatur, radiorum sola-

(a) *Auctor Descriptionis Ægypti, & Telliamedis non ita literis instructus erat, ut ipse observationes, & meditationes ederet, quæ duobus hisce voluminibus continentur. Abbatis Mascrieri* (le Mascrier) *itaque ministerio usus est. Hic omnia digessit, & typis edidit. Opus posthumum inscribitur.* Telliamed, ou entretiens d' un philosophe Indien avec un Missionaire François sur la diminution de la mer.

Postremi hujus operis editor primam editionem reformavit; eam aliqua parte castigavit, addita præfatione, qua Telliamedem ab atheismi, & impietatis criminationibus vindicare nititur, quas prima editione sibi promeritus erat.

larium percussioni tribuit, is se depravato ingenio quam hoc ridiculum sit non videre ostendit, nullam se ad physices studia aptitudinem habere, & physica pertractantem ea cognitione, qua cæcus de coloribus, de phænomenis naturæ disserere.

Etsi enim terra ad polos elongata esset, non depressa, cuique vel minimum in physicis versato evidenter patebit, aliam omnino causam hujus productionis fuisse perquirendam; vel ipso siquidem rationis lumine innotescit, huic effectui producendo allatam causam omnino imparem esse.

II. Quid de scriptore dicamus, qui ut probet annos diluvii, & primorum Patriarcharum temporibus decies, aut duodecies nostris breviores fuisse, supponit terram tunc se in plano æquatoris RSR convertisse, non ut modo in plano ABA Eclipticæ, & circulum æquatoris circulo Eclipticæ minorem esse? quasi vero in sphæra, duo magni circuli alter altero majores esse possent; & juxta physicæ leges nulla causa novum iter in cælo tellus inire potuisset, ac relicta curva RSR novam ABA obire ad immensam a prima distantiam RA. (fig. 5).

Falsum omnino, telluris curvam ellipticam ABA positionem saltem ad sensum diversam in cælis habere modo, quam diluvii, & patriarcharum ætate; etsi valde verosimile sit, ante diluvium terræ axem TV habuisse positionem, seu directionem *tu*, & axi MN æquatoris parallelum fuisse; quod terræ perpetuum ver in annua ejus revolutione ABA parere debebat. (*Phys.* 1142 & 1145).

Falsum quoque, telluris curvam ellipticam ABA in plano eclipticæ esse modo ad sensum diversam a telluris curva tempore diluvii, & patriarcharum; nulla enim causa physica nota motum projectilem, & alium centripetam, a quo exurgit curva hæc elliptica ABA, valuit immutare,

De

De his omnibus, si lubet, consule in physica nostra numeros 508, 1266, 1283., 1285, 1286 1492, & figuras hisce numeris respondentes.

III. Quid de scriptore dicamus, qui ut explicet qua ratione homines, bruta, vegetabilia primum exstiterint, infinita sibi perperam confingit *germina imperceptibilia*, *& indestructibilia* omnes varias viventium, & vegetantium species gignere destinata per immensum spatium universum diffusa, quod terram inter, & sidera intercedit; eaque, similia similibus, invicem adhæsisse primitus per se in immenso aquæ volumine, quod tunc solidum terræ nucleum obtegebat; atque in hujus superficie quidquid modo vivit, & vegetat efformasse; ipsa hæc germina æque per hos dies, similia similibus, per se adhærere posse, & aut species, quæ nunc existunt, aut novas vegetantium, ac viventium progignere; atque hanc fuisse antiquitus genesim tot barbarorum in regionibus septentrionalibus, qui tam sæpius australes plagas inundarunt, ac devastarunt?

IV. Innumera his similia excerpere possumus, in quibus Indus philosophus transversus abit, physicam universam deturpat, rerum principia invadit, naturæ opera hujusmodi artificio, & hujusmodi causis explicat: artificio sane illi comparando, quo Ciranus Bergeracensis inflatis utribus insidens in lunæ regnum translatus est.

Hinc sane colliges quid de systemate philosophico, cujus talis notæ physica fundamentum est, sentiendum sit; quodque ab eo scriptore pertractari debet, qui tam belle naturam, ejusque partes novit, atque scrutatus est.

His de Telliamedis auctore primum expositis ad systematis principia, & sententias descendamus: hoc, ut Epicuræum, entia animata, & inanimata ut argumenti sui corollarium potius, quam ut argumentum ipsum complectitur.

PRÆ-

PRÆCIPUUM TELLIAMEDIS PRINCIPIUM.

818. EXPLICATIO. Universi Telliamedis systematis fundamentum est *perpetua maris imminutio*. Fabula hæc est, quam credere, aut asserere nemo poterat, nisi qui in physica universa plane jejunus, ac rudis esset; aut qui animo obfirmatus fabulam de natura texere, & somnia sua pro philosophicis veritatibus venditare, tanta esset impudentia, atque audacia; ut aliquibus illudere niteretur quoddam phænomenon pro alio illis ostentans, *fortuitum scilicet maris recessum* pro perpetua maris imminutione.

Quoniam vero hoc Telliamedis principium & physicam, & naturalem historiam, & religionem ipsam respicit, *trutina philosophica* subjicietur, ut sequentibus observationibus, ac notis expendatur. At vero, ut hoc assequamur, initio quæstio ipsa dilucide statuenda est, ut aperte videamus qua in re Telliamedes falsus est, aut falli potuit. (Fig. 2.)

I. Per Telliamedem tellus nostra primitus verus globus terraqueus fuit URSTU, nullis montibus, vallibus nullis. Terrea pars globi MANBM undequaque immensa aquarum copia MVRNSBTM obtegebatur, in qua primitus, & per sæcula quamplurima omnia viventia, & vegetantia extiterunt, & in qua sensim sine sensu montes excreverunt V, R, S, T, A.

At vero, pergit ipse, aquæ istæ in dies, & in sæcula imminutæ sunt perpetua evaporatione, qua in atmosphæram exaltatæ a diversis globis lucidis magis nostro propinquis attrahebantur, & rapiebantur. Quare nostri globi pars aquea primum circa nucleum elevata erat in *a*, deinde cessit in *b*; & magis magisque evaporari, & deprimi perget ad M; donec tandem

dem ne una quidem aquæ gutta in universa globi superficie relinquatur.

II. Sentiunt veri physici, verique naturæ scrutatores, nullam in orbis nostri aquis factam esse imminutionem, sed tantum loci nonnullas mutationes contigisse. Exempli gratia. (Fig. 1.)

Ponamus primo, quinque aut sex mille ante annos quater millies mille cubicas leucas aquæ in solida terræ superficie extitisse: totidem supersunt per hos dies, ea parte dempta, quæ quotannis in varia regni animalis, & vegetabilis corpora mutatur, quæque corporibus hisce solutis pristino statui restituitur.

Ponamus quoque, hanc aquam in diversa maria distributam, & insulis interjectam, ac terris, iis temporibus globum, sive sphæroidem terraqueam efformasse ADBEA, cujus commune gravitatis centrum esset in C; aquas vero maris ratione æquilibrii hydrostatici tantum elevatas fuisse in A, in D, in B, in E.

Potest hæc eadem aquæ copia, nullam veram massæ, aut voluminis imminutionem passa, globum, sive spæroidem formare *adbea* commune centrum gravitatis habentem in *c*; aquæ vero maris ratione æquilibrii hydrostatici ascendisse possunt hinc ab A in *a*, illinc descendisse ex B in *b*: quod in aquis maris non nisi loci mutationem postulat, cujus quoque causam physicam concipere, & assignare facile est, ut quamprimum videbimus.

819. OBSERVATIO I. Admodum probabile est, etsi non omnino certum, ut asserit Telliamedes, mare mediterraneum non esse modo æque altum, ac sæculis superioribus, & post plura sæcula maris hujus altitudinem magis, magisque videri imminui ab *a* in *b*, & hinc M versus, exigua quantitate, attamen vera, descendendo. (Fig. 2.)

Sive *varia* hæc mediterranei *decrementa* perpe-

petua in dies, & annos progressione contigerint, sive subito casu diversis temporibus, & nulla progressione:

I. Scimus primo, Plinio Galliæ hoc observante, & referente, fortasse etiam paullo nimium Telliamedis fabulis favente, maximam vinearum partem Agathæ in inferiori Occitania sexaginta, aut septuaginta ante annos marinis aquis obtectam adhuc fuisse, quæ propterea ab eo litore recesserunt: in Hispania quoque postremis hisce temporibus, & vix unius sæculi spatio, Blanesio, & Badalono ad ostia Vobregati Dertosæ promontorium versus secus Valentiæ litora recessisse:

II. Scimus quoque Aquas mortuas, quæ urbs modo sesquileucam a mari in inferiori Occitania distat, Divi Ludovici ætate portum fuisse, a quo ipse cum sexaginta millibus militum ad infaustam Africæ expeditionem classe profectus est. Quamobrem a Divi Ludovici temporibus ad hos usque dies, quingentis scilicet annis, ab eo litore mare videtur non parum recessisse.

III. Novimus quoque mare, quod borealem Ægypti partem alluit, magis per hos dies, quam olim remotissimis temporibus, depressum videri; in mediterraneis enim Ægypti locis sub terras detectæ fuerunt minime dubiæ urbium vetustissimarum reliquiæ, ad quas *portus* fuisse videntur, iique multo magis iis elevati, ad quos modo naves appellunt, imo iis quoque, ad quos classis Divi Ludovici olim appulit.

Quæ quum ita sint omnia in hoc phænomeno comprobando consentiunt, mare scilicet mediterraneum olim *magis*, quam modo, *elevatum* fuisse; modo ne nimium hanc depressionem augeamus, quæ tunc physicis, & historicis monumentis falsa probaretur, quibus constat plures antiquissimas urbes, ut olim, nunc quoque portus habere, nulla notabili in his portubus mutatione.

IV.

IV. Verosimillimum est, quod in mediterraneo contigit, id in ceteris quoque orbis maribus contigisse; at non propterea sequetur, quemadmodum præpostere infert Telliamedes, aquæ maris quantitatem per dies, & sæcula in orbis nostri universitate imminui.

820. OBSERVATIO II. Certum est, *successivam hanc maris mediterranei, aliorumque depressionem non probare a remotissimis temporibus ad hos usque dies universam aquarum massam re ipsa imminutam esse*; aut modo pauciores in universis maribus hexapedas cubicas aquæ, quam antiquissima ætate inveniri: Successiva hæc siquidem marium depressio probat tantum *successivam loci mutationem*, quam aquæ subierunt; hoc vero aquas non probat in hoc orbe imminutas, qui hinc acquirit, quod ibi amittit.

I. Orbis noster juxta physicas leges *centrum gravitatis* successive mutare potest, ut in nostra Telluris theoria ostendimus (Phys. 510, & 511) tunc vero ut servetur, sive restituatur æquilibrium casu interruptum, quod in universis maribus haberi debet, aquæ ab una ad alteram partem refluent; puta a litoribus mediterranei ad litus Africæ occidentale ultra fretum Gaditanum, & inde ad Sinense litus, aut Brasiliense, aut Canadense, ut novum gravitatis centrum postulabit.

Si a subitis, & violentis causis hæc centri mutatio fiat, parva depressio quæ hinc, & par elevatio, quæ inde fiet in circumfluis maribus subita quoque erit, nec gradatim perget.

Si causis succesive agentibus, & diuturno tempore mutetur centrum, elevatio & depressio lente, & gradatim procedent.

At in utroque casu mare non nisi tantum una in parte deprimitur, quantum in alia attollitur; & eadem aquæ massa in orbe perseverat.

II.

II. At quamvis juxta leges physicas possint aquæ maris loco mutari, & idem mare modo minorem altitudinem mediam ad eadem litora habere possit; juxta tamen easdem leges maris aquæ in orbis universitate imminui non possunt. Pars humida a naturæ conditore in orbe posita adhuc perseverat; nequit enim aut ad nihilum redigi, aut ad alios orbes asportari.

Physicam ne a limine quidem salutasse oportet, qui velit, ut philosophus Indus, solis radios in humore telluri eripiendo continenter occupatos, eoque caloris vi absorbendo, & ad alios globos, aut vortices impulsu propellendo.

O incommode speculator, dicere posset tellus indignata, non sane melius radiis solaribus maria mea exhauries, quam polos meos produxeris (817). Aqua in atmosphæram meam evecta vaporis specie, in quam ultra unam, aut alteram leucam a solo non ascendit, in me tota iterum labitur pluviæ, aut roris forma: ejus ne gutta quidem perit; nec inde nisi miraculo, cui tu fidem non adhiberes, ad alium quemvis globum transire potest.

821. CONCLUSIO. *A principio falso* quid veri deducas? nihil. Atqui universum Telliamedis systema principio patenter falso innititur, perpetua scilicet, & nunquam intermissa marium imminutione; totum ergo hoc systema ruat oportet.

Non tamen inficiabor, concesso Telliamedi falso illo principio, cui systema suum exædificat, satis philosophicam istud speciem induere, & ab unico *fabuloso phænomeno*, quod audacter, & callide pro vero venditat, arte summa deducere deliria omnia, quæ primum fœcunda mente conceperat. Hæc vero ut starent aliquo fulcro indigebant, cui omnia insisterent, & a quo, veluti a communi centro, & fonte omnia deducerentur.

VA-

VARIATIO ALTITUDINIS MEDIÆ IN EODEM MARI.

822. OBSERVATIO. I. In nostra telluris theoria ostendimus ut supra indicavimus (820), *mare, massa, & volumine non imminutis, aliquando majorem, aliquando minorem altitudinem mediam diversis temporibus obtinere posse.*

Ut hoc appareat phænomenon, satis est *centri gravitatis mutatio in nostro globo*: hæc innumeris modis, & juxta communes rerum vicissitudines naturalibus causis haberi potest.

Exempli causa, in malacia, nec attento maris æstu, potuit mare Belgicum attolli tantum usque in R Cæsaris ætate; nunc vero iisdem positis rerum conditionibus, attolli potest usque in *r*.

Potuit etiam mare antipodum Belgii Cæsaris ætate attolli usque in S; nunc vero, iisdem positis rerum conditionibus, non amplius attolli nisi in *s*.

Idem dicas de ceteris maribus A*a*, D*d*, B*b*, E*e*, quæ varias insulas, terrasque alluunt.

823. EXPLICATIO. Ut apte hoc phænomenon percipiatur satis est generales æquilibrii & gravitationis leges, & varios ex his consequentes effectus vel leviter attendere. (Fig. 1.)

I. Posita attractionis, & gravitationis corporum theoria, quando hemisphærium terraqueum DCEAD massa æquale est opposito hemisphærio DCEBD; centrum gravitatis coincidit centro ipsius globi in C, ad quod omnes peculiares attractiones, & gravitationes concurrunt, & ad quod partes omnes gratitantes, AC, & BC, DC, & EC, RC, & SC, quas modo homogeneas, & ejusdem naturæ supponemus, oppositis, & æqualibus viribus continenter tendunt. In hoc rerum statu primi hemisphærii gravitatio alterius gravitationi æqualis est.

II.

II. At si tollatur hæc æqualitas gravitationis inter duo opposita hemisphæria; sive si alterutrum, casu quopiam, altero gravius fiat; tunc *centrum gravitationis*, *& æquilibrii* necessario ad graviorem partem accedet quantum opus erit, ut æquilibrium, seu gravitationis æqualitas inter duo hemisphæria opposita DEA, & DEB restituatur.

Exempli gratia, si in regionem A subito transferretur immanis materiæ massa, puta ingens mons, patet jam, hemisphærium DEA aliquanto gravius factum iri opposito DEB; & ad æquilibrium, seu ad gravitationis æqualitatem inter hæc duo hemisphæria restituendam tunc opus fore, ut centrum æquilibrii, & gravitationis accederet ad punctum A, & hoc eo magis, quo massa puncto A superaddita major est.

Quamobrem in hac hypothesi centrum gravitatis, sive æquilibrii non jam, ut antea, esset in C, sed in *c* puncto A propinquius. Ut enim globus ADBEA in duo hemisphæria æque ponderantia divideretur plano diametro AB perpendiculari; deberet planum secans per lineam *dce*, non per lineam DCE, transire. Centrum *c* hujus sectionis evidenter esset centrum gravitationis, & æquilibrii.

III. Juxta generales hydrostaticæ leges *maris aquæ se ad æquilibrium statuunt circa centrum commune gravitatis orbis nostri*. Quare quum centrum gravitatis est in C, maris aquæ sub æquatore, sive sub eodem circulo æquatori parallelo ad æqualem distantiam sistent a centro gravitatis in A, & B, & R, & S.

At si casu quopiam commune centrum gravitatis transeat a C in *c*; tunc aquæ maris ut æquilibrentur, sistent ad æqualem a novo hoc centro distantiam in *a*, & *b*, in *r*, & *s*. Quapropter elevabuntur supra priores terminos in regionibus A, & R; & in regionibus B, & S infra veteres terminos deprimentur.

824.

824. OBSERVATIO II. Certum est, Austrinum sinum (Belgice Zuiderzee) in Belgio quingentos, aut sexcentos ante annos efformatum fuisse. Causa, & tempus ipsum mirandi hujus eventus vere latet; videtur tamen ingenti soli depressioni tribuendus, quod modo aquis obtegitur. Censendum igitur sub regione hac immensam veluti cavernam antea fuisse, cujus fornice aut terræ motu, aut magna aliqua subterranea fermentatione, aut alia quapiam physica causa diruto, regio illa tota subsederit. Hinc prægrandis veluti concha effecta est, in quam præcipiti fluxu maris aquæ sese conjecerint. At quacumque ex causa magnum istud phænomenon ortum fuerit, certum est, illud existere, & de illo bina, quæ sequentur, ratiocinia institui posse.

I. Supposita communi leuca bis mille hexapedas longa; supposita Austrini sinus longitudine leucarum vigintiquinque, latitudine leucarum duodecim, adeoque ejus superficie trecentarum leucarum quadratarum, sive 1200000000 hexapedarum quadratarum; & ejus altitudine media hexapedarum tantum triginta; in illo aquæ volumen inveniemus æquale *bilionibus* triginta sex hexapedarum cubicarum, (a) cujus pondus quinque *triliones* cum dimidio *quintalium* excedit (*). Porro massa hæc aliquanto major esset

(a) *Vocibus hisce usi sumus, licet minus latinis: neque enim latina suppetunt; & tantum prælongis phrasibus ista referri possent, quæ quidem in promptu sunt; at tædium potius, quam commodum scribenti, & legenti pariunt; breviores ista universa Europa intelliguntur: hoc satis est. Quid juvat scribere :* decies centena millia millium millium millium *&c.? Interpres.*

(*) *Pes cubicus aquæ maris est ferme septuaginta*

esset quatuor montibus glaciei, quorum singuli leucam cubicam æquarent.

Ut hæc hypothesis minus involuta sit, ponamus modo aquæ massam, qua constat Austrinus sinus, æqualem omnino esse quatuor montibus glaciei, quorum singuli æquent leucam cubicam. Ponamus deinde, lineam R S esse axem globi terrestris A D B E A; & in Belgii regione A subito eventu mare fieri massa & gravitate æquale quatuor hisce montibus, qui singuli leucæ cubicæ æquales sint.

In hac hypothesi erit ergo hemisphærium D E A gravius opposito hemisphærio D E B; & primi super alterum gravitatis excessus æquabit gravitatem immanium quatuor cuborum glaciei, quorum quilibet altus, latus & profundus erit leucam unam. *Quare centrum commune gravitatis, aut æquilibrii* non amplius, ut antea, erit in C, sed in aliquo puncto *c* puncto A, ubi novum mare factum fuit, propiore (823).

Ut inter hæc duo opposita hemisphæria D E A, D E B æquilibrium restituatur, abscindendum erit ab hemisphærio nunc graviori D E A segmentum circulare D E *e d*, cujus gravitas æquet dimidiam massam fortuito eventu in regionem A translatam, *& hoc addendum* hemisphærio opposito nunc leviori D E B. Tunc novum commune centrum gravitatis, & æquilibrii erit in *c* centro sectionis circularis *d e d*

---

ginta trium pondo; quare hexapeda, qua pedes cubicos 216 continet, erit ferme 15768 pondo. Posita leuca bis mille hexapedas longa, continebit octo miliones hexapedarum cubicarum, quæ quater sumpta efficient miliones triginta duos hexapedarum cubicarum. In præcedenti supputatione nos harum miliones triginta sex Austrino sinui tribuimus.

longa esse debet diameter circularis hujus segmenti D E D *d e d*, ut massam habeat duabus cubicis aquæ marinæ leucis pondere æqualem? Porro hoc ipsum modo est determinandum.

Ut hoc assequamur, quærendum est quot lineas cubicas *cubica aqua leuca* contineat, quæ bis mille hexapedas longa supponatur; quot pariter lineas cubicas contineret *segmentum circulare lineam cubicam altum*, sumptum in terrestri globo inter diametrum D E, & chordam proximam *d e*. Ex hisce binis quantitatibus simul comparatis proxime dignoscemus quanta esse debuerit centri gravitatis mutatio a fortuita Austrini sinus formatione producta.

I. Leuca bis mille hexapadas longa, pedum duodecim millia, pollicum centum quadraginta quatuor millia, linearum 1728000 (decies septies centena millia, & vicies octies millia) continebit. Postremum hunc numerum ad quadratum eleva; productum habebis 5, 159, 780, 352, 000, 000, 000; qui numerus lineas cubicas in cubica aquæ leuca contentas exprimet.

Posita quoque leuca bis mille hexapedas longa, terræ ambitus A B A, sive E D E ferme novem millia leucarum, duodeviginti *miliones* haxapedarum, centum, & octo *miliones* pedum, mille ducentum nonaginta sex *miliones* pollicum, 15, 552, 000, 000 linearum continet. Quare si juxta geometrica præcepta lineas periphæriæ per lineas dimidii radii multiplicemus, productum erit 4, 603, 392, 000, 000, 000; qui numerus lineas quadratas exprimet in segmento circulari D E D *d e d* contentas; & posita segmenti hujus altitudine unius lineæ, habebimus quoque linearum cubicarum numerum, quem continet.

Si binæ hæ quantitates, *leuca cubica* scilicet, & *zona circularis*, simul computentur, videbimus primam, quæ ultra quinque *quintiliones* linearum cubicarum continet, octava ferme

me parte altera maiorem esse, quæ tantum quatuor cum dimidio continet. Quare, supposita primum eadem specifica gravitate tum in leuca cubica, tum in segmento circulari, deberet hujus altitudo C *c* esse ferme lineæ unius, & octantis, ut leucæ cubicæ pondus æquaret. Quum vero hemisphærium D E A supponatur quatuor cubicis leucis excedere oppositum hemisphærium D E B, ad æquilibrium restituendum a primo hemisphærio materia duabus cubicis leucis æqualis demenda esset, & in alterum transferenda. Quare segmentum circulare D E D *d e d* altum esse deberet ferme lineas duas, & quadrantem; tunc vero centrum gravitatis C ad punctum A lineas duas, & quadrantem accessisset.

At vero, quum segmentum circulare, de quo sermo, passim variis terrestribus corporibus constet, quæ magna probabilitate duplo ferme aqua marina specifice graviora censeri possunt, hoc *circulare segmentum* ut *duabus* aquæ *marinæ leucis cubicis* æquiponderet, non duas lineas, & quadrantem, sed unicam cum octante altum esse postulat. Quare novus Austrinus sinus non nisi *lineam*, *&* *octantem* ad solum Belgium commune gravitationis, & æquilibrii centrum propius accedere fecisset, nisi *aquæ mobilitas* primo huic phænomeno aliquid addidisset.

At enimvero hæc aquæ maris mobilitas necessario phænomenon augere debet, mutationem scilicet centri gravitatis; quod ostendo. Siquidem.

II. Scimus, maris aquas ratione generalis legis æquilibrii, & gravitationis, semper niti, ut æquilibrentur circa commune gravitationis orbis terrestris centrum, ac proinde ut ad æqualem ab hoc centro distantiam, sub eodem latitudinis gradu componantur. Hinc, quum centrum gravitatis novi sinus phænomeno a C

in

in *c* translatum sit; aquæ ut æquilibrium obtineant, sive, ut ad æqualem ab hoc communi gravitationis centro *c* distantiam componantur sub eodem latitudinis gradu, deprimentur hinc a B in *b*, ab S in *s*; illinc ab A in *a*, ab R in *r* attollentur; & circa novum hoc centrum *c* sphæram, sive sphæroidem D *b s* E *a r* D efficient.

Quæ quum ita sint, si terrestris globus undique aquis obtegeretur, hemisphærium *de* B craterem sphæricum aquæ *d b e* B *d* amitteret altum in B lineam unam cum octante, & altitudine semper decrescentem usque in *d*, & *e*; contra vero oppositum hemisphærium *d e* A similem aquæ craterem *d a e* A *d* acquireret.

En itaque pondus hemisphærii *dea* auctum *tota materia crateris sphærici aqua* supra oppositum hemisphærium *deb*, quod illam amittit. Quare commune centrum gravitationis, & æquilibrii non jam amplius erit in *c* ubi illud primitus inveneramus sed in alio puncto V adhuc puncto A proximiore. Neque vero altera hæc centri mutatio priore minor erit. Quare illam non jam lineæ unius cum octante, sed duarum linearum, & ultra fore censendum est.

III. Centrum itaque gravitatis terrestris orbis quum a puncto *c* in *v* translatum sit, ut modo explicavimus; maris aquæ ut se ad libellam componant circa novum centrum *v*, ratione generalium naturæ legum pergent aliquantum attolli hinc supra punctum *a*, illinc deprimi infra punctum *b*, qui affluxus adhuc transferet commune gravitatis centrum punctum *x* versus, quod adhuc proximius erit puncto A; ubi novum mare formatum fuit.

At enimvero quum & maria, & terras terrestris orbis superficies habeat, quumque solida hujus superficiei pars totius superficiei ferme trientem æquet; pars terræ solida *t* B *f b t*,

quæ ad partem liquidam *r A y a r* refluere nequit, cito massam aquæ æquilibrabit, quæ ad punctum A tendere posset; & tandem novum commune centrum gravitatis immotum statuet inter puncta *c* & *x* ad *tres, aut ad summum quatuor* lineas a veteri communi gravitationis, & æquilibrii centro C. Quare *quantitas mutationis centri gravitatis totidem linearum fore censeri poterit, quot cubicas aqua leucas continet novum mare, cujus causa contigit hac mutatio.*

Neque dicas, fieri posse, partem B terrestris globi illi oppositam, in qua novum mare formatum est in A, esse aquis ubique contectam; adeoque novum gravitationis, & æquilibrii centrum posse perpetuo pergere attolli a c in *c*, a *c* in *v*, ab *v* in *x*, ab *x* in A.

Ne, inquam, dicas; dato siquidem, mare ubique esse in globi parte opposita puncto A; mare hoc cavo solido *z* continetur, quod nequit ad novum centrum *c*, aut *v* refluere; quare id præstat, quod promontorium; & partem aqueam æquilibrat, quæ ad partes *r a y* ferri nitebatur.

IV. Quæ quum ita sint, si ponamus Austrinum sinum aquæ copiam continere quatuor cubicis leucis æqualem, hic in nostro globo non nisi trium, aut quatuor linearum mutationem centri gravitatis efficere potuit; quare nec potuit aquas maris attollere in A inter Belgium, & Britanniam nisi tres, aut quatuor lineas supra antiquos limites; supra nempe eos limites, ad quos ante Austrinum sinum ad Belgii, & Britanniæ litora attollebatur.

Porro hinc sequitur, quod jam monuimus, si ad quædam litora A R mare magnam altitudinem, puta, plurium hexapedarum elatum est, & ad opposita BS pari altitudine depressum, necessario vicissitudines multo majores, nec illi comparandas in orbe nostro contigisse

quæ

quæ in regione, ubi modo austrinus sinus est, mare effecit.

826. NOTA. Patet minimi momenti esse in theoria, quam tradidimus, sit ne paullo major, aut minor supposita aquæ massa, quæ Austrinum sinum efficit; eadem quippe semper habetur problematis solutio; exempli gratia:

Si dimidio minorem vera hanc aquæ massam sumpsimus, centri gravitatis mutatio C*c*, aut *cv*, sive libellæ mutatio A*a*, B*b*, non quatuor, at octo linearum erit.

Si contra dimidio majorem hanc aquæ massam supposuimus, centri gravitatis, & libellæ mutatio, non quatuor, at duarum tantum linearum erit.

Methodo magis geometrica problema solvere potuissemus. At quum de re agatur magni momenti, qua tam multi cujusque ordinis, & conditionis commoti sunt, geometricis, & abstrusis solutionibus faciliorem, & omnium captui accommodatam prætulimus, quam vel minus in geometria periti arripere possent, & quæ facillime ceteris phænomenis, a quibus in nostro globo centri gravitatis mutationes oriantur, accommodari posset (fig. 1).

Exempli causa, hac nostra methodo facile intelliges, novum mare centies, aut millies majus Austrino sinu fortuito exortum mutationem centri gravitatis in nostro globo effecturum C*c*, vel C*v* centies, aut millies illa majorem effecturum, quam illa sit, de qua egimus; qua mutatione maris nova altitudo in *r a y*, & depressio in *t b f*, non quatuor linearum esset, sed quadringentarum, aut quatuor millium. Cetera.

MARIS MEDITERRANEI DEPRESSIO.

827. OBSERVATIO I. Duorum, aut trium millium annorum spatio maris mediterranei super-

perficiem re ipsa depressam esse recentiores naturæ observatores censent, & nos quoque censemus; hæc vero depressio in B S, exempli causa, evenisse potuit a novo mari aliquo magis, minusve vasto in A R efformato (fig. 1.)

Nobis tamen videntur recentiores hi *nimiam hanc depressionem* facere, duo simul confundentes, quæ sedulo distinguenda erant, scilicet *maris depressionem, & propinquarum regionum elevationem.*

I. Præcipuarum rationum, quibus probare contendunt maris mediterranei ingentem imminutionem, seu depressionem, una est; quia in mediterraneis Ægypti partibus veterum urbium reliquiæ deteguntur, quæ olim portubus instructæ fuisse videntur, quæque modo in regionibus sunt, quarum solum multum supra maris superficiem attollitur.

At qui hæc afferunt non satis animadvertunt, Nilum quotannis exundantem universam inferiorem Ægyptum lutulentis aquis obruere tribus, vel quatuor mensibus, quibus limi stratum deponit; unde solum necessario attollitur.

Ponamus tantum *annuum limi stratum* quemvis dimidiam lineam altum esse: tribus annorum millibus inferioris Ægypti solum quingentis lineis elevabitur, quæ pollices 125, seu ferme pedes decem, & semis efficiunt. Quare annuis Nili inundationibus modo Ægypti solum ferme pedibus decem, & semis altius esse debet, quam tres mille ante annos esset; & si supponamus mediterraneum suam eandem altitudinem semper servasse, inferior Ægypti regio, quæ tres mille ante annos supra maris superficiem non attollebatur, nunc pedibus decem, & semis illa altior esset.

Quæ causa inferioris Ægypti solum elevavit, eadem *maris* hæc litora alluentis *fundum* attollere debuit boream versus. Nilus enim quo-

quotannis immensam in hoc mare limi copiam vehit, qui ad litora congestus, tandem magnos ibi arenæ cumulos efformavit, quibus navium appulsus pluribus in locis modo impeditus est, ad quæ tres mille ante annos facilis, & frequens erat.

II. Alterum, quod afferunt, & quo magnam hanc mediterranei imminutionem, seu depressionem invicte se probare putant, est, plures ad hujus maris oras urbes esse, ut Ostia, & Ravenna in Italia, Forum Julii, & Aquæ mortuæ in Gallia, in quibus olim portus erant, & quæ modo aut a mari dissitæ sunt, aut supra maris superficiem admodum elevatæ.

At quum hæc objiciunt fortasse non animadvertunt quæ *peculiares loci causa* harum urbium positionem immutaverint, quæque aut omnino, aut partim saltem a mediterranei depressione non sunt petendæ.

Ostia in Italia urbs ad ipsa Tiberis ostia sita non eum, quem postremis Romanæ reipublicæ temporibus habebat, nunc portum habet. Frequentes, ac lutulentæ Tiberis alluviones, quæ nonnullarum Romæ regionum solum a Cæsaris ætate ad hæc usque tempora ad sexdecim, vel septemdecim pedes extulerunt, alterius quoque urbis solum admodum extulisse debent, portum replevisse, oras in mare produxisse, immanesque illuc arenæ cumulos congessisse, quibus ad portum appulsus navibus perdifficilis, aut impervius fieret.

Idem ferme paucis mutatis de Ravenna ad ostia Padi (*a*) in Italia sita, de Aquis mor-

(a) *Quum hæc scriberet Auctor geographicas tabulas non consuluit: Ravenna siquidem pluribus passuum millibus a quibusvis Padi ostiis distat*, Interpres.

tuis ad ostia Rhodani in Occitania, de Foro Julii inter Argenteum fluvium, & ingentes torrentes duos in Provincia; de Agatha urbe ad ostia Erautii, nec procul ab illis Rhodani, ceterisque.

III. Generatim in antiquis maritimis urbibus, quæ procul a magnis fluviis sitæ portus habent non hominum opera excavatos, cujusmodi sunt Janua, Neapolis, Messana, Constantinopolis, Rhodon, Gades, Cartago nova, nihil apparet, quod grave indicium præbeat, maris superficiem magis modo, quam olim, depressam esse. Si vero re ipsa duobus, vel tribus annorum millibus mediterranei superficies subsedit; certe non tanta hæc depressio est, quantam cum Telliamede vellent recentiores nonnulli naturæ studiosi. Si vero quidquid ex eorum observationibus, ac ratiociniis consequitur attendamus, difficile hinc erit ostendere mediterraneum ab Alexandri ætate ad hanc usque *ultra binas, aut ternas hexapedas subsedisse.*

Potest enimvero in mediterraneo hujusmodi depressio accidisse, ut supra explicavimus, & ostendimus (826). At quæso accidit ne? Hoc nullo monumento certo, & indubitato demonstratur.

828. OBSERVATIO II. Feri potest, ut remotissimis temporibus, quorum prophanæ historiæ nullum nobis monumentum reliquerunt, diversæ orbis nostri partes maris aquis successive obrutæ fuerint. Imo vero rem ita accidisse verosimillimum est, ut in nostra telluris theoria, & in philosophia religionis jam monuimus. Nulla enim nota regio est, ne ex maxime quidem a mari dissitis, magisque super ejus superficiem elevatis in qua illustria, & perspicua monumenta nobis non probent, atque testentur, ibi aliquando mare magis, minusve: diuturno tempore extitisse.

At vero absurdum est, ad hoc grande phænomenon explicandum hypothesim adeo fabulosam, ac philosopho indignam auxilio vocare, ut Telliamedis hypothesis est, quam quoque nonnulli recentiores philosophi adhuc sequi videntur.

I. Ut explicetur qua ratione mare regiones nonnullas modice supra ejus superficiem elevatas invaserit, diuque aquis demersas obtexerit; satis est in orbe nostro supponere diversas diversis temporibus centri gravitatis mutationes, quas diversæ quoque causæ naturales pepererint, ut vulcani, & terræmotus; quorum illi immanes subterraneas cavernas aperire, alii litora sejungere, quorum hiatus aditum aquis dare potuit, quo prorumpentes nova maria efficere potuerunt æque lata fortasse, ac Balticum sit, ac mediterraneum.

Ex his nullo miraculo magnæ haberi potuerunt centri gravitatis mutationes in orbe nostro, indeque non exiguæ altitudinis in maris superficie mutationes (826).

II. Ut vero explicetur qua ratione mare regiones quasdam in immensum veluti supra hodiernam ejus superficiem elevatas superaverit, easque diu obtexerit, cujusmodi sunt Peruvia in America, Thibetum in Asia, Helvetia in Europa, Nubia in Africa, ad quas usque altitudines nulla naturæ vi aquæ evehi potuerunt; hoc necessario illi miraculo tribuendum est, cujus sacræ literæ nobis memoriam servaverunt, *universali* nempe *diluvio*; de quo alibi (904).

829. NOTA. Contendit Telliamedes, universale hoc diluvium, cujus memoria, ita diffuse in divinis voluminibus descripta, & eorum auctoritate firmata est, cujus quoque memoria in historicis antiquarum nationum traditionibus obscure saltem viget, contendit, inquam, decem, aut duodecim mensium spatio phænome-

na physica efficere non potuisse, quæ nobis a nostro hoc orbe spectanda exhibentur; exempli causa, tam altas, tamque ingentes montium series extollere, hisque montibus ita constantem, atque ordinatam angulorum salientium, & retrocedentium concordiam; tam ingentes cujusvis speciei testaceorum cumulos in medias vastissimas insulas, & in intimas terras a mari remotissimas congregare.

Porro quum universale diluvium contendat hisce phænomenis edendis impar, hoc ipso fabulosam hypothesim suam promovere studet, dignam illam quidem auctore, qui & male historiam legerit, & male naturam scrutatus fuerit.

830. CONFUTATIO. Ut ea omnia, quæ Telliamedes perperam philosophatus adstruit prorsus diruantur, satis erit animadvertere.

I. Ingentes illas montium series, quas veri naturæ studiosi terræ ipsi coævas semper censuerunt, quasque propterea unanimes montes primigenios, sive *antediluvianos* appellarunt, nunquam a quavis inundatione, quæ nostro orbi obvenerit, efformari potuisse.

II. Patere montes hos primigenios ab eadem ipsa causa, a qua tellus, conditos fuisse; adeoque non ultra inquirendum qua ratione extiterint.

III. Assertam angulorum salientium, & retrocedentium in montibus primigeniis, sive antediluvianis concordiam, phænomenon imaginarium esse, quod nullius theoriæ esse potest.

IV. *Vera illa monumenta*, quæ universalem orbis hujus alluvionem firmissime testantur, facile a brevi diluvio illo, cujus sacræ literæ meminerunt, effici potuisse, & breviori quidem tempore, quam quo miraculosum hoc terræ excidium perduravit, de quo alibi fusius (904). Monumenta autem hæc sunt: montes minores, qui fortuito in ingentibus insulis,

& in

& in intimis terris coagmentati fuisse videntur; quosque naturæ studiosi *montes post diluvianos* appellant: innumeri sinus angulis alternis salientibus, & retrocedentibus secus longas montium series; & immensa corporum marinorum copia in regionibus maxime a mari dissitis.

NATURÆ METAMORPHOSES PER TELLIAMEDEM.

831. OBSERVATIO. Recentiores Deistæ nonnulli, sive materialistæ mites (1040) quum Deum æternum, & increatum admittant, *materiam* quoque *æternam*, *&* *increatam* asserunt; quam Deus hic disponere tantum debet, & animare, & ex illa orbes opacos, seu lucidos condat, vegetabilia, aut animantia, bruta, aut homines.

Hanc eorum systematis partem Telliamedes Indus philosophus amplexus est. Cum illis materiam admittit æternam, & increatam. Hanc ipse pro mentis suæ delirantis libidine in corpora disponit, Deo æterno, & increato curam, & gloriam demens (quod Deistæ, quorum ipse sententiam sequitur, & amplificat non audent) atomos has coordinandi, & animandi, ac naturam visibilem condendi.

832. EXPLICATIO. Ex hac materia orbes opaci, & lucidi per Telliamedem effecti sunt, quibus constat visibile hoc universum. Ast ita effecti sunt, ut nihil in illis sit constanter perseverans. *Perpetuis* in eorum natura *metamorphosibus* obnoxii sunt. Qui modo humentes sunt, & opaci, ut tellus, igniti, & lucidi olim fuerunt, & adhuc aliquando futuri sunt: qui modo ardentes sunt, & lucidi, ut sol, humentes, & opaci aliquando erant. Tellus, planetæ, cometæ, sol, sidera, omnia in natura alter-

ternæ huic inundationis, & combuſtionis viciſſitudini obnoxia ſunt. Exempli cauſa (fig. 2):

I. Olim tellus noſtra, Telliemedes inquit, immenſa aquæ copia TMUARNSB obruta fuit, cui univerſa pars terrea, & ſolida, ceu nucleus centralis, demerſa, & conſepulta erat. Immenſum hoc aquæ volumen ſæculis longe remotiſſimis ſucceſſive imminutum eſt, ut illud quoque per ſæcula imminui videmus, radiorum ſolarium vi, qui aqueas moleculas percutientes eas abripiunt, in atmoſphæram evehunt, indeque in vortices planetarum, cometarum, & ſtellarum transferunt (817, & 820).

Quid inde contigit per Telliamedem? contigit, *nucleum ſolidum*, *&* *centralem noſtri orbis*, perpetua aquarum, quibus undique obruebatur, evaporatione, & imminutione, tandem ab aquis emerſiſſe eminentioribus ſcabræ ſuæ ſuperficiei partibus. Primævæ hæ inſulæ fuerunt, primævæ terræ, quæ primitus totidem veluti erant puncta ab immenſa aquarum ſuperficie erumpentia; quæque ſubinde ſæculorum ſucceſſione protendi, & augeri debuerunt pro ſucceſſiva in univerſo hoc orbe aquarum imminutione.

Quid inde per Telliamedem contingere debet, & re ipſa continget? Continget, tellurem noſtram, quæ jam potiſſimam humoris ſui partem amiſit, quæque in dies magis magiſque exſiccatur, eo tandem adductum iri, ut nihil illius humoris omnino ſuperſit. Quid tunc telluri noſtræ fiet? maribus, fluviis, lacubus, nubibus, vaporibus deſtituta, & denudata ſolis radiis indeſinenter icta, & incandeſcens, tandem incendetur, & fiet *aſtrum ardens:* non amplius erit opaca: fiet globus lucidus, verus ſol.

II. Tellus noſtra ita *in ſolem mutata*, ar-

de-

debit, ignis, & lucis torrentes evomet, donec materiam combustibilem, & inflammabilem continebit.

At quum materia hæc in tellure infinita non sit, & perpetuo ignitione, & irradiatione dissipetur, ita tandem exhauriri debet, ut ejus imminutioni primum hac illac indicia appareant, postea tota telluris superficie diffundantur.

Quid inde? *Sol iste tellus* primum in superficie maculis, ac crustis hac illac consperfus erit; quæ magis magisque in dies auctæ tandem veluti perpetuum integumentum fient totam obtegens orbis antea ardentis, & lucidi superficiem: quare iterum in globum opacum convertetur, in planetam scilicet, aut cometam.

III. En itaque qua ratione per Telliamedem tellus nostra primum est *globus opacus* undequaque aquis obrutus; deinde fit *globus lucidus*, igne, & flammis totus exæstuans; tandem adhuc *globus opacus* partibus omnibus aqueis, & igneis destitutus. Quid igitur in tertio hoc statu telluri continget; quave ratione ex illo emerget?

Crusta hæc, quæ tellurem universam convestiet in tertia hac metamorphosi, spongiæ, aut, si mavis, lapidibus in calcem redactis similis, immunem vaporum copiam ebibet ab aliis opacis orbibus exhalantium, donec illis omnino imbuta, & satura fit.

Hac ratione iterum immensis aquis globus iste obruetur, quibus totum immersum erit. Hæ plurimis volventibus sæculis iterum imminutæ, & tandem radiorum solarium actione exhaustæ terram aridam perpetuis horum radiorum ignibus exponent, quibus iterum incensa tellus, astrum ardens, & lucens, seu novus sol iterum fiet.

IV. Quas *metamorphoses* per Telliamedem subiit,

subiit, & subibit tellus nostra, ut modo explicavimus, easdem quoque ceteri orbes, (planetæ, cometæ, sol ipse, & sidera) subierunt, & subituri sunt; quipropterea modo inter opacos, modo inter lucidos recensentur.

PLANTARUM, ET ANIMALIUM ORIGO PER TELLIAMEDEM.

833. EXPLICATIO. Solida orbis nostri pars innumeris sæculis per Telliamedem, aquis alte demersa fuit; neque toto hoc tempore ullum cacumen, ulla solida illius pars aquis eminebat. At vero tunc tellus minus ne plantis, atque cujusque speciei animantibus abundabat? Nequaquam, ait Telliamedes. Quidquid in arida terræ superficie modo vivit, & vegetat, tunc quoque id omne sub aquis vivebat, & vegetabat. Tunc omnis planta marina erat, omne animal piscis marinus.

I. Et homines, & fœminæ, & respublicæ, & regna, priusquam insulæ, & terræ essent, sub aquis erant. Ibi erant aquilæ, & columbi, ibi leones, & elephantes, ibi quercus, & pomi, ibi omnia priusquam ulla esset ex quatuor mundi partibus, aut regio ulla, in qua modo variæ horum animantium species reperiuntur.

Antequam insulæ essent, & terræ, homines, aves, bruta, totidem species aquaticæ, totidem pisces erant. Species hæ omnes sive rationis participes sive ratione destitutæ in aquis vivebant, alebantur, propagabantur nullo inde emergendi desiderio. Quum vero aquis perpetua evaporatione decrescentibus (820), pars aliqua nuclei solidi, qui illis obruebatur, emersit, species hæ aquaticæ, seu pisces hi, homines, elephantes, tigres, tauri, leones, oves, equi, aquilæ, columbi, lusciniæ, passeres, ceterique, sensim sine sensu necessitate potius

tius ducti, quam voluntate, extra aquas vivere, & in sicco degere consueverunt, aerem, quo ambiebantur, respirare, tandem, ut modo, vitam in terris degere.

II. Per Telliamedem æque, ac per Lucretium homines, bruta, vegetabilia a Deo creatore primitus condita non fuerunt. Fortuitus *molecularum organicarum* concursus, quæ miro ordine aptis receptaculis ingestæ simul coagmentantur, eorum mediis in aquis constitutiva physica disponit: rudis materia virtute vivifica nescio qua illas organis instruit, atque animat (817).

III. Tellus per Telliamedem a Deo creatore primitus condita non fuit, ut neque ab universali diluvio devastata fuit, quod, ut in sacris literis describitur, illi fabula est. Materia tantum, & motus, Telliamedes inquit, Deo nihil agente, insulas, & terras, montes & valles, quidquid demum elegans, aut informe nobis in universo orbe nostro conspiciendum exhibetur, mediis in aquis formarunt.

MOLECULÆ ORGANICÆ PER LUCRETIUM, ET TELLIAMEDEM.

834. OBSERVATIO. *Moleculæ organicæ* (a), quales a Lucretio, & a Telliamede finguntur omnino ab illis diversæ sunt, quas hoc eodem nomine naturæ studiosi, & physici nuncupant, & de quibus in nostra telluris theoria fusius egimus. (Phys. 557., & 558).

Ut moleculas organicas, quales sibi Lucretius, & Telliamedes effingunt, apte concipias: inter organica concipe individuum quodvis, ut lubet

(a) *Etymologia. Molecula organica: particula organis instructa. Molecula, & atomus hic sunt synonima.* (777)

harmoniæ prodigia operatur, illisque animam, & vitam impertitur (795).

Facile quoque intelligis idem esse, sive casus, & rudis materia perfectum animal, & vegetabile efforment; sive fœtum tantum, & germen construant.

TELLIAMEDÆI SYSTEMATIS DELIRIA.

835. OBSERVATIO. Impia Telliamedis inventa a philosopho ne recenseri quidem mererentur, nisi peculiarem veluti impietatis sectam constituerent, quæ assertores, & asseclas habuit, & adhuc fortasse per hos dies habet (776).

I. Inane hoc systema fabulæ innixum, quodque ruit sponte sua, nos hic per partes non impugnabimus. Quid enim in iis confutandis immoremur, quæ & sanæ physicæ, & rectæ rationi ex adverso opposita potius ægri deliriis, quam philosophi cogitantis, & ex observatione loquentis sententiis sunt comparanda? (818, & 820).

Perpetua aquæ ab uno ad alium globum, a terra ad solem, a sole ad sidera, ab his ad planetas, & cometas peregrinatio præclarum sane est Indi philosophi inventum, neque profecto nostra hac ætate expectandum.

Neque minoris faciendæ sunt planetarum & astrorum in orbes alternis opacos, & lucidos metamorphoses. Omnes hæ ne unam quidem ex iis valent, quas Ovidius cecinit; potius quam systemati philosophico, alicui de sagis fabulæ inseri merebantur.

Neque Plantarum, & animantium origo ab Indo philosopho excogitata degenerat. Sapienter sane fecisset, si priusquam de animali, & vegetabili regno philosophari aggrederetur, aliquam primis Anatomes, & historiæ naturalis elementis operam dedisset.

Quo-

tores hos parum philosophos, & parum hæc observare, & investigare suetos, male interrogasse, non accurate observasse, non bene nationum de hac re judicia percepisse. At vero quidquid de his sit:

Certum est, *ideam Dei* naturæ visibilis domini, illa prioris, & ab illa omnino distincti per hos dies omnibus Europæ, atque Asiæ populis, potissimæ etiam Americæ, & Africæ partis, & notarum insularum incolis communem esse; eamque pariter antiquis rebus publicis, & regnis, quorum historiæ memoriam posteris reliquerunt, communem fuisse; undecumque tandem *hac adeo naturæ conformis Dei idea* in hominibus enascatur.

Hoc articulo quæritur, num vera demonstratione, & cujus generis demonstratione probatum sit, *hujus ideæ objectum* re ipsa existere.

837. OBSERVATIO II. Tribus demonstrationum generibus, iisque philosophicis *existentia Dei* firmissime demonstrari potest. Harum notionem genericam tradere opportunum est: aliæ enim a principiis moralibus desumuntur, & *demonstrationes morales* nominantur, aliæ a principiis physicis, & *physicæ* dicuntur, aliæ a metaphysicis, & *metaphysicæ* nuncupantur.

Hæ triplicem articuli divisionem, & tribus sequentibus paragraphis argumenta præbent.

838. NOTA I. Diversa denominatio, quam *tria hæc demonstrationum genera* obtinent a diversis fontibus, ut patet, derivatur, a quibus *medium demonstrationis* desumitur, cui innituntur (682).

I. Non recte itaque de his demonstrationibus sentiremus, si diversam ab iis obtineri certitudinem arbitraremu ; quasi vero demonstrationes morales minorem physicis, & hæ minorem metaphysicis certitudinem facerent.

Certitudo a singulis tribus parta plena est, metaphysica, & mathematicarum demonstrationum cer-

certitudini nihilo inferior. In his enim omnibus, & singulis medium demonstrationis ut verum admissum, atque concessum, æque re ipsa & natura sua cum re demonstranda, Dei scilicet existentia, connexum est (376, & 682).

II. Posito *medio demonstrationis* in his omnibus admisso ut vero, atque concesso, certitudo a singulis parta æqualis est. Si qua vero in earum certitudine sit diversitas, hæc tantum diverso certitudinis medio est tribuenda, quo ceteris facilius percipiatur, minus sit cavillationibus obnoxium, magisque mentem veritatis suæ luce per-cellat.

Hinc facile colliges harum demonstrationum maxime & citissime convincentes fore *physicas*: de his altero paragrapho.

III. In *demonstrationibus moralibus*, & *physicis* tantum nexus necessario intercedens inter datum medium, & rem demonstrandam ostendi solet. In his, inquam, ostenditur, dato medio, quod adversarius verum admittit, quod demonstrandum est, juxta severiora dialecticæ præcepta necessario consequi.

In *demonstrationibus metaphysicis* & medium, quo uti volumus, & ejus cum deducendis connexio, prout res postulat, demonstrari potest.

839. NOTA II. Certum est præpostera philosophandi ratione demonstrationes existentiæ Dei infirmari posse, sive eas non recte proponendo sive incerto gradu procedendo, sive incertas illis hypotheses adnectendo, sive sophismata illis admiscendo, quæ invictas rationes enervent, & vitient. His omnibus tenebræ demonstrationi circumfusæ veritati in apertam lucem erumpendi aditum præcludunt. Exempli gratia:

I. Nonnulli philosophi de Dei existentia agentes primum inquirunt ejus ne ideam re ipsa habeamus: sit ne hæc innata, an factitia. Deinde aliquo pacto rationes, quibus existentia Dei demonstratur, alligant opinioni, quam de ideæ

ideæ Dei natura, & origine amplexi sunt.

Porro præpostera est hæc philosophandi ratio. Hoc est, ut ajunt, quæstionis statum mutare, & certum ab incerto deducere. Perinde faciunt, ac qui ad statuendam Pythagoricam trianguli orthogonii theoriam initium faceret ab inquisitione, habeatur ne, & qua ratione habetur idea trianguli orthogonii: atque ex opinione, quam hac de re, amplectitur, demonstrationes proprietatum trianguli hujus deduceret.

Mihi de substantia immateriali, & intelligente, increata, & creatrice cogitanti æque certum est, Dei me ideam habere, ac mihi certum sit, me trianguli ideam habere, quum figuram concipio tribus rectis lineis terminatam; neque mihi amplius scire opus est, idea ne Dei innata sit, an factitia, ut de ideæ hujus objecto ratiocinia instituam; quemadmodum scire mihi non est opus, sit ne idea trianguli innata, an factitia, ut trianguli proprietates dignoscam.

Nulla itaque inquisitione de harum idearum natura, ambas in me esse certo judicare possum; ambas siquidem in me sentio; utraque, innata sit, aut factitia, *æque* mihi *naturalis est*; & quæcumque earum origo sit, ambæ mihi a natura proveniunt.

II. Deteriori adhuc methodo uterentur, qui existentiæ Dei demonstrationes ab inani demonstratione deducerent; hujusmodi illa est, quam vocant *demonstrationem per ideam*, cujus vitium, & sophisma alibi patefaciemus (911).

Tunc siquidem sophisma rationi, falsum vero colligantes, non modo quidpiam non demonstrant; imo vero dubiam demonstrationem quamvis efficiunt, & omnis certitudinis basim diruunt.

§. I.



§. I.

DEMONSTRTIONES MORALES EXISTENTIÆ DEI.

840. OBSERVATIO. MEdia demonſtrationis, quibus exiſtentiæ Dei demonſtrandæ initium facimus (838), tria ſunt: *exiſtentia legis naturalis* obligatoriæ; Idea *virtutis* non abſurdæ; & *communis* hominum *perſuaſio* de exiſtentia ſupremi alicujus Entis, a quo viſibilis natura primitus condita gubernetur.

I. *Lex naturalis* dicuntur Præcepta quædam obligatoria, a nullo legislatore indicta, mentibus noſtris, & cordibus inſculpta; quæ omnibus hominibus impoſita eorum mores dirigunt, officia invicem ſervanda indicant, & veram imponunt obligationem & mores ita dirigendi, & hæc officia exequendi.

In lege naturali natura *Præconis vices* gerit; Ipſa enim legem hanc promulgat, & ſingulis hominibus in intima conſcientia indicit. Non tamen ipſa *legislatoris munus* gerit: quiſque enim ſenſu intimo novit, naturam ſibi legem, qua captivetur, & adſtringatur, non imponere. Si vero ipſa ſibi legem ſtatuiſſet, illam æque abrogare poſſet; tunc vero lex naturalis, quæ obligatoria ſupponitur, obligatoria amplius non eſſet, quum ipſius naturæ ſanctioni inniteretur.

Lex hæc naturalis in ordine ad Deum, a quo eſt, conſiderata, eſt *actus* ille *immanens* divinæ intelligentiæ, & voluntatis, qui quid a creatura intelligente, & libera faciendum, quid vitandum ſit indicit, & obligationem non auferendam inducit quæ præcipiuntur exequendi, quæ vetantur omittendi.

Eadem hæc lex naturalis in homine, cui indici-

dicitur, considerata, est *natura lumen a creatore immissum*, quod homini quid tum in moribus, tum in societate faciendum, quid cavendum sit enunciat.

II. *Leges nationales* dicuntur constitutiones quædam generales, quibus natio quæque in politicis, & in civilibus regitur, quæque nationis illius hominibus singulis strictam earum præceptis atque sanctionibus obsequendi obligationem inducunt.

Leges nationales ab humana legislatione pendent; non ita naturalis. Illæ siquidem ideo sunt, quia ab humana legislatione latæ fuerunt; & cessabunt quoties quæ auctoritas illas tulit, illas quoque rescindet, & abrogabit.

III. *Virtus* in genere morum dicitur firma officiis adhæsio. Itaque virtutis idea, officia, & obligationes exequendas necessario supponit, atque involvit.

IV. *Communis hominum persuasio* dicitur mentis assensus potissimæ hominum partis alicui notæ veritati, quo unanimes de quibusdam rebus judicant, ac sentiunt.

V. *Forum internum* est tribunal naturale in animæ intimo erectum, ad quod actiones nostræ ut rectæ, aut pravæ, ut licitæ, aut illicitæ a judice irrecusabili, a *cujusque conscientia* scilicet, judicantur.

Conscientia in ordine morali est illa *secreta naturæ, & rationis vox*, quæ nos monet quæ in quovis vitæ eventu facienda, quæ cavenda sint; quæ nos damnat, aut absolvit: quæ nobis nos ipsos aut reos exhibet, aut innocentes, ut ejus monita sequuti fuimus, aut sequi recusavimus.

VARIÆ ATHEISMI DE LEGE NATURALI SENTENTIÆ.

841. OBSERVATIO. Ut apte dignoscamus solidæ quam sint demonstrationes, quas proferre per-

gimus innixas & *legi naturali* obligatoriæ, & virtuti nec ſtolidæ, neque abſurdæ; notandum eſt in duas veluti ſectas atheiſmum diſtribui, quarum altera ſuis principiis ſtans, at morum philoſophia deteſtanda, nullam naturalem legem admittit, nec ullo modo vitium a virtute diſtinguit; altera vero a ſuis principiis recedens, ſed morum præceptis proba legem naturalem admittit, & vitium inter, virtutemque diſcrimen ſtatuit. Binæ illæ demonſtrationes contra utramque atheorum ſectam non æque valent.

I. Athei quidam ſunt, qui libere, ſeu palam, ſeu clam, pronunciant, legem naturalem purum putum eſſe vulgare præjudicium: fraudem, furtum, perjurium, inceſtum, calumniam, proditionem, homicidium, & reliqua hujuſmodi inania nomina eſſe, quibus politica, aut inſcitia chimęricam criminis ideam adſcripſerunt: juſtitiam, probitatem, beneficentiam, amicitiam, rectitudinem, fidelitatem, clementiam, honeſtatem, ſinceritatem, ceteraque hujuſmodi ipſa quoque inania nomina eſſe, quibus politica, & inſcitia chimæricam virtutis ideam adjecerunt. Re ipſa in hominum actionibus neque crimina, neque virtutes eſſe; hæc omnia motus locales tantum eſſe moralitatis omnis expertes: omnia licere cuicumque ſuo commodo agenti, & nihil ab aliorum oculis, aut viribus timenti.

Contra hos atheos binas a nobis inſtituendas demonſtrationes non valere ſatis patet; neque enim hi ut verum admittunt principium, ſeu *medium demonſtrationis*, a quo veritas ſtatuenda, Dei ſcilicet exiſtentia, deduci debet. (842, & 851).

Binæ itaque hæ demonſtrationes contra hos atheos hoc unum obtinent, ut eos cogant ſuam morum philoſophiam diffamare, ut dialecticam tueantur; & prorſus ejurare principia omnium animis a natura inſculpta, & a ratione approbata,

bata, ut *necessarium nexum* eludant inter hæc principia, & Dei existentiam evidenter intercedentem. Porro hoc ipsum est indirecta, & principiorum, quæ rejiciunt, & existentiæ Dei his principiis evidenter connexæ demonstratio.

II. Alii athei sunt, qui nulla tergiversatione *legem naturalem obligatoriam* admittunt, a qua sincere fatentur universum humanum genus obstringi in ipso quoque animæ foro interno; atque ab hujus legis sacræ semper, & sancte servandæ transgressione crimina procedere, ut ex ejus observantia virtutes procedunt.

Hæc altera itaque atheorum secta *legem naturalem* existere fatetur, quæ officia quædam sacra, & inviolabilia semper, & ubique omnibus hominibus in foro interno, & externo injungit; quæ semper, & ubique obligatoria est, quæ veram, & indubiam distinctionem statuit inter licitum, & illicitum, inter honestum, & inhonestum, inter virtutem, & vitia; juxta quam, ratione *facultatis suæ obligatoriæ* ad conscientiæ tribunal omnes hominum actiones num honestę aut inhonestæ, num virtuti, aut vitio conformes sunt judicandæ. In his naturæ, & rationi auscultant.

At enimvero quare, quave ratione lex ista ita obligatoria sit, si nullus sit legislator qui eam tulerit, quique illam servari præcipiat? Hic atheis hæret aqua; hic omnis eorum obtunditur impia sagacitas. Post enim viginti, aut triginta sæcula, post omnes ingenii conatus nihil athei non absurdum protulerunt, quo *obligandi proprietatem*, conscientiam adstringendi, discrimen inter vitium, & virtutem statuendi in lege naturali demonstrarent.

Hos atheos a binis nostris demonstrationibus magis directe oppugnari satis patet: admittunt enim ut certum, & inconcussum principium illud, seu medium, quo utraque demonstratio innititur, quodque existentiæ Dei manifeste connexum est.

PROPOSITIO I.

842. Datur *lex naturalis*, sacra, inviolabilis, omnium hominum mentibus, & cordibus insculpta vetans, & reprobans quidquid injustum, & inhonestum est, quædam justa, & honesta præcipiens; a nullo hominum consensu, nec ab ulla eorum voluntate pendens; quæque abolitis etiam, & abrogatis humanis omnibus legibus vigeret adhuc, & obligaret.

Ergo existit in natura supremus Legislator omnibus legislatoribus prior, & major, qui huic legi vim indit perseveranter obligatoriam. Ergo existit Deus.

DEMONSTRATIO. Ut hæc propositio, quæ maximi momenti est, quæque & naturalis theologiæ, & universæ morum philosophiæ basis est omni rigore demonstretur, satis erit ostendere, legem hanc dari, ejusque obligandi vim ab hominibus non pendere; ita vero esse non posse, quin Deus existat. Hoc brevi, & paucis ostendere facile est.

I. Ponamus, legislatores omnes humanos, unanimi tum ipsorum, tum populorum omnium consensu, & libera voluntate leges quascumque ad hunc usque diem latas tollere, & abrogare. In hac hypothesi patet, *adhuc fore vetitum*, alios fallere, mentiri, aliorum bona invadere, innocentem calumniari, imbellem opprimere, necare, male habere, aliis nocere; tum *adhuc fore præceptum* justitiam sequi, veracem esse, parentibus obsequi, filios diligere, stare promissis, miseris in urgenti necessitate opitulari.

Ergo lex existit omnibus humanis legibus prior, lex a nullis humanis sanctionibus, atque statutis pendens: lex ab aliqua invisibili potentia lata jus habente, & dominum, & servum obstringere: lex sancta, & sacra, quæ si religiose servetur, piis ineffabilem animi jucun-

cunditatem parit tunc quoque, quum in ea servanda incommoda, & labores ferendi sint; quæ si infringatur, impios conscientiæ stimulis agitat, atque urget, tunc quoque, quum sibi nihil ab hominibus violata lege timendum esse certo sciunt.

Evidens ergo est cuicumque oculos claræ luci claudere recusanti, hominibus legem naturalem latam esse, *eamque nulla hominum sanctione existere, & obligare*; ut concordi voce natura, & ratio conclamant.

II. At vero lex ista naturalis ita ne existere potest, & *perpetuam obligandi vim* habere, quin supremus aliquis, & invisibilis Legislator existat omnibus humanis legislatoribus anterior illisque major, a quo legi primitus data hæc vis fuerit, illique perpetuo servetur semper, & ubique obligandi? Evidens sane est, ita esse non posse.

Tolle enim a natura supremum hunc legislatorem, cui & potestas, & voluntas fuerit me diversis sanctionibus, & morum præceptis servandis obstringendi, quæ in me ipso insculpta sentio.

Jam eo ipso *præcepta ista morum*, *sanctiones istæ animæ insculptæ*, nullam in me majorem auctoritatem me obstringendi jus habent, quam habeant veteres Gepidorum, & Vandalorum leges, atque sanctiones, seu recentiores Caffrorum, & Hottentotorum.

Tunc hæc morum præcepta, sanctiones hæ mihi ad summum consilii loco erunt, nunquam legis. Tunc ab omni lege obligatoria exemptus & in omnibus affectionibus, & cupiditatibus liber nullam aliam præter impiam *fortioris legem* agnosco. Ad omnia jus habeo in quemcumque, qui me viribus minus valet: utilitas, & voluptas unice me in vita regunt.

Omnia tunc mihi licent: æque tunc, mihi licet & aliena bona furari, & amicum eneca-

re, si mihi utile sit, ac liceat aquam e fluvio haurire ad extinguendam sitim, aut culicem me pungentem manu conterere.

Horrenda hæc sunt, atque execranda, a quibus natura, & ratio abhorrent; quæ tamen necessario, & evidenter consequuntur a quavis hypothesi, quæ aut Deum in natura non admittit, aut Deos admittit tantum inertes, nihilque in natura agentes.

Itaque si datur *lex naturalis obligatoria*, evidens est, existere supremum legislatorem ceteris humanis omnibus legislatoribus priorem, majoremque, qui legem hanc cordibus nostris insculpsit, & eam inviolabiliter servari præcipit. Atqui supremus hic legislator omnibus prior, ac major alius ne ab eo esse potest, quem Deum vocamus? ergo quem Deum dicimus existit; ergo existit Deus. Q. E. D.

843. *In adulto, qui plenam rationis ætatem attigit, & perfecte illa utitur, sive barbarus sit, sive moribus excultus, non datur primorum legis naturalis principiorum ignorantia invincibilis.*

DEMONSTRATIO. Lex naturalis, ut modo adnotavimus, & ut intimo sensu noscimus, certis, & indelebilibus notis animæ nostræ insculpta est. Quare fieri unquam nequit, ut ejus principia, & præcepta præcipua ab homine libere, & perfecte ratione utente penitus ignorentur.

Præjudicia, criminum consuetudo, effrænatarum cupiditatum perturbatio, & tumultus poterunt quidem in quorundam depravatis animis intimam hanc naturæ vocem infirmare, languidam illam, minus intelligibilem, confusam reddere, atque in iis, quæ minus immediate ab ipsa consequuntur, pervertere.

At neque præjudicia, neque pravæ consuetudines, neque effrænes cupiditates, neque hæc omnia simul illam in anima perfecte ratione uten-

ntente prorsus extinguere unquam poterunt. Ad hoc enim hic ipse rationis usus, quo anima perfecte pollere supponitur, ab anima tollendus esset, imo natura ipsa immutanda, in qua indelebilibus notis lex isthæc insculpa est, quæque eam nobis edicere, ejusque præcipua præcepta iterare nunquam cessat. Q. E. D.

844. NOTA. *Ignorantia invincibilis* dicitur ignorantia, seu cognitionis defectus, qui nulla mentis attentione, nulloque libertatis usu tolli potest. *Ignorantia vincibilis* est ignorantia, seu defectus cognitionis, qui opportuna mentis attentione, & prudenti libertatis usu a legislatore præcepto tolli potest.

Evidens est, ignorantiam invincibilem nunquam reatum censeri posse, neque reatus caussam; ratio enim, & religio unanimes docent, neminem ad id, quod fieri nequit, teneri.

At æque evidens est, ignorantiam vincibilem non modo a peccato non excusare, imo ipsam sæpius novum peccatum esse; ratio enim & religio unanimes docent, quemvis ad ea, ad quæ tenetur, pro viribus cognoscenda, ut ipsa exequatur, obligari.

CHIMÆRICÆ ORIGINES AB ATHEISMO LEGI NATURALI ATTRIBUTÆ.

845. OBSERVATIO. Omni ætate *Lex naturalis* maximam atheismo speculandi causam præbuit; ipsa siquidem & præcipuum credendorum fundamentum est, quod diruere nititur, & machinarum validissima, a qua oppugnatur. Quare quem lapidem non movit Atheismus ab Epicurri ætate ad hunc usque diem, ut aliqua veritatis specie legi huic *fabulosam originem* tribueret, qua in suspicionem caderet origo illa cælestis, a qua tam manifeste procedit?

At eruditi homines, sapientesque credent ne, omnes Democriti, Epicurri, Dicæarchi, Lu-

cretii, Macchiavelli, Spinosæ, Hobbesii, Covvardi, Collini, eorumque interpretum conatus post tot impias meditationes tot sæculis nihil aliud tandem nisi ineptias quatuor de legis naturalis origine partim inter se distinctas, partim simul complexas protulisse?

Quidquid enim ab atheismo, ut hujus legis origo aliunde esse probaretur, quam a Deo hominum creatore, & legislatore, excogitatum, aut productum fuit, tandem est; legem hanc originem duxisse per aliquos *ab intima natura constitutione*, per alios *a politica, & prajudiciis*, per alios *a communi societatis utilitate*, per alios tandem *a tacita hominum conventione*. En quid tot studia, tot profundæ meditationes tandem pepererint.

846. EXPLICATIO I. Per nonnullos atheos *lex naturalis in hominibus ab intrinseca eorum constitutione originem duxit.*

Intima constitutione, & physicis organis homines, ajunt hi athei, nascuntur dispositi ad has, vel illas ideas habendas, ad hæc, vel illa judicia, ad has vel illas propensiones; ea prorsus ratione, qua bruta intima constitutione, & physicis organis disposita enascuntur ad proprium instinctum habendum; canis, exempli gratia, ad instinctum feras insequendi; mus ad instinctum a fele fugiendi; ursus ad instinctum, quo solitarius vivat, perdix, ut gregatim.

Quare si ab his atheis petas, qua ratione tam mire consentiant homines in iisdem morum principiis admittendis, in rebus quibusdam, ut virtutes, honore afficiendis, aliis vero, ut crimina, detestandis;

Dicent, consensum hunc ab internæ constitutionis, & organorum physicorum similitudine oriri, qua res ubique eodem modo percipiunt; si vero ulterius procedant, addent, concordiam hanc *propensionis quam ad societatem ha-*

habent homines, effectum esse; quæ sine tacita, aut expressa conventione quasdam res ut virtutes, quasdam alias ut crimina habendi, obtineri nequit. Hæc illi.

CONFUTATIO. At evidens est, hujusmodi explicationem ne hilum quidem partem illam phenomeni attingere, quæ potissimum, & ferme unice explicanda erat; *quare* scilicet, *& qua ratione lex ista naturalis obligatoria sit*. Quidquid enim sive idearum, sive principiorum hæc explicatio continet, nullo prorsus modo ostendit, legem hac origine in homine statutam posse illi fieri obligatoriam.

Quare vitiosa omnino, & antiphilosophica est hæc explicatio; non modo quia plura inania, & absurda ingerit iis, quæ explicat; sed etiam quia nihil eorum explicat, quæ potissimum erant explicanda.

Si materialistarum opera attente perpendas, invenies illa ab initio ad calcem hoc vitio laborare.

847. EXPLICATIO II. Per alios atheos *Lex naturalis a politica, & prajudiciis in hominibus orta est.*

Suprema hominum *lex*, illa *fortioris* scilicet, ajunt hi athei, primitus hinc alios dominos fecit, hinc alios servos. Tunc callida politica imperiosæ violentiæ sociata jura, officia debita, obligationes ibi excogitavit, ubi nec jura erant, nec officia debita, nec obligationes; justum illa ab injusto, licitum ab illicito, meum quod nuncupant, & tuum re ipsa distingui statuit, quæ re ipsa nulla hujusmodi distinctione secernebantur; virtutes excogitavit & crimina, quum re ipsa neque crimina, neque virtutes essent: Deos tonantes effinxit, qui insontes tuerentur, reos plecterent; quum neque quipiam insontes essent, neque rei, neque Dii ulli, qui ista curarent.

Potens inanibus hisce somniis se fidem adhi-

bere simulavit, quippe quæ auctoritatem suam solida, & immota basi firmabant. Dives quoque: his enim bona sua in tuto locabat. Pauper, & servus ista pariter credere simularunt, terror enim minis incussus animos illis adimebat, & silentium indicebat.

Credulitas hæc ficta primum, ac simulata paulatim legislationis, & imperii basis effecta est, omnibus tum politicis, tum religiosis sanctionibus sese immiscuit, vires veluti ab origine recedens, & a parentibus ad filios traducta acquisivit; tum temporum successu, & consuetudine in dies firmior facta, veluti naturæ speciem induit, & universalis persuasio effecta est.

Hinc leges nationales ortum habuere; hinc *lex* ipsa *naturalis*; quæ nec olim fuit, nec est modo nisi quod magis receptum est, magisque in nationalibus legibus commune. Porro legem naturalem ita ortam volunt hi athei, ita illam explicant.

CONFUTATIO. At enimvero hæc explicatio & naturæ ipsi, & rationis lumini consentanea dicenda erit; an potius, & naturæ, & rationis ipsius lumini e diametro adversari?

Quid enim vetat, si hujusmodi physiologia, ac dialectica utar, me pari ingenii acumine, parique soliditate dicere; metaphysicæ ', geometriæ, ut philosophiæ morum, principia, a politicæ artibus, & a præjudiciis originem duxisse? quid vetat, exempli gratia, me dicere, olim bina, & bina non fecisse quatuor, olim partem toto minorem non fuisse, sed calidam politicam præpotenti violentiæ conjunctam nullo jure, sed vi voluisse, bina prædia hinc, bina illinc esse quatuor prædia, partem hereditatis tota hereditate minorem esse; tum successu temporum arbitrarium hunc res sumendi modum, inanem licet, invaluisse tamen, & sensim sine sensu hominum animis insedisse, se eorum ideis, ac judiciis insinuasse, tandem in

in eorum veluti naturam mutatum communem de rebus judicandi rationem effectum fuisse?"

Durum est atheis, se in has angustias conjici, & ad has insanias cogi confugere, ut suam sententiam tueantur; at adhuc durius illis est, concessis etiam deliriis omnibus, quæ ut principia assumunt, nihilo se magis in explicatione, quam afferre conantur, progressos esse. Præcipuum enim, quod explicandum est, & quo non explicato, cetera omnia inania sunt, est quare, quave ratione, si Deus non sit, qui hominum res curet, & mores regat, *lex ista naturalis sit re ipsa obligatoria*; seu quare, quave ratione malam in se, & detestandam efficiat actionem perduellis, qui magni lucri spe patriam prodit, latronis, qui viatorem enecat, ut ejus spolia rapiat, parricidæ, qui patri venenum propinat, ut citius hæreditatem ineat, aliaque hujusmodi. Hæc non explicare est aerem verberare, nihil explicare.

848. NOTA. At inquies, *nonne satis erit si atheus explicet qua ratione lex hæc naturalis obligatoria videatur, quin re ipsa obligatoria sit?*

Dico primum, neminem adhuc protulisse, neminem unquam explicationem prolaturum duabus hisce congruentem; neque (a) natura siquidem, neque a ratione principium ullum haberi potest oppositum vocibus, quibus concordes, & vehementer ad nos clamant natura, & ratio, legem naturalem scilicet obligatoriam esse, sacram semper, atque inviolabilem.

Dico deinde inter eos, qui sese student atheos fieri, paucissimos esse, & fore animo ita depravato, ita perverso, ac detestando, qui in dubium revocent, *obliget ne lex naturalis*: ut vero aliquantulum naturæ, & rationi impium hoc systema conciliaretur, demonstrandum fore, non jam legem naturalem non obligare; sed qua ratione obligare possit, non supposita

Dei exiſtentia. Niſi hoc præſtent pro atheiſmo incaſſum laborant.

849. EXPLICATIO III. Per nonnullos atheos *lex naturalis a communi ſocietatum utilitate originem ducit.*

Non vis, non fraus, ajunt hi, at ſapientia, at libertas, at publicæ felicitatis ſtudium, at communis omnium hominum utilitas primis legibus ortum dedit. Hac naturali *ad ſocietatem propenſione*, quam veluti homini inhærentem, & neceſſario ab ipſa hominis conſtitutione, atque intimis organis provenientem cenſere poſſumus, hominibus ſocialis vita neceſſaria eſt, æque ac potus, cibus, & ſomnus ſit.

Quoniam vero humana ſocietas ſtare nequit, niſi homines in *quibuſdam principiis* conſentiant, quibus eorum opiniones concordes fiant, & niſi *quaſdam ſanctiones* ſive conſtitutiones ſtatuant, quibus eorum actiones dirigantur; unanimes ſtatuerunt, publica commendatione celebrandas eſſe actiones quaſdam, quæ & ſocietati, & ſingulis utiles futuræ viſæ ſunt, atque has inſignire voluerunt nominibus fortitudinis, prudentiæ, probitatis, beneficentiæ, largitatis, munificentiæ, grati animi, fidelitatis, decoris, temperantiæ; contra vero publico odio afficiendas ſtatuerunt actiones alias, quas ſocietatis, & ſingulorum felicitati magis alias, alias minus noxias arbitrati ſunt, eaſque vocarunt ignaviam, injuſtitiam, perfidiam, avaritiam, ingrati animi vitium, ſimulationem, proditionem, latrocinium, homicidium. Unanimes ſtatuerunt communi ſocietatis bono, ſingulos homines ad nonnulla facienda teneri, ab aliis omnes abſtinere debere, neminemque aut illa omittere, aut hæc perpetrare poſſe, quin omnibus injuriam faciat, & omnium odium, ac deteſtationem mereatur.

Hinc politicæ primordia; hinc prima vitii, & virtutis diſtinctio; hinc primæ leges natio-

na-

nales; hinc *lex* ipsa *naturalis*; quæ re ipsa nihil aliud est, nisi quidquid sapientius, communius, utilius reperitur & in primis politicæ principiis, & in primis legibus nationalibus, & in prima virtutum, & vitiorum distinctione. En tibi quænam per hos atheos sit legis naturalis origo.

CONFUTATIO. Explicatio hæc fabulosa magis, quam philosophica duo præcipua, ut binæ præcedentes, vitia continet, quæ proclive est in apertum proferre; universum enim rerum ordinem invertit, & legem naturalem destruit origine ipsa, quam illi tribuit.

I. Ante quamvis hominum consensionem, ante inquisitionem quamvis eorum, quæ hominum generi utilia, aut noxia esse possint; naturæ auctor singulorum animæ sacram, atque inviolabilem *legem* insculpsit, *naturalem* scilicet, quæ jubet esse justos, veridicos, beneficos, quæ mentiri vetat, fidem fallere, aliena rapere, aliis nocere.

In ordine morali lex ista naturalis sapienti, ac benefica naturæ auctoris providentia ad commune humanarum societatum bonum est ordinata; at vero non commune harum societatum bonum hanc legem protulit. Ita in ordine physico ad universi bonum, & harmoniam confert *lex universalis gravitationis*; non tamen universi bonum, & harmonia legem gravitationis universalis naturæ peperit.

II. At vero supponamus nullam aliam legis naturalis originem esse, quam quæ illi ab his atheis tribuitur.

In hac hypothesi, quid mihi, & ceteris, imo & iis qui ejus occasio fuerunt, eamque sacramento servare spoponderunt, erit lex ista naturalis? inane nomen erit, re vacuum; neque enim quempiam obligandi vim habebit. Quare enim, quave ratione me, puta, obligare poterit?

Po-

Poterit, inquient fortasse; propterea quia lex est universalis humanæ societatis, cujus ego pars sum. Belle quidem; ast hæc pura est *petitio principii* (738). Qua enim ratione probabunt, me ad universalem humanæ societatis legem servandam teneri, cujus ego pars sum, si nullus supremus Legislator mihi hanc obligationem imponit?

Reponent ne, obligationem hanc a me ipso mihi esse impositam; quum siquidem in ceterorum societate vivam, aut re ipsa, aut tacite me mihi onus imposuisse legem hanc servandi, quæ omnium humanarum societatum fundamentum est? Adhuc perbelle; attamen hæc quoque vera est *petitio principii*. Qua enim ratione mihi probabunt, me teneri promissis stare, quæcumque sint, quum nullus supremus legislator mihi hoc onus imponat?

850. EXPLICATIO IV. Per exiguum atheorum numerum *lex naturalis apud homines fundata est in pacto tacito inter ipsos inito*, quo sibi invicem veluti jurejurando promiserunt, se hanc legem in omnibus sequuturos ut normam, ad quam quisque actiones suas conformaret.

Ratione pacti hujus taciti, inquiunt, lex naturalis semper, & ubique est obligatoria, etsi nullus Deus existat, a quo vim hanc habeat obligandi:

Exempli gratia, pactum tacitum initum erat inter Carolum Quintum Hispaniæ regem, & Atabalippam Peruviæ Incam sese invicem solio non depellendi; & ratione tantum pacti hujus taciti Carolus quintus Peruviam invadens rem fecit illicitam, atque injustam.

Unica hæc atheorum secta est, quæ legi naturali veram, & permanentem obligandi vim adscribat, quæque huic facultati fundamentum invenire studuerit.

CONFUTATIO. Hæc atheorum secta etsi in morum philosophia minus improba, non tamen

men ceteris magis valet in metaphysica, & dialectica; quidquid enim hic profert, & falsa suppositione innititur, & inepta petitione principii.

I. *Falsa suppositio* est pactum tacitum, quod me inter, & Marochii regem, exempli gratia, initum supponitur, quo nos ita tacite invicem spopondimus, quando, aut quomodo ignoro, alterum alteri damnum non illaturos necessitate, aut ratione non suadente; nobis invicem opem in urgenti necessitate laturos; & in omnibus id, quod dicunt legem naturalem, tamquam agendi normam, secuturos.

II. *Petitio principii* eadem est, quam modo supra deteximus. Petitur quippe principium, quum dicitur, pactum hoc tacitum per se obligare ad legem naturalem servandam, quæ hoc ipso obligatoria fiat, nullo supremo legislatore hanc obligandi vim illi tribuente; & quum probatum supponitur quod probandum esset, pactum hoc tacitum scilicet posse per se obligare, nullo supremo legislatore illud obligatorium reddente.

PROPOSITIO II.

851. Virtutis, & criminis idea non est quid chimæricum ab animi imbecillitate, aut ab illusione prognatum, a præjudiciis, & a rationis abusu confirmatum. Brevi: *crimen* non est nomen inane. *Virtus* non est stultitia, aut insania.

Ergo existit supremus natura nostra dominus, qui essentiale, & inalienabile jus habet, affectiones nostras captivandi, facultates anima nostra circumscribendi, actiones nostras dirigendi, libertati nostra omnino imperandi: dominus infinite purus, infinite sanctus, qui crimen odit, & abominatur; cui virtus grata, & accepta est;

est; qui illud vetat, atque proscribit, qui hanc amat, & præcipit. Ergo existit Deus.

DEMONSTRATIO. Ut summa evidentia constet, quare in hypothesi, quod Deus non existeret, stultitia, & insania esset ad virtutis normam vitæ rationem instituere; & quare in eadem hypothesi qui virtutem nullo pacto sequeretur, ille solus sapiens, & prudens esset; satis erit tantum & virtutis, & criminis, & sapientiæ notiones proponere, atque perpendere.

EXPLICATIO I. *Virtus* fere semper, ut bene novimus, aliquid arduum est, quod aggredimur, aut desideriis, & affectibus nostris obsistentes, aut vitæ commoda a nobis abdicantes, ut Deo placeamus, aut alios juvemus.

Hinc sequitur, virtutis exercitium esse semper actuum arduorum, & naturæ incommodorum seriem; illi siquidem ita agentes obsistimus, & vim inferimus. Porro, nisi Deus existat, omnia hæc ardua, quæ superamus, omnia hæc molesta, quæ perferimus, relata ad ipsum, frustra, & inaniter a nobis fiunt, & perferuntur; at æque frustra, & inaniter, si ad homines referantur; sive quia fieri vix potest, ut illi morale horum actuum meritum probe cognoscant, & recta lance perpendant, sive invidia, sive animi levitate, sive ingrati animi vitio, sive alia depravatione iniqui, & injusti; quin si illos æquos, etiam, rectosque supponamus, & virtutis meritum apprime cognoscentes, (quod in hominibus perrarum esset), nihil pretiosum habent, quo rependant.

Quæ quum ita sint, si virtutem sequi vera sapientia est, hæc non erit, nisi si existat Deus, qui a nobis & voluntatis nostræ sacrificia sibi oblata, & hominibus officia in ejus obsequium præstita exigendi jus habeat; qui & naturæ nostræ vehementiores affectiones ut coerceamus a nobis jure præcipiat, & libertati nostræ leges imponendi jus habeat.

EX-

EXPLICATIO II. *Vitium* ut hominis actio consideratum, & ut ordinis moralis violatio, semper est injuria aut Deo, aut hominibus illata, ut nobis ipsis, cupiditatibus nostris scilicet, aut commodis obsecundemus.

Hinc porro sequitur, vitiosos actus, atque vitii consuetudinem fere semper a perceptionum earum illecebris derivari, quas ratio ejurare & contra quas conscientia insurgere potest; quas tamen natura libentissime sequitur, spe quidem sæpius frustrata, semper tamen sperans se in iis, quæ appetit, nequaquam deceptum iri.

Enimvero, si Deus in natura non existit, quid in se improbabit homo vitio deditus, criminibusque sordescens? nihil. Deum negligens, ut suis cupiditatibus obsecundet, nihil negliget, nemini injuriam inferet; hominibus damna, & molesta pariens, nihil aget, quo illi jure dolere possint, aut conqueri.

EXPLICATIO III. *Sapientia* est in eo sita, ut res apte percipiantur, & ut vitæ ratio principiis, præceptisque rerum naturæ congruentibus dirigatur. Contra vero stultitia, aut fatuitas in eo sita est, ut res præpostere percipiantur, & vitæ ratio rerum naturæ consona non habeatur. Age vero: Si Deus non existeret, quis *vere sapiens* esset, homo virtuti, an vitio deditus? Certe hic postremus.

Si enim non existit Deus supremus dominus, ac legislator, cui liberas hominis facultates dirigendi, & coercendi jus sit, patet tunc has hominis facultates sola natura limitari, ac circumscribi; easque illimitatum jus habere, ut in id omne ferantur, quod eas allicit, ut id omne proterant, atque evertant, quod ipsis obsistit, ut sibi, suis commodis, suis libidinibus omnia, quæ possunt, subjiciant. Tunc patet cuique hominum nullum aliud bonum, vel malum fore, nisi physicum, & unicum cujusque

que hominis finem, quo existit, tunc fore bonum illud assequi, malum hoc præcavere.

Quamobrem in hac hypothesi patet, *unicam tunc singulis hominibus vitæ, & morum rationem* fore sapientiæ, & rationi consonam; eamque in eo positam esse, ut detestanda proprii commodi lex, cum æque detestanda fortioris lege apte componatur; ut in omnibus, & ubique tantum quod placet, quod juvat, quod delectat assequi quisque studeat, nulla arte, nulla vi non adhibita, quum ex his nulla vetita sit, & aliorum damna, & detrimenta quævis nihili habendo.

Ergo in hac hypothesi vera insania est ad asperas virtutis inanis leges vitæ, & morum rationem instituere, quum illa nomen re vacuum sit; & veras voluptates, & vera commoda chimæris mente tantum confictis postponere.

Ergo in hac hypothesi ii tantum exosi, & omnium diris devoti homines sapientes erunt, & recta ratione utentes, qui virtute, vitioque contemptis, conscientiæ stimulis neglectis, omni arte, ac studio, & quovis ceterorum damno, ac detrimento suis cupidinibus obsecundantes, voluptates, & commoda sua tantum quærunt. Si Deus non est, pari eloquentia, ac philosophico acumine, ait civis Genevensis, solus improbus recte ratiocinatur.

CONCLUSIO. Evidens ergo est, si Deus in natura non est, fatuum, ac stultum esse, qui sese ullo virtutis principio regi sinit, quique ullo vitii, aut criminis metu a quoquam abstinet.

Atqui hæc consequentia horrenda nimis est, ac detestanda, ac propterea evidenter falsa; ergo hypothesis quoque, a qua fluit, & cui connexa est, evidenter falsa est. Ergo manifeste absurdum est supponere, nullum existere supremum naturæ dominum, ac legislatorem.

Ergo evidenter verum est, *supremum dominum*,

num, *ac legislatorem* in natura existere, a quo virtus præcipitur; sentimus enim illam nobis præcipi, & a nemine, nisi ab ipso nobis præcipi posse, a quo crimen prohibetur; sentimus enim, prohiberi crimen, & ab ipso tantum prohiberi posse. At vero supremus hic dominus, ac legislator alius ne esse potest ab eo, quem Deum dicimus? ergo quem Deum dicimus existit. Ergo Deus existit. Q. E. D.

852. NOTA. *Lex naturalis*, ut jam monuimus, molestissimum, atque infensissimum atheis argumentum est. Si enim legem naturalem admittunt, quæ vere lex, & obligatoria sit, necessario supremum Legislatorem admittere coguntur, a quo lex ista obligandi vim habeat. Si vero legem naturalem, quæ vere lex, & obligatoria sit, non admittunt; necessario ut vera admittere coguntur principia omnium maxime falsa, absurda, ac detestanda; cujusmodi sunt, nullum re ipsa inter justum, & injustum, inter honestum, & inhonestum dari discrimen; virtutis principiis, & rationibus duci stultitiam esse, & fatuitatem, neque magis criminis reum esse parricidam, qui patrem, aut filium jugulat, ac venator sit, qui coturnicem, aut perdicem interficit.

I. Inanes conatus, quibus athei insudarunt, ut demonstrationis a naturæ lege desumptæ vim eluderent, satis indicant, non e re facturos theologos, ac philosophos, si *medium hoc demonstrationis* desererent; hoc enim omnium captui accommodatur; & si recte adhibeatur, conclusionem parit æque certam, atque evidentem, ac quævis ex Euclidæis esse possit. Exempli causa.

Sint hæ duæ propositiones conditionales. „ Si existit lex naturalis obligatoria, existit „ Deus. Si existit triangulum rectilineum, habet tres angulos, qui simul duobus rectis „ æquivalent ".

In-

Ingenue fatebimur, in his duabus conditionalibus primum consequens nobis æque certum, atque evidens videri, ac alterum videatur (712).

II. Deismus, qui *legem naturalem obligatoriam* admittit, negat vero pœnas paratas illam infringentibus, aut præmia illam servantibus, non in iisdem cum Atheismo angustiis est, quum agitur de proprietate *obligatoria* in hac lege statuenda. Deismus enim *Deum legislatorem* fatetur, qui in sua legislatione tunc etiam observantiæ exigendæ jus haberet, quum nec pœnas refractariis intentaret, nec præmia obedientibus promitteret. Deista Deo justitiam aufert, non supremam auctoritatem.

Quare in hypothesi atheismi Virtus stultitia, & fatuitas esset; sibi etenim gravis, & molesta esset, ut chimæricæ legi nullam obligandi vim habenti obtemperaret.

At non item in hypothesi Deismi virtus stultitia esset, & fatuitas, (ut sæpius quidam magis enthusiastæ, quam philosophi pronunciarunt. Neque enim æternus Legislator jus amitteret leges obligatorias ferendi, etsi, si fieri posset, justus non esset iis, quibus leges istæ sacræ, & inviolabiles indicuntur.

COMMUNIS HOMINUM PERSUASIO DE ALICUJUS INVISIBILIS DIVINITATIS EXISTENTIA.

Hic ostendemus primo, hanc universalem hominum persuasionem esse *phænomenon certum & indubitatum*: deinde, hoc *phænomenon maxime simplex esse, & naturæ conforme*; tertio hoc phænomenon *validam esse probationem existentiæ Dei*. Ex his duæ procedent sequentes observationes, quibus alia generica propositio innititur.

853. OBSERVATIO I. *Hanc in hominibus com-*

communem persuasionem dari, minime dubium est ; ipsa siquidem ab omnium gentium annalibus confirmatur .

Semper, & ubique, apud antiquas, recentioresque nationes , apud barbaras æque , ac apud excultas , apud idolorum cultrices , & idola non colentes communis hæc in omnibus hominibus invaluit persuasio ; in natura visibili aliquam esse *invisibilem Potentiam*, cujuscumque naturæ sit, cujus oculus omnia videt, cujus brachium ad omnia extenditur , quæ res mundi hujus curat, quæ hominibus benefacere, iisque mala immittere potest ; quæ eorum virtutes, & vitia adnotat , quæ probos benevolentia prosequitur, improbos odio, cujus amorem, patrocinium, beneficentiam sibi conciliare possunt religiosis donis, sacrificiis, cultu , cujus ultrix justitia aliquando religiosa reorum, quibus pœnas minitatur , pœnitentia placari potest ; a qua nemo reus , quum punire vult , sese eripere potest.

I. Certum est primo apud veteres nationes omnes Græcis, & Romanis notas hanc persuasionem viguisse. Hoc nobis monumenta omnia historica , quæ antiquitatis supersunt, plane testantur.

Testis esto Marcus Tullius, qui notat, nullam nationem esse , a qua Deus aliquis non colatur, barbaras quoque, etsi divinitatis ideam deforment , tamen Deum aliquem esse fateri. *Nulla est gens tam fera , tam barbara , quæ etsi ignoret qualem Deum habere debeat , tamen habendum non sciat : nemo tam immanis , cujus mentem non imbuerit Divinitatis opinio. Multi de Diis prava sentiunt : id enim vitioso more effici solet ; omnes tamen esse vim, & naturam divinam arbitrantur.*

Testis esto Plutarchus philosophus , qui urbes, pagosque inveniri posse ait, in quibus nec leges, nec artes sint, quæ vix domos habeant;

in quibus Deus aliquis non colatur, nullam inveniri. *Peregrinantibus multas continget occurrere urbes sine musis, sine studiis literarum, sine legibus, sine auri, & argenti usu: quibus ignota sint theatra, & gymnastica exercitationes; quibus etiam nulla sint domus, sed tuguria: nusquam autem stat urbs, aut oppidum, quibus nullus sit Deus.*

II. Certum deinde, universalem hanc persuasionem apud omnes gentes quatuor mundi patium incolas, quas ratione commercii novimus, hac ætate vigere; exempli gratia, apud omnes Europæ nationes, quæ omnes aut Christi, aut Mahumetis religionem profitentur & quarum æque præcipuum dogma est, Deum unum esse; apud omnes excultas Americæ nationes, quæ aut Christum colunt, aut principibus Christum colentibus subditæ sunt; apud magnas omnes Asiæ nationes a mari Baltico ad mare Kamschatka, a mari glaciali ad Arabicum sinum, & ad Oceanum Indicum, quæ omnes aut Christianæ sunt, aut Judææ, aut Mahumetis, aut Bramhæ, aut Confucii legem sequuntur; apud omnes Africæ nationes, quæ alicujus momenti sint, quibus aut Christi, aut Judæorum, aut Mahumetis religiones, quæ ubique ad maris litora, tum etiam plurimum in intimis terris magnæ illius peninsulæ dominantur, Deum supremum, & unicum, increatum, & creatorem annunciarunt.

Pleræque ingentes nationes hujus orbis incolæ falsas sibi effinxerunt divinitatis ideas, illi quædam attribuerunt, aut illi inesse putaverunt, quæ ejusnaturæ, sive existendi, sive agendi modo, ullo unquam pacto convenire possunt. At vero inter has nulla per hos dies est, ne ex illis quidem, quæ idola colunt, quæ plane divinitatem aliquam supremam non agnoscat, cui ceteri minores Dii subsint, quæque illis quoque dominetur (870).

III.

III. Si quoque verum esset, quod peregrinantes nonnulli nimia fortasse credulitate testantur, barbaras quasdam nationes, parvas illas, quidem, atque efferatas hoc & superiore sæculo inventas esse, in quibus nullum esset hujus persuasionis vestigium; non proinde persuasio hæc, quam probavimus, *universalis hominum persuasio* esse desineret; quum enim de moralibus quæstio est, minima universalis exceptio, nihilo æqualis habenda est; & parva barbarorum hebetum turma universo humano generi comparata infinite minimo æqualis censenda est.

854. OBSERVATIO II. *Universalis hujus persuasionis origo* nihil habet arduum, aut intellectu difficile, quodve dubitationem excitare possit, an re ipsa detur, ut ex universa veteri, ac recentiori historia probatum est. Quid enim opus fuit, ut persuasio hæc oriretur, & invalesceret apud varias orbis hujus nationes? satis fuit, ut aliquando in singulis *homo nasceretur natura ad observandum, & cogitandum compositus*, (quorum innumeri quavis ætate, & in quibusvis gentibus nasci potuerunt), qui & res, & ea, quæ a rebus illustriora procedunt, perpenderet; qui a principio manifeste vero quæ manifeste consequuntur colligeret; qui a phænomeno plane certo aliquid huic phænomeno evidenter connexum deduceret.

I. Ponamus, exempli gratia, alicubi nationem esse non omnino feram, & stupidam, in qua nondum persuasio hæc orta sit. Quid opus erit, ut persuasio hæc in illa oriatur, & invalescat? satis erit si in ipsa sit homo aliquis illi similis, quem descripsimus, observans, & de observatis cogitans, cui aliquod ex illustrioribus naturæ phænomenis, (quod maxime obvium est,) spectandum occurrat, puta *pulcherrimus ordo* in universi orbis partibus elucens, aut *lex* ista *naturalis*, quæ omnium hominum animis insculpta est.

Hic

Hic mirum hunc ordinem in universa natura elucentem intuens, & speculatus, judicet, sortuito casu, tam eleganter, tam ordinate res a se disponi non potuisse; & audeat suspicari, aliquam in natura *invisibilem intelligentiam* esse, quæ hanc pulcherrimam rerum omnium dispositionem mente conceperit; aliquam *invisibilem Potentiam*, quæ ad hunc prototypum omnia disposuerit.

Hic ipse legem hanc naturalem animadvertens omnium animis impressam, eamque semper, & ubique vim obligandi habere concipiens, quam vim a nulla re visibili obtinere potest; suspicetur, aliquem esse in natura *invisibilem legislatorem*, a quo lex ista hominum animis insculpta fuerit, & vim acceperit humanos legislatores ipsos obstringendi, quin unquam tolli, aut abrogari possit.

III. Postea hic observator ceteros convocans quæ cogitavit, quæque suspicatur illis communicet, rationesque addat, quibus in hanc suspicionem adductus est. Mirabuntur illi, ac obstupescent, modo recta ratione utantur, nova hac veritatis luce perculsi: cito hominis hujus suspicio, seu potius insignis isthæc detecta veritas per omnium ora volitabit, atque in ommium animis radices aget; præsertim quum illam omnes adeo rationi consentaneam inveniant, ut animus illam percepisse, atque novisse gaudeat; & præterea mirandum in modum illam deprehendant universæ tum intelligenti, tum intellectu carenti naturæ congruentem, ut ejus ordo tum physicus, tum moralis per ipsam solam explicetur.

Ex qua ratione in hac, & in quavis alia natione & idea *Entis supremi*, cui universa visibilis natura subsit, oriri possit; & *communis persuasio*, Ens istud in visibili natura re ipsa existere; sive hujus ideæ, & persuasionis objectum re ipsa existat, sive non existat.

PRO-

PROPOSITIO III.

855. Si *communi hominum persuasioni* stare velimus, in visibili universo aliqua invisibilis Potentia existit, quæ naturæ dominatur; a qua commoda, & adversa proveniunt, quam colere, & revereri debemus. *Ergo hæc potentia existit. Ergo Deus existit.*

DEMONSTRATIO. Non semper communis aliqua persuasio certa rei probatio est. Quare ostendendum modo est, persuasionem, de qua quæstio, certam facere divinæ existentiæ probationem.

I. Certum est primo, persuasionem hanc universo hominum generi insidere non potuisse, nisi eorum naturæ, & rationis, seu potius eorum, quæ naturæ, & rationis fundamenta sunt, & ab his inseparabilia, influxu, & ministerio. Secus, qua ratione per omnes ætates, & ubique gentium communis hæc persuasio oriri, propagari, firmari potuisset? præsertim quum gentes tam moribus, natura, voluntate, sententiis diversæ sint; quæ ferme infinitæ varietates a stirpium, a cæli, a legum, ab educationis, a vitæ rationis diversitate enascuntur; atque hoc inter perpetuas opinionum, voluntatum, morum, ambitus, cultus vicissitudines, quas in hominibus universis & rerum ipsarum instabilis fluxus, & naturæ ipsius & rationis quoque in aliquibus volubilitas simul conjunctæ pepererunt.

Qua igitur ratione communis hæc hominum persuasio perpetuo stetit? suadente eorum voce, quæ *concordia*, *&* *immutabilia* in hominum natura, & ratione sunt.

Natura omni ætate, & ubique gentium hominibus edixit, aliquam *invisibilem potentiam* esse, quæ rebus omnibus præsit: vocem hanc hominum ratio confirmavit: hominum genus

his vocibus auscultavit, & ab his vocibus in hominibus orta est persuasio.

II. Certum quoque videtur *unanimem hanc atque constantem* naturæ, & rationis vocem fallacem esse non posse, nequeea suadere, quæ falsa, inania, a præjudiciis exorta sint.

Si enim unanimem, atque constantem naturæ vocem erroris, falsorum judiciorum, falsarumque persuasionum fontem hominibus esse posse dicamus; quodnam illis tutum supererit veritatis criterium, quo verum a falso, certum ab incerto secernant? Profecto evidens est, aut nihil in humanis cognitionibus certum esse: aut hoc certum esse, unanimem scilicet, constantemque naturæ, & rationis vocem universim, & perseveranter humanum genus non decipere.

Quid itaque unanimis ista naturæ, & rationis vox, quam mendacem dicere nefas est, quæque objecti sui veritati manifesto connexa apparet, quid, inquam, hominibus omni ætate, & ubique gentium enunciavit? In natura *invisibilem potentiam* esse, a qua regitur, a qua prospera, & adversa procedunt, quam colere, & revereri oportet. Ergo potentia hæc re ipsa in natura existit.

Atqui quid, nisi id, quod Deum dicimus, ista potentia sit? hoc ergo in natura datur; ergo in natura existit Deus. Q. E. D.

856. NOTA. Postrema propositio a nobis statuta fortasse alicui non satis firma demonstratione munita in ordine morali censebitur; *medium* enim *demonstrationis*, cui innititur, communis scilicet hominum persuasio, non omnibus fortasse videri poterit satis nota, & concessa, ut inconcussa inde demonstratio deduci possit.

Lex naturalis, fortassequis inquiet, medium demonstrationis est passim notum, atque concessum, unicuique enim in animæ intimo impres-

pressum inest; ab hoc igitur tamquam certo principio exordiri tuto possumus, ut Deum existere directe demonstremus.

Idea quoque *virtutis, & vitii* medium demonstrationis est passim notum, concessum omnium animis insculptum, a quo pariter tamquam principio certo Dei existentia indirecte deduci potest.

At communis hominum persuasio, quæ animis non inest, quæ ab historia satis imperfecte colligitur, satis ne certa est, ut verum demonstrationis medium esse possit? Ita dubitanti respondeo.

Ne quæramus modo, num statuta propositio certam demonstrationem præbeat sive absolutam, sive hypotheticam. Hoc omisso, confidenter pronunciamus, medium hoc demonstrationis *phænomenon maxime attendendum* in ordine morali nobis visum esse, quum aliqua ratione nobis a natura ipsa oblatum sit, ut philosophice illo utamur ad Dei existentiam illustri, & valido ratiocinio comprobandam. Quod quum totis viribus præstare conati simus; quam vim sive absolutam, sive hypotheticam inde hauserit probatio nostra, aliis judicandi provinciam relinquemus.

OBJECTIONES REFELLENDÆ.

Ut demonstrationem legi naturali innixam atheus eludat, diversas æque inanes origines illi affingere cogitur. Ut demonstrationem a vitii, & virtutis idea deductam eludat, eo adigitur, ut dicat, hanc ideam omnino factitiam, & arbitrariam esse; quod enim nos vitium dicimus, aliæ gentes, aut aliæ ætates, nulla naturæ, aut rationis offensione, virtutem vocare poterunt. Tandem ut probationem eludat a communi hominum persuasione de Dei exi-

stentia desumptam, contendit, hoc medium æque unius Dei, ac plurium deorum existentiam probare. Age vero singula perpendamus.

FONTES A QUIBUS LEX NATURALIS PROVENIRE POTEST.

857. OBJECTIO I. Lex naturalis aut a natura nostra provenire potest, quæ ita comparata sit; aut a principum politica, qui hanc legem excogitarunt, ut ipsi suam auctoritatem & populi disciplinam superstruerent, aut ab aliqua hominum conventione, qui societatem instituere volentes, eamque sine legibus stare non posse sentientes, hanc sibi ipsi tulerunt, mutua eam servandi sponsione, sive a communi aliquo præjudicio, quod a primis hominum parentibus admissum, ab his in filios, ac nepotes ad nos usque traductum sit. Ergo lex naturalis cum Dei existentia necessario non connectitur. Ergo lex naturalis haberi potest, quin Deus existat.

858. RESPONSIO I. Supra jam diximus, inane quidpiam concipi, si lex naturalis non obligatoria concipiatur, nullumque ex fontibus fabulosis hic illi perperam adscriptis posse illam facere obligatoriam (845).

I. Lex naturalis in nobis ipsis, atque in animæ intimo insculpta est. At quum evidens sit, naturam nostram se ipsam non formasse, evidens quoque est sese ipsam cum hac lege non condidisse, sive se hanc legem in animæ nostræ intimo non insculpsisse.

II. Natura humana sibi relicta nullam sibi legem, qua obstringatur ponere potest. Si vero ipsa sibi hanc legem imposuisset, evidens est, qua ratione eam ferre potuit, eadem ipsam, quum libuerit, tollere posse, & abrogare; ut supra monuimus.

Quoniam lex ista in natura nostra existit, eam-

eamque prorsus obstringit; necesse profecto est, eam ab aliqua *invisibili Potentia* latam esse, cui natura nostra subjecta sit, ipsumque naturæ auctorem ipsius quoque auctorem esse. Natura legis hujus præco est, non origo.

859. RESPONSIO II. Principes hac naturæ lege uti sane potuerunt ad propriam, & ad subditorum utilitatem.

At principes medium hoc in natura *præexistens* invenerunt, non illud in natura ipsi crearunt. Ita quoque sæpius humani animi affectus ad fines suos assequendos adhibuerunt, non tamen hos in hominum animis procrearunt; sed existentibus jam, & inventis usi sunt.

860. RESPONSIO III. Certum est omnes homines hac lege naturæ obstringi.

At quid hanc legis hujus servandæ in hominibus universis obligationem statuit? non sane sanctiones ullæ arbitrariæ, quas ipsi ediderint, & quas libertate sua utentes ipsi obligatorias leges esse voluerint; sed *sanctiones necessariæ*, quas ipsi suis animis impressas, & præexistentes invenerunt, quasque unicuique anima ipsa illis obligatorias esse significavit ante quancumque eorum conventionem, & antequam de utilitate tum reipublicæ, tum singulis inde sequutura quidquam cogitassent.

I. Humanæ naturæ auctor homines condens, quos socialem vitam vivere destinabat, iis legem tulit communem, & obligatoriam, quæ omnia recto ordini subjiciens tum commune, tum privatum bonum intendit; & cujusvis animæ munus esse voluit legem hanc sibi, & suo nomine indicere, eamque semper & ubique sacram, atque intemeratam habere.

Hinc vero in omnibus tum antiquis, tum recentioribus nationibus excultis æque, ac barbaris *una, eademque natura lex*, ejusque magis minusve explicita cognitio eluxit, & viguit.

II. At vero, si Deus non est, ut impie contendunt athei, qui supremus Dominus, ac legislator jus habuerit, & adhuc habeat hominum voluntates obligandi, quare quivis homo communi huic legi tenebitur?

Reponent, ratione *propriæ utilitatis*, quæ hanc legem esse, & vigere postulat. Ergo propria cujusque utilitate cessante, lex quoque cessabit; non erit ergo lex illi, cui utilitatem non pariet. Lex ergo ista universalis nec pauperem obstringet, qui sine patrimonio natus propriam utilitatem in divisione bonorum facta antequam nasceretur non inveniet; nec divitem, qui fundos augere finitimorum detrimento sibi utile fore sentiet. Quum itaque propria cujusque utilitas unica lex sit, id unum uterque eniti debet, alter, ut bona, quæ non habet, sibi compareret, alter ut quæ habet amplificet, & hoc cujuscumque detrimento; nec metus, aut animæ stimuli curari jam debebunt, quibus insanum vulgus agitatur legem inanem violando sola propria utilitate fundatam, quæque evanescit, quum a propria cujusque utilitate amplius non sustinetur.

861. RESPONSIO IV. Qui ab *universali præjudicio* ortam velit universalem naturæ legem, satis indicat, se nunquam præjudiciorum originem, progressum, & effectus attente perpendisse.

Quis quæso ratione sua recte utens falsum præjudicium dicat communem omnium hominum persuasionem, quæ nunquam neque a sensuum, neque a cupiditatum illusione ulla nasci potuit, quæque unanimi, & immutata naturæ, & rationis voce roboratur? Qua jam ratione veritatem homines noscent, si unanimis naturæ, & rationis vox mendax sit?

Communi hac omnium hominum persuasione in visibili natura *invisibilis Legislator* existit, cujus infinite sancta, infiniteque timenda aucto-

auctoritas sacras sanctiones servari praecipit, quae cordibus nostris insculptae desideria, & affectuum nostrorum illecebras saepius cohibent, atque alligant. Falsum ne praejudicium dici poterit hujusmodi persuasio, quae a primis humani generis parentibus universae posteritati transmissa fuit? Evidens est, talem esse non posse. Siquidem,

I. Scimus primo, falsa praejudicia omnia aut a sensuum, aut a cupiditatum illusione in hominibus oriri.

Atqui omnino patet, hujusmodi persuasionem neque a sensibus oriri posse, qui objectum insensibile nequeunt semper, & ubique male percepisse; neque a cupiditatibus, quae nunquam homines adducere potuerunt, ut legem statuerent, aut supponerent, qua ipsae coercentur, & castigantur, & invisibilem Legislatorem infinite sapientem, sanctumque, cujus vel sola cogitatione terresiunt.

II. Scimus quoque, falsa praejudicia sensim sine sensu infirmari, & destrui, tum rerum inconstantia, tum diversis res inspiciendi modis, qui diversis aetatibus varii sunt; tempore scilicet, & animadversione. Atqui haec duo non modo hanc in hominibus persuasionem non infirmarunt, imo potius roborarunt. Non ergo falsum praejudicium est hujus persuasionis origo.

III. Primi humani generis parentes intimam hanc ipsi quoque vocem audierunt, qua monentur homines, existere legem naturalem, eamque obligatoriam; homines enim erant; & lex ista ubique naturae nostrae insculpta est. Lex ista ab ipsis cognita filiis vel in ipsa infantia annuciata fuit; hi vero quum jam aetate firmiori rerum rationem investigare coeperunt, hanc ipsam legem, quam a parentibus esse audierant, sibi ipsis insculptam invenerunt. Ita per progenies legis hujus cognitio traducta est.

Si vanum præjudicium est legis naturalis obligatoriæ persuasio propterea quia a parentibus, & magistris eam dari didicimus; vanum quoque præjudicium erit tenere, totius partem toto minorem esse, & duo tertio æqualia inter se quoque æqualia esse: hæc siquidem a prima ætate a magistris, & parentibus edocti fuimus.

QUA RATIONE, ET IN QUIBUS LEX NATURALIS IMMUTATA FUERIT.

862. OBJECTIO II. Si re ipsa animis lex naturalis morum directrix insculpta esset aut a natura, aut a naturæ auctore, posset ne vitii, & virtutis idea ita arbitraria, & varia in hominibus esse? possent ne eædem actiones honestæ, & probæ a quibusdam gentibus haberi, ab aliis turpes, & detestandæ? attamen quam varia hac de re judicia a veteri, recentiorique gentium historia colligimus?

Veteres Galliæ, Colchidis, Palestinæ populi pie, & religiose se agere putabant suis falsis diis humanas victimas immolantes. Homicidium, imo parricidium ipsum religiosum opus habitum fuit.

Hac nostra ætate quidam Americæ, novæ Zelandiæ, novi Belgii populi nullo conscientiæ stimulo homines jugulant, ut eorum sanguinem bibant, & carnibus vescantur: imo quoque parentes in senium devexos jugulant, ut eorum carnibus cum amicis epulentur.

Veteres Romani ceterum honesti vitiis quibusdam nefandis non erubescebant. In aliquibus Thraciæ, atque Indorum regionibus quidam œstro correpti homines sanctimonia insignes habentur, qui Parisiis aut igni traderentur, aut stultorum domicilio includerentur.

RESPONSIO. Certum est hominibus legem naturalem latam esse, cujus *principia* ubique ea-

eadem sunt, & omnium animis immutabiliter insculpta.

At æque certum est, legem hanc ipsam ita universalem, ubique uniformem, ubique in principiis suis immutabilem, ut omnes historiæ testantur, horrendum in modum & consequentiis, & applicatione deformatam fuisse; & homines, quum hac unica lege ducuntur, facile moribus, & religione a recto tramite declinare.

Ex hisce duobus, quæ certa sunt, evidenter sequitur, ut in nostra philosophia religionis fusius ostendimus, legem naturalem vere primam esse homini morum magistram; at in perfecta divinæ providentiæ in homines œconomia, *legem hanc non unicam esse morum directricem*, nec unicam facem, cujus lumine mentes hominum illustrentur ad mores recte instituendos.

Ut singulis hujus objectionis partibus aliqua methodo respondeamus, illam ad tres quæstiones adducemus. Sunt ne in lege naturali quædam immutata principia, in quibus omnes homines consentiant? Si hæc principia sunt, quare omni ætate lex ista in consequentiis, & applicatione tam turpiter deformata fuit? Itane certum est, ut quidam recentiores philosophi contendunt, virtutis, & vitii ideam arbitrariam esse, ac variabilem?

863. QUÆSTIO I. *Sunt ne in lege naturali quædam veluti principia certa, & immutabilia, de quibus omnes homines consentiant?*

RESPONSIO. Ut firmum, omnibusque obvium huic morali problemati fundamentum jaciamus, fingamus, *œcumenicum veluti universi humani generis concilium* coram nobis cogi; quo omnium gentium veterum, ac recentiorum, cultarum, ac barbararum legati convenerint, & libere sententiam ferant.

Hisce congregatis assurgat quispiam, & im-

mani voce, quæ ab omnibus exaudiri possit, & intima pervadere, ab omnibus quærat; sit ne gens ulla, quæ licere censeat, aut censuerit unquam, nulla reatus nota *alteri nihil contra molienti nocere*; aut alicui urgente necessitate præsto *opem*, quam facile ferre possis, *recusare*; aut *parentes injuria afficere*, quos natura observantia prosequendos suadet, aut *filium inedia, & infirmitate languentem negligere*, quem natura diligendum suadet; aut *beneficia, nullo grati animi indicio rependere*, aut *aliena rapere* nullo ad illa jure, aut *promissis non stare*, quum natura isthæc sancte servanda doceat?

Quid ad hæc universi humani generis legati? mirabuntur omnes, indignabuntur, feroci silentio, ac torvis oculis quæstionis auctorem intuebuntur, hisce signis veluti ab eo & ipsi petentes, qua ratione unquam suspicari potuerit, in terris gentem ullam esse morum institutione feris ipsis deteriorem?

Sunt ergo in naturæ lege quædam veluti e-jus immota principia, quæ nationes omnes & sacra, ac servanda, sive cultæ illæ fuerint, sive barbaræ, semper suspexerunt. Porro principia hæc iis, inter cetera, opposita sunt, quę hactenus ab omnibus gentibus rejici, & exe-crari demonstravimus.

II. Si hæc ab omnibus admissa *legis naturalis principia*, non recte servata, imo ubique violata fuerunt, hæ legis infractiones semper conscientiæ improbatio, & stimuli comitantur. Quare violationes hæ non modo incertam, aut dubiam legem hanc non faciunt; imo vero in illa perpetuo jus probant homines suis edictis obstringendi; nunquam enim homo ab his recedere potest, quin intimis conscientiæ objurgationibus, ac stimulis obnoxius sit.

III. Inter hæc precipua legis principia ab omnibus admissa, unum est quo cetera omnia

emi-

eminenter, aut virtute contineri videntur, quodque propterea veluti primum sacræ hujus legis principium haberi poterit, hoc scilicet: *semper alteri fac, quod tu ab illo jure exigere posse putares, si tu ejus loco esses, ille tuo.*

Alterius hominis statum semper attendere debeo, quo me cogitatione locem, ut recte semper judicem quid illi debeam: si me tantum attendo, nimis parum a me pro illo petam; si illum tantum, nimis a me petam; si illum, & me simul attendo, mentis, & cordis rectitudo semper indicabunt, quid pro illo a me postulent sacra jura, & nunquam abroganda hominis, fratris, filii, parentis.

864. QUÆSTIO II. *Si certa, & inconcussa in natura lege principia sunt, quibus causis lex hac in consequentiis, & applicationibus omni ætate turpiter deformata fuit?*

RESPONSIO. Quæ causæ ita legem hanc deturparunt ad tres præcipuas adduci possunt; & hæ sunt, pravæ cupiditates, prava exempla, falsæ rerum ideæ.

165. EXPLICATIO I. Prima in legis naturalis consequentiis & applicationibus corruptiosis causa *pravæ cupiditates* fuerunt.

Initio temporum, & omnibus ætatibus, nostra hac quoque ætate quosdam lex naturalis limines statuit liciti, & illiciti, justi, & injusti, honesti, & inhonesti, qui humanis cupiditatibus non satis arridebant, puta voluptatis, avaritiæ, ambitionis cupiditatibus.

Hæ tunc coarctatę, atque hisce angustiis obseptæ, & indociles hęc fræna pati olim fecerunt, quod modo faciunt; aut legem eludere, aut illam perperam interpretari, aut falsas a primis legis principiis consequutiones deducere studuerunt.

Avarus, voluptuosus, ambitiosus omni arte, omique studio efficere conati sunt, ut suarum cupiditatum obstaculo ipso magis exardentium objecta, quæ a lege vetita censebantur, tamen

licita, honesta, permissa essent, aut viderentur: juxta nimis notum, nimisque receptum adagium: *Sanctum est quod volumus.*

At vero, ut objectum a lege vetitum, avaro, voluptuoso, ambitioso licitum, & honestum videretur, necessario in his a prava cupiditate ratio decipienda, aut obcæcanda erat; consuetudo inducenda erat res aliena specie intuendi; & ratione jam decepta, & connivente lex naturalis deformanda, falsis ab ea deductis consequentiis, eaque perperam rebus accommodata.

Itaque cupiditates humanæ, jugum non ferentes primæ, si naturam ipsam spectemus, caussæ fuerunt, quibus naturæ lex deformari, ac corrumpi cœpit.

866. EXPLICATIO II. Altera in legis naturalis consequentiis, & applicationibus corruptionis caussa fuerunt *prava exempla.*

I. A prima humanarum societatum origine, *audaces grassatores* extiterunt, qui rapinis onusti, & sanguine fœdi, honore, & commendatione excipiebantur, & victores appellabantur.

Tunc vero ideæ injustitiæ, necis, rapinæ, aliorumque a naturæ lege omni anathemate proscriptorum, in hisce grassatoribus omni laude cumulatis sese jungentes ideis fortitudinis, auctoritatis, potentiæ, aliorumque hominem maxime allicientium, speciem mutare visæ sunt, & odium tollere, quod natura in earum objecta concitabat.

II. Apud plurimas nationes Dii, & Deæ extiterunt omnibus vitiis sordescentes, & hæc eadem suadentes; quæ numina thure, aris, victimis colebantur.

Tunc horum vitiorum ideæ, quæ Diis hisce aut historia, aut fabula tribuebat, sese ideis inanis hujus divinitatis permiscentes, id omne exuere visæ sunt, quod in illis turpe, atque impium esse sacra naturæ vox conclamabat.

III. In regnis omnibus semper republica vitio-

dosioribus *regum vitia quæcumque* assentatores aulici commendabant, atque imitabantur; hos eorum quoque assentatores commendabant, & sequebantur. Tunc vero idea vitii intima conscientia expostulante, veluti evanuit, & auctoritatis, potentiæ, gratiæ, hilaris vitæ speciem induit.

Inter tot, tantaque, quæ universim contra naturæ legem, corruptis hominum moribus, conjurarunt, non sane mirum illam aliquanto immutatam fuisse; mirum magis non omnino extinctam, & abolitam fuisse.

867. EXPLICATIO III. Tertia corruptionis causa in legis naturalis consequentiis, & applicationibus fuerunt *falsa nonnulla rerum idea*. Exempli gratia.

I. *Falsa* in hominibus *religionis idea* ortæ sunt. Hinc fanatici furor, nullo animi horrore humanas victimas falsis numinibus immolantis.

Incertis iste fanaticus naturæ, & rationis vocibus monitus *invisibilem divinitatem* in natura existere, cui cultus maxime religiosus, & maxime augusta sacrificia debentur; ideam hanc & persuasionem pervertens, stulte arbitratus est, si hominem, si concivem, si filium ipsum immolaret, se quid majus, quid excellentius, quid religione dignum magis oblaturum, quam si arietem, aut taurum Diis offerret; ac proinde homicidium, & parricidium ipsum, etsi ab universali naturæ lege vetitum, tamen sacrum, ac licitum fieri ratione religionis, aut numinum, quorum cultu perpetrabatur.

II. *Falsas* quoque homines habuerunt *perfectionis ideas*. Ab his in insanos, fortasse etiam in turpes errores adacti sunt enthusiastæ nonnulli Brahmæ, & Mahumetis asseclę; addam quoque nonnulli Christianorum nomine insigniti.

Hi omnes persuasione ducti, Deum dignum esse,

esse, cui maxima quæque, & perfectissima offerantur, atque hujusmodi illa esse, quæ naturæ maxime ardua, ac difficilia; Enthusiastæ hac idea, atque hac persuasione perperam interpretata decepti, plura sibi facienda statuerunt superstitiosa, & absona; quorum quædam & naturam ipsam, & rationem depravare possunt, dum utramque ad perfectionis apicem evehere videntur.

III. *Falsa* in hominibus fuerunt *honoris ideæ*. Hinc veterum, recentiorumque bellatorum quorundam exortus error, qui sibi persuadere student, homicidium crimine carere, quum ad barbaras quasdam honoris leges a Gothis inventas barbaris ignorantiæ, & erroris temporibus, perpetratur; quibus tamen legibus, & naturæ, & nationum, & religionis leges opponuntur.

IV. *Falsas juris ideas* homines habuerunt aut a falsis principiis ortas, quæ ut vera temere assumpserunt, aut a principiis veris, a quibus falsa deduxerunt.

Inde tot principum errores, tot reipublicæ administratorum, tot theologorum, qui tot cruenta bella aut indixerunt, aut suaserunt, aut probarunt, tot injusta facinora, violenta, atque hostilia, ut inania quædam jura aut tuerentur, aut amissa sibi iterum vindicarent.

Inde tot barbarorum errores, qui aut in adustis Africæ desertis, aut in palustribus Americæ silvis ferocientes se posse putant jure belli eos jugulare, aut servituti addicere, quos in pugna capiunt.

Inde nonnullorum Romanorum Pontificum error, qui *adulterinis quibusdam Decretalibus* misere decepti se regum, atque nationum, bona fide puto, arbitros crediderunt; unde tot bella inter Christianos exarserunt, ut inane

hoc

hoc jus, & evangelio minime consentaneum tuerentur. (*a*).

V. *Falsas pietatis in parentes ideas* homines habuerunt. Hinc, si vera narrantur, Antropophagorum error, qui natura non horrescente parentes jugulant, ut iis vescantur.

Naturæ legis principia eadem apud omnes gentes sunt, sive excultæ illæ sint, sive barbaræ; at quæ ex iis magis, minusve remota deducuntur, mirum in modum varia esse possunt pro diversa mentium rectitudine, ac præjudiciis. Exempli causa: in moralibus axioma est tam ab excultis, quam a barbaris nationibus admissum; *parentes jus habere, ut eos filii reverentia, & amore prosequantur*.

Quid ab hoc axiomate inferunt *exculta mentis homines*? Filios honesto loco natos, quum parentes ægra valetudine, aut senectute laborantes vident, eos debere amore prosequi, juvare, solari, si molesti sint patienter ferre, donec extremum diem obierint, vita functis quoque obsequio non deesse, sed eorum exuvias decenti, & religioso funere ut tumulentur curare.

Quid ab eodem axiomate inferunt *antropophagi*, de quibus sermo? Parentibus vitam in extrema senectute, non nisi gravem, molestam miseram, atque exosam esse (certe etiam in barbaris ætas illa ægritudine, & molestiis abundare debet); quare filiorum munus esse, parentes a tot erumnis liberare præmaturo interitu, qui illis beneficii loco erit, eorum vero reliquias nullo digniori tumulo condi posse, quam filiorum, & amicorum sinu; hoc itaque sepulcro condendos esse, ut post obitum etiam in eorum substantiam convertantur, quos magis dum viverent dilexerunt.

Hinc

(a) *Joan.* 18. ℣. 36. *Matth.* 22. ℣. 20. *Rom.* 13. ℣. 1. *Petr.* I. *cap.* 2. ℣. 18.

Hinc vides, qua ratione ab eodem legis naturalis principio, pro diverso rationis gradu diversa admodum deducantur; & qui fieri possit, ut verissima, & ubique eadem sint hæc principia, licet diversis omnino modis rebus applicentur.

868. QUÆSTIO III. *Certum ne est, vitii & virtutis ideam ita variam, atque arbitrariam esse, ut nonnulli recentiores philosophi contenderunt?*

RESPONSIO. Sane naturæ lex diversis temporibus fœde deformata fuit, etsi non in principiis, saltem in consequentiis, & applicationibus ab innumeris tum antiquarum, tum proximiorum ætatum nationibus. Hoc testantur impia sacrificia, nefariæ prostitutiones, dira morum præcepta veterum ethnicorum; tum quoque scelera his similia, quibus sordescunt barbaræ nationes Africæ, Asiæ, Americæ, & insularum veterem, & novum orbem interjacentium.

At vero ab his omnibus ita ne deformata fuit hæc lex, ut in dubium revocaretur ejus existentia, ut suspicio excitaretur, non easdem, magis, vel minus claras, ab hominibus haberi *notiones boni, & mali moralis*, æqui, & iniqui, honesti, & inhonesti, virtutis, & vitii, ut nonnulli philosophi recentiores contenderunt? facile est falsam hanc eorum opinionem ostendere.

Certum est, nullam esse, aut fuisse nationem sive excultam moribus, sive barbaram, cujus historiæ meminerint, & mores descripserint, quæ paradoxum a nobis confutandum comprobet; nulla quippe est, in qua nitida, & expressa legis naturalis cognitio non deprehendatur, tum distincta boni, ac mali moralis, justi, & injusti, honesti, & inhonesti, vitii, & virtutis notio, atque idea, etsi sæpius perperam applicetur.

Ergo

Ergo judicio analogico (179) jure præsumimus, nullam neque ex nationibus, quæcumque sint, quarum mores nobis ignoti sunt, hisce notionibus, atque ideis carere.

II. Certum est, pravas hominum cupiditates ubique legi naturali silentium indicere conatas esse, & virtutis, & vitii ideas deformare. At enimvero id ne omnino assequutæ sunt? Non item. *Naturalis enim rectitudinis*, sive *conscientiæ vox* æque in natura hominis est, ac sint pravæ cupiditates; & ut vox hæc omnino obmutesceret, natura ipsa extinguenda esset. Pravæ hæ cupiditates quum fervent, videntur quidem rectitudini naturali, sive conscientiæ imperare, & silentium indicere; at quum mitescunt, quum ratio vires explicat, assurgit naturalis rectitudo, arguit, improbat, increpat, minas intentat, legem profert, ex lege judicat; cupiditates tunc obmutescunt, & sese ipsas condemnare saltem coguntur, si semper ad rectum non convertuntur.

III. Certum est, plurimum apud veteres mundi dominos Græcos, & Romanos nefaria deorum suorum exempla ad vitia in virtutes transformanda valuisse; at hæc exempla id omnino assequi non potuerunt; æque elata siquidem, nisi & magis, *naturæ*, ac superstitionis *vox* apud illos erat: si vero superstitio sæpius vitium extollebat, semper natura virtutem extulit.

Quare apud Græcos, & Romanos contra Deorum vitiis fœdorum, & vitia suadentium auctoritatem semper Natura superstitione fortior legem suam vindicavit, & in vitium invehi nunquam desiit; & ad fabulosum Olympum relegatis Diis, Priapo obscœno, Jove incesto, Ganimede infami, Venere mœcha, Marte fero, atque universa turpium Deorum caterva, Scipionis continentiam, Lucretiæ castitatem, Cæsaris clementiam, Titi beneficentiam,

tiam, amorem erga patriam Codri, & Reguli, Orestis, & Pyladis amicitiam, conjugalem Agrippinæ, & Germanici amorem, immotam Socratis, & Catonis virtutem in terris adoravit.

869. NOTA. Paradoxum hic a nobis confutandum tantum *apocryphis* recentiorum quorundam peregrinantium *narrationibus* innititur quos si audias, nationes sunt, quæ nonnulla virtutum, & laudandorum facinorum loco habent, quæ nos vitia; & nefanda crimina esse arbitramur.

I. At primo, temere ne, & nulla adhibita critice, iis omnibus fides habenda est, quæ peregre redeuntes passim venditant, quum plerumque nec accurati sint, nec philosophi, & magis mira, quam vera sectantes? An non philosophi quidam, ut Lockius, & Montagnius, qui scepticas opiniones suas ex hisce narrationibus excerpserunt, præmature judicarunt, atque trutina uti neglexerunt?

„ Semper miratus sum (inquit Volterius in „ suis philosophicis stromatibus) sapientem Lo„ ckium, quum tam bene initio operis sui de „ humano intellectu ideas innatas confutasset, „ contendisse nullam esse boni, & mali no„ tionem omnibus hominibus communem. In „ hoc illum errasse puto. Quorundam ille pe„ regrinantium narrationibus innititur refe„ rentium, in quibusdam nationibus a paren„ tibus natos vorari, imo & matres quum pa„ rere desierunt. Alibi inter divos recenseri „ enthusiastas quosdam, qui asinas fœminarum „ loco habent.

„ At enimvero nonne Lockio de harum „ narrationum veritate suspicandum erat? Aut „ perperam videre, aut perperam referre, quæ „ viderint sæpissime peregrinantes solent; præ„ cipue vero in gentibus, quarum sermonem „ non intelligant, legis abusum pro lege su-

„ me-

„ mere, & de gentis moribus ex re unica, „ cujus quoque rationes ignorantur, judicium „ ferre. Eat Persa Ulissyponem, Madritum, „ Goam quo die a fidei quæsitoribus aliquis „ morte plectitur; putabit ille, Christianos Deo „ humanis victimis sacrificare. Legat ille vul- „ gares totius Eruopæ ephemeridas: putabit „ nos lunæ effectibus credere, quum illos ri- „ deamus.

„ Quare si quis mihi peregre veniens dicat, „ exempli causa, barbaros esse, qui pietate in „ parentes illos vorant, primum reponam, de „ rei veritate valde dubitandum; deinde, si „ hæc vera sint, non observantiæ in parentes „ ideam tollere, sed potius barbaram obsequii „ erga illos rationem esse, & *horendum legis* „ *naturalis abusum*. Neque enim censendum „ est, ab illis parentes enecandos esse credi, „ nisi ut illos aut ab effœtæ senectutis incom- „ modis, aut ab hostium furore liberent. Si „ vero tunc in filiali sinu conduntur, ne „ victoribus vorentur; mos iste, ferus licet, „ & a quo mens refugit, tamen certum in il- „ los pietatis indicium est ".

II. Præterea etsi verum esset, gentem esse tam barbaram, tam brutis comparandam, quæ nullam morum rationem noscere, aut sequi videretur; sive inter excultas nationes exiguam hominum partem extremo aliquo angulo inclusam, quæ non nisi falsam morum rationem habere videretur; jure ne propterea diceremus, nec legem naturalem esse, nec universalem morum rationem, neque ullum inter vitia virtutesque discrimen? „ quasi vero omnes naturæ „ voces, ait eloquenter civis Genevensis, po- „ puli unius depravatione silerent; & si quan- „ do monstra nascuntur, species extingueren- „ tur ".

Si cum Lockio, & Montagnio opinemur, nullam in hominibus legem naturalem esse, nul-

nullam certam, & constantem morum rationem; quod homines fuerint, & adhuc sint, in quibus morum ratio a ceterorum hominum ratione diversa sit; quare non eodem jure dicamus, neque rectæ rationis usum, neque ullum certum homines habere veritatis dignoscendæ criterium; propterea quia exiguus angulus est Londini, quem Bodlam dicunt, alter similis Parisiis, quem Domunculas vocant, quorum inquilini ideas habent, & judicia a ceterorum hominum ideis, atque judiciis omnino diversa?

Sane multo plures in hominibus ex his postremis fuerunt, qui imbecillitate, ac dementia aut nullas, aut falsas rerum ideas haberent, quam ii omnes sint, de quibus peregrinantes narrant, quique aliquo rationis lumine gaudentes, nec legem naturalem, nec boni, malique discrimen, nec quid justum, & honestum, quidne injustum, & inhonestum, quid virtus, quid vitium sit, novisse videantur.

COMMUNIS HOMINUM PERSUASIO DE EXISTENTIA DEI.

870. OBJECTIO III. Posita hac communi hominum persuasione supremæ, & invisibilis alicujus Potentiæ visibili naturæ dominantis, hæc persuasio æque unius Dei, ac plurium Deorum existentiam probat; antequam siquidem Christiana religio institueretur, maxima hominum pars plures Deos colebat, & Polytheismo (*a*) addicta erat. Nihil ergo probat communis hæc persuasio; aut enim nimis, aut falsum probat. (55).

RESPONSIO. Contra Atheismum disputantes,

(a) *Polytheismus. Opinio, qua plures esse Deos tenet supremos visibilis naturæ dominos. A* πολὺς multus, multiplex, & θεὸς, Deus, divinitas

tes, qui in natura nullum Ens supremum admittit a quo regatur, ab hac incidenti quæstione præscindimus, *sit ne hoc Ens unum, aut multiplex*. De hac, quæ nihil habet cum Atheismo, de quo modo quæstio, alibi agemus.

Nihil itaque contra philosophicam probationem, quam impugnat, valet hæc objectio (855) nisi si supponatur, humanum genus universum æque semper persuasum fuisse de plurium diversorum deorum existentia, ac de existentia alicujus divinitatis in genere; sive distincta illa sit, sive non, sive unica, sive multiplex; tunc vero manifeste falsum supponeretur. Siquidem:

I. Ex historia sacra, & ex antiquissimis prophanæ historiæ monumentis habemus, idololatriam, & polytheismum aliquot tantum post diluvium sæculis cœpisse. Quare initio duo, aut tres mille anni fluxerunt, quibus humanum genus de Divinitatis existentia persuasum erat, quin hæc persuasio polytheismi deliriis infecta esset.

II. Polytheismus sensim orbem invadens divinitatem divisit, & deformavit, non tamen propterea intimam divinitatis existentis persuasionem amisit; neque enim nisi hac persuasione arbitrio suo divinitatem in sole, in luna, in igne, in planetis, in animantibus, in aliis rebus collocabat, in quibus mens illusa illi divinæ naturæ vim & attributa indicare videbatur.

III. Polytheismus orbe diffusus nunquam communis hominum opinio, aut persuasio fuit. Universæ siquidem historiæ plane testantur, plures, ingentesque nationes semper extitisse, quæ polytheismum non admittebant, quæcumque ceterum earum religio esset, sive idola colerent, sive aversarentur, sive superstitiosum cultum, sive rectum, & probandum adhiberent.

Hujusmodi erant Sinenses, qui aut cælum ipsum,

ipsum, aut cæli auctorem, & dominum colebant: Persæ, & Peruvienses, qui solem tantum: Hebræi, qui unice verum Deum: Zoroastri discipuli, qui ignem tantum; Brachmanes Indi, qui testibus Strabone, Porphyrio, & nonnullis sanctis Patribus, unicum Deum supremum adorabant; quique, testibus pluribus nostræ ætatis peregrinantibus, præsertim vero Anglo Hotvvello, qui annis triginta in Bengalæ regno commoratus est, etiam per hos dies etsi superstitionibus addicti sint, unicum Deum tamen, spiritum increatum, & creatorem agnoscunt.

IV. Nationes ferme omnes, quæ aut polytheismum statuerunt, aut admiserunt, *Divinitatem supremam* agnoscebant, cui cetera omnia nationis numina subessent. Hæc apud Græcos & Romanos aliquibus erat Jupiter, aliis Fatum, cui ceteri Dii omnes suberant; hæc fortasse erat Knef apud Ægyptios, Mythra apud Bactrianos, Oromazes apud Persas, Teutates apud Phœnicios, & Gallos, Tanfana, aut Irminsul apud veteres Saxones, Amida apud Japonios, Michapoux apud barbaros Americæ borealis, Sommonacodom apud Siamenses, reliquique.

Si sacra prophanis, fabulam veritati comparare licet, dii secundarii polytheistis id ferme erant, quod angeli Hæbreis, supremi scilicet numinis ministri, aut nuncii.

V. In nationibus, in quibus polytheismus magis vigebat, optimis disciplinis exculti viri, a vulgi deliramentis immunes, alii magis, alii minus aperte Ens supremum agnoscebant, quod unicum visibili naturæ præesset. Hujusmodi inter alios innumeros erant Cicero inter Romanos, Cyrus inter Persas, Socrates inter Græcos, Confucius inter Sinenses, Ptolemæus Philadelphus inter Ægyptios.

VI. Nostra hac ætate Christiani omnes, Judæi,

dæi, Mahumetis sectatores, Bramhæ, & Confucii, ferme omnes scilicet orbis universi excultæ nationes Deum unicum, & eundem Deum unicum unanimes fatentur. Inter exiguum barbarorum numerum, hominum fæcem, per hos dies polytheismus relegatus est.

Falsum est itaque, polytheismum esse constanter *communem hominum persuasionem*. Falsum propterea, demonstrationem a constanti hominum de existentia Dei persuasione deductam a polytheismo infirmari posse, qui nunquam hujusmodi persuasionis objectum fuit.

871. NOTA I. Inter deliras polytheismi fabulas tria sunt, quæ a philosopho recenseri merentur: sunt hæc *Theophania*, *Theandria*, *&* *apotheoses*; quæ in primis veterum nationum historiis insertæ sunt, & quarum origo fortasse detegi poterit. (*a*).

I. Ex historia sacra, & antiquissima hominum traditione invisibilis divinitas sese diversis temporibus, ac locis sensibili specie primis patriarchis ante, & post diluvium manifestam præbuit; sive ut iis utiles veritates revelaret, sive ut iis leges, aut præcepta indiceret, sive ut eos peculiari, & miraculoso patrocinio foveret.

Tunc vero familiæ, quæ universum hunanum genus

(a) ETYMOLOGIA. Theophaniæ. *Divinitatis visiones*; *seu*, *Divinitas visibilis effecta*. A Θεὶς, *Deus*, *&* Φυνω, *video*.

Theandriæ. *Quarundam divinarum naturarum natura humana conjunctio*. A Θεὶς, *Deus*, *&* ανηρ, *ανρος*, *homo*, *vir*.

Apotheoses: *ritus*, *quibus vir*, *aut fœmina inter Deos referebantur*, *&* *nihil jam cum prophanis hominibus commune habere censebantur*. *Ab* απο, *qua vox hic conditionem indicat*, *quam quis obtinet*, *&* Θιος, *Deus*.

genus erat, per varias orbis partes diffusæ diversis post diluvium temporibus *communem hanc persuasionem* secum asportarunt; Deum scilicet, hominum, quorum ipse pater communis est, curam gerere; & paternæ hujus curæ ratione sese aliquando viris, quos peculiari benevolentia prosequitur, universi humani generis bono videndum præbere.

Hinc in plerisque primitivis nationibus orta *Theophaniarum idea*, sive Dei apparitionum. Hæc, quæ a vero eventu originem traxit, a fabulis deinde, confingi, mutari, ac innumeris modis deformari potuit.

II. Ex sacra historia, & constanti veterum Hebræorum traditione initio temporum primus homo, & prima fœmina prævaricati se, & posteros perdiderunt. (334). Deus ipse naturæ auctor legem ab ipsis violatam indixerat, ipse sententiam in illos prolatam pronunciavit. At eorum crimen redarguens, & pœnam enuncians spem illis Deus reliquit *mirandi reconciliatoris*, cujus meritis in ejus gratiam redirent.

Mirandus hic reconciliator ab ipsis, & a posteris aliquid homine majus, & *Ens divinum* censeri debuit, ut inter Deum, & homines mediatoris munus agere posset.

Post diluvium variæ patriarcharum familiæ per primam hominum patriam ad quatuor mundi plagas dispersæ secum *communem hanc persuasionem* asportarunt; necessarium scilicet esse hominem Divinum, qui homines Deo reconciliaret.

Hinc vero apud Indos, Seres, Persas, Scytas, Assirios, Ægyptios orta *Theandriarum idea* cujus objectum erant Dii humanæ naturæ conjuncti. Hanc vero ideam fabula deformare, superstitio illa abuti potuit; at verum illi in natura, & religione fundamentum fuit.

Hinc admodum probabile est, in India, in Sinensi regno, in Thibeto Foé ortum habuis-

buisse, Knef in Ægypto, Teutatem in Phœnicia, Sommonæodom in Siamo, Amidam in Japone, Jovem in Græcia; cetera.

III. *Apotheoses* a populorum aut amore, aut admiratione, aut terrore certissime ortæ sunt. Aliquid homine majus, & vere divinum homines se videre putaverunt in viris quibusdam aut militari virtute, aut animi dotibus, aut beneficentia longe ceteros antecellentibus.

Hinc homines aut dum adhuc viverent, aut post obitum inter Deos relati. Hinc illustribus his heroibus, qui patriam aut servabant, aut ulciscebantur divini honores tributi; iis quoque qui præstanti ingenio, & mirandis inventis ceterorum commodis, & utilitati non vulgarem in modum consulebant.

Vilis assentatio, & abjecta servitus successu temporis impiis, ac nefariis hominibus humani generis probro natis eosdem honores decreverunt. Exinde apotheosis, quæ primum vana superstitio tantum fuit, & turpissimum in religione vitium invexit, & maximo reipublicæ detrimento fuit.

Hujus fæcis hominum, & brutorum, plantarum, vilissimarumque rerum cultus non longe inter se distabant. Quare hinc originem traxit apud Ægyptios canis Anubis cultus, & Beli apud Babylonios, & reliquorum. Hinc quidquid in idololatria absonum est.

IV. Ex hactenus de polytheismo propositis satis patet qua ratione a veritate ipsa fabula oriri potuerit; quave etiam ratione impia quędam superstitionis deliria aliquando, & facta quædam historica, & nonnullas præcipuas veræ religionis veritates comprobent, atque confirment.

872. OBJECTO IV. Etsi Deus non existeret supremus naturæ universæ dominus, ac legislator, adhuc in hominibus & naturæ lex, & leges nationum essent, ut nunc sunt, quæ-

cumque earum origo, & undecumque earum vis obligatoria sit. Ergo harum legum existentia necessario existentiam Dei non supponit, neque cum ejus exstentia connexa est.

RESPONSIO. Si Deus non existeret supremus naturæ dominus, ac legislator, cujus suprema voluntas humanam libertatem coercendi jus haberet, patet, ut jam ostendimus, naturæ legem, ac proinde & nationum leges vim nullam vere obligatoriam habituras, adeoque nec veras leges futuras. Quare stultum esset illis obsequi, easque servare, quum illas infringere nobis alicui esset utilitati. *Naturæ lex* imbecille præjudicium esset a stultitia natum, a consuetudine confirmatum, a ratione contemnendum. *Nationum lex* quæcumque tyrannidi comparanda esset, quę naturalem libertatem tolleret, cui quilibet civis jure perpetuo obsistere posset, & obedientiam recusare, quoties nihil eam violans a se fortiori sibi timendum esset.

I. *Naturæ lex est intima naturæ, & rationis vox summi Legislatoris decreta nobis indicens*. Si ergo summus hic legislator non existat, cessat naturæ lex, nullam jam ipsa vim, aut auctoritatem habet; nihil jam est, nisi prçjudicium, & chimæra.

II. *Nationis lex est voluntas solemniter manifestata legitimæ auctoritatis jubentis; quæ ideo tantum jubendi jus habet, quia supremus naturæ Dominus sacræ suæ auctoritatis partem illi communicavit, ut justitia, & ordo servaretur*. Non existente itaque supremo hoc naturæ domino, cessat nationis lex, nullam habet auctoritatem, neque ullum obstringit, nisi qui impune eam infringere nequeat (842, & 851).

III. *Jus* aut in naturæ, aut in nationis lege fundatur, a qua traditur, & protegitur. Si ergo non existat Deus supremus legislator, neque lex amplius, neque jus, neque justitia in ho-

hominibus est. Quare omnia licent illi, qui omnia impune audere potest.

873. NOTA. Hinc colliges quid atheorum natio esset, si hujusmodi natio existere posset, & mores habere suis principiis conformes.

In ea virtutes illæ jucundissimę, quæ societatis basim, & beatitudinem efficiunt (rectitudo, ingenuitas, honestas, liberalitas, beneficentia, fidelitas, probitas) vana tantum nomina, & inania essent; aut tantum virtutes essent, quatenus eas habenti, aut habere simulanti præsentem utilitatem parerent.

In ea atrociora crimina nihil animum moverent, nisi si quando ex illis infamia, aut securris timeretur.

In ea crimina illa, quæ tenebris obvolvi possunt, & ea, quæ audaces plena in luce perpetrare non verentur, nullo fræno coercerentur, neque illa secretus ullus naturæ horror præcederet, aut conscientiæ stimulus comitaretur.

In ea nulla vera virtus esset neque in universa natione, neque in ullo ejus membro. Ibi enim virtutis larva, & probitatis simulatio sufficeret; in athea natione siquidem idem simulatio præstabit, quod vera virtus, si eandem famam, & auctoritatem pariet.

§. II.

DEMONSTRATIONES PHYSICÆ EXISTENTIÆ DEI.

874. ILlæ dicuntur *demonstrationes physicæ existentiæ Dei*, ut alibi diximus, quarum *demonstrationis medium* a physico rerum ordine, & a visibili natura desumptum est (837).

I. *Primum demonstrationis medium*, quo utemur

mur ad existentiam Dei demonstrandam, erit *Admirandus naturæ ordo*, sive mira hæc rerum harmonia, & relatio, qua inter se tam apte partes junguntur, eæque singulæ peculiari suo muneri aptantur, qua partes toti respondent, & fini, ad quem totum est ordinatum, quique luculentissime apparet effectus ab ideis infinite magnificis, variis, accuratis productus, quæ non nisi ab infinita intelligentia concipi, nec nisi ab infinita potentia perfici possunt.

II. *Alterum demonstrationis medium* ad existentiam Dei demonstrandam erit *existentia regni animalis*, *&* *regni vegetabilis*, in quibus a perpetua individuorum destructione immutabilem in speciebus perseverantiam enasci videmus, in quibus prima rerum origo aut materiæ, aut casui tribui nequit, nisi manifesto rationis abusu, in quibus omnia manifeste, & necessario causam primam, infinite intelligentem, & activam annunciant, a qua vegetantibus organa, animantibus organa & anima tributa fuerunt.

III. *Tertium demonstrationis medium* erit *materiæ motus* ut in terra, & in immensis cæli spatiis observatur, cujus prima existentia, & perseverantia evidenter supponit primi motoris existentiam a materia, ejusque modificationibus essentia distincti, infiniteque activi, & intelligentis.

IV. *Quartum demonstrationis medium* erit *ipsa materiæ existentia*, illius præsertim, quæ nobis magis præ manibus est, terræ scilicet, & aquæ; quæque evidenter apparet, habere in se non posse æternum, & fœcundum existentiæ suæ principium, nec aliter, nisi creatione existere potuisse; creatione, inquam, quæ opus summi Entis est mentis nostræ captum superans, certum tamen, & indubitatum.

875. NOTA. Ex quatuor hisce demonstrationis mediis, ex tribus primis præsertim, fieri

ri nobis videntur æque solidæ, & convincentes philosophicæ demonstrationes, ac præcipuæ geometrarum mathematicæ demonstrationes sint quæ in Cartesio, in Neutono, in Archimede, in Euclide inveniantur. Exempli gratia.

I. Sit hoc entymema mathematicum. In triangulo A B C angulus A, & angulus B valent simul gradus centum, & triginta; *ergo tertius angulus valet gradus quinquaginta*.

Sit deinde hoc aliud entymema philosophicum. In natura visibili habetur ordo mirabilis, in quo mirum in modum, & perseveranter causæ effectibus, media finibus, partes toti, totum suo fini respondent; *Ergo in natura visibili exstit causa infinite intelligens, & activa, a qua mirus hic rerum ordo conceptus, atque productus fuit*.

Ingenue fateri non verebimur, postremam hanc consequentiam æque certam, atque evidentem, ac prima sit, nobis videri. Si vero quis eam minus certam nobis ostendat, celebrem illum Pyrrhonem tantum habebimus *venum philosophum*, qui contendebat contra dialecticos, concludens ratiocinium non dari, contra musicos, non dari sonum, contra arithmeticos, non dari numerum, contra geometras, nec corpus dari, nec extensum.

II. Si a nobis quæras cur de primæ consequentiæ objecto nunquam dubitatum sit, at de alterius objecto aliquando sit dubitatum; respondebo, horum a nobis rationem redditam in secundo volumine nostræ philosophiæ religionis a numero 213 ad 278.

PROPOSITIO I.

876. In visibili hac rerum universitate habetur *ordo mirabilis* elucens in constanti astrorum motu, in elementorum æquilibrio, in animalium organis, in intima, & extima planta-

rum ſtructura, in totius viſibilis naturæ harmonia, tum partium inter ſe, & cum eorum fine, tum earum cum toto, & univerſali ejus fine.

Ergo in viſibili rerum univerſitate exiſtit infinita Potentia, & Intelligentia, a qua mirabilis hic rerum ordo conceptus, & conditus fuit; ergo exiſtit Deus.

DEMONSTRATIO I. Evidens eſt, aut nihil in hominum ideis, & judiciis certum eſſe; aut mirum hunc ſupra expoſitum rerum ordinem, & partium inter ſe, & cum toto, & finibus harmoniam certo, & neceſſario, ubicumque ſunt, *cauſam intelligentem, & activam* ſupponere, quæ concipiat, diſponat, coordinet, prævideat machinarum, quas conſtruit relationem cum effectu, quem intendit, & mediorum cum fine ſibi propoſito, partium ſingularium cum cujuſque fine, & totius cum generico fine, ad quod ordinatum eſt.

I. Evidens ergo eſt, viſibilis naturæ univerſitatem, in qua pulcherrima, quæ concipi poſſit, elucet rerum omnium harmonia, & mirus ordo, neceſſario ſupponere *Cauſam infinite intelligentem, & infinite activam*, quæ ſimul omnia concipiens, & intimas rerum relationes mente comprehendens, & materiam paraverit, & partes diſpoſuerit, & eas omnes ordinans totum quoddam effecerit, quod admirationem ſibi conciliet & indocti ſpectantis tantum, & ſapientis quæ ſpectavit meditantis.

II. Evidens eſt, aut philoſophiam hominum ingenium hebetare, & obtundere tantum aptam eſſe; aut omnino ab ipſa atheiſmum proſternendum.

Quiſnam aſtronomus cælos intuens *triplicem illum motum* (a) obſervare poteſt, in quo (ſi datur

(a) *NOTA. Cælum univerſum videtur habere*

datur) in sole, & stellis, fortasse potentiæ prodigentia magis, quam parsimonia elucet; in quo vero mirum in modum potentia, & sapientia elucet, si re ipsa in tellure tantum est; quin Deum existere dignoscat infinite potentem atque sapientem, a quo tam mirus, & hominum captum superans, rerum ordo dispositus sit, & conservatus?

Quis naturæ studiosus ea quæ in natura apparent, nosque proxime ambiunt observans, animantium, aut vegetantium organa contemplari poterit, quin Artificis infinite intelligentis, & industrii manum aperte detegat æque in tinea, & brucho, ac in cete, & elephante, in herbæ foliio, aut musco, ac in cedris Libani, & Norvegiæ quercubus elucentem? At vero qua ratione in his divini artificis manus apparet? profecto infinitis luculentis, variis, exactis ideis prototypis; infinitis physicis artificiis ad ea, quæ intendit, obtinenda opportunis, & in unaquaque specie diversis; infinitis fibris mobilibus, musculis motoribus, tubis, valvulis, organis cujusvis figuræ, & magnitudinis, omnibus infinita scientia elaboratis, quarum alia ad aerem hauriendum, alia ad lucem admittendam, alia

bere simul & motum diurnum, *quo ab oriente in occidentem circa polos, & axem mundi convertitur; &* motum annuum, *quo in anni unius spatio ab oriente in occidentem circa eosdem polos, eundemque axem convertitur, &* tertium motum *quo annis* 25740 *ab occasu in ortum circa polos, & axem ecliptica convertitur. Magnum hoc phænomenon, quod Ecclesiastes aliqua ex parte refert, ut validissimum existentia Dei argumentum fuse a nobis explicatur in astronomia nostra, quarto volumine Theoria nostra entium sensibilium.* (*Phys.* 1131. 1165. 1194. 1313. 1314. 1323. 1327. 1341. 1347. 1349. 1350.)

alia ad fluida traducenda ordinata sunt, alia ad nutrimentum capiendum, & elaborandum, ad succos nutritios secernendos, perpurgandos, distribuendos, unde corpus crescat, & vegetet; alia ad speciem ita propagandam, ut per progenies non degeneret. (342).

Quis mechanicus piscium branchios, volucrum alas, quadrupedum structuram observans mechanicam infinite intelligentem, & industrem, nullaque humana arte, nulloque ingenio imitandam non admiretur, quæ omnia hæc organa in hisce tribus animantium speciebus efformaverit?

Quisnam geometra videns omnia in natura visibili proportionem præseferre; ejus leges omnes accuratissimis calculis subjici posse; vires motrices ejusdem potentiæ mechanicæ, exempli gratia, semper esse in directa vectium ratione; centripetas ejusdem planetæ aut cometæ vires in quovis orbitæ suæ ellipticæ puncto semper esse in duplicata inversa radiorum vectorum ratione; centrifugas ejusdem planetæ, aut cometæ vires in quovis suæ curvæ puncto semper esse in triplicata inversa radiorum vectorum ratione; gravia quævis libere cadentia dato instantium numero ad gravitationis centrum motum accelerare juxta numeros impares, & spatia percurrere quadratis temporum proportionalia; quis, inquam, geometra ista considerans non agnoscet, intelligentiam infinite geometricam materialis naturæ formationi præfuisse, eamque adhuc conservare; naturamque cæcam, & inertem omni rationum, ac proportionum quarumcumque cognitione destitutam patenter ostendere, geometricas leges, quibus perseveranter regitur ab actione semper subsistente supremi Domini originem ducere, qui infinite intelligens, & infinite liber omnia in ipsa juxta immutabiles fines, ad quos ipsam condidit, operatur.

III.

III. Evidens est, aut nihil esse, quod in hominibus absonum, & rationi oppositum dici possit, aut eum jure censeri *ratione carentem*, qui aut regium palatium Parisiis, aut Divi Petri templum Romæ conspiciens, suspicari vellet, magnifica hæc ædificia, artis miracula, aut a se, aut a fortuito atomorum concursu coaluisse.

At enim vero quanto majori jure absonus erit censendus, & ratione carens atheismus, quum asserat, magnum hoc universi ædificium in quo infinite sapientior ordo, & partium harmonia elucet, a se, casu, fortuito atomorum concursu conditum fuisse?

Vos me censetis, (ajebat auditoribus suis Plato) intelligenti anima donatum, quod in verbis meis ordinem dignoscitis: ergo mundi ordinem intuentes, animam haberi infinite intelligentem judicate.

IV. Evidens est *mirum esse ordinem rerum* in natura visibili, atque ab hoc supponi causam infinite intelligentem, & potentem, a qua conceptus, & dispositus fuerit. Ergo hæc causa existit.

Atqui hujusmodi causa non nisi id esse potest, quod Deum dicimus; ergo hoc existit. Ergo existit Deus. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

877. In natura visibili innumeræ sunt *animantium*, *& vegetantium species*, quarum origo, & conservatio sine manifesto rationis abusu inerti materiæ, aut cæco casui tribui nequeunt.

Ergo in natura existit causa prima entium viventium, & vegetantium, qua infinite intelligens, & activa cuique vegetantium speciei organa, cuique animantium speciei organa & animam impertita est. Ergo existit Deus.

EXPLICATIO. Regna duo, animale, & vegetabile maximum ſemper atheiſmo negotium faceſſunt; nullum enim phænomenon hoc evidentius Dei exiſtentiam demonſtrat. Hinc omni ætate totis viribus contendit, ſemperque incaſſum, ut inconcuſſam hanc demonſtrationem eluderet. Hinc puerilia ſophiſmata, abſurdæ hypotheſes, principia contradictoria, ut impium ſyſtema cum hoc phænomeno conciliaret, quibus id tantum aſſecutus eſt, ut mendacis, abſurdi, & deridendi nota illi altius inureretur. (782).

Exiſtunt modo & homines, & bruta, & plantę, quorum individua in dies pereunt, ſpecies ſemper ſubſiſtunt. Præſentis ætatis individua a ſuperiori ætatis individuis ſive mediate, ſive immediate producta fuerunt; hæc ab illis ſæculi adhuc ſuperioris, atque ita porro, donec ad ea prima individua perveniamus, a quibus cetera cujuſvis ſpeciei provenerunt.

At quomodo *prima cujuſvis ſpeciei individua*, puta humanæ, quam ad ratiocinia noſtra evolvenda aſſumemus, eſſe cœperunt? Hæc a rudi materia, aut a cæco caſu effingi potuerunt, an vero a cauſa infinite intelligente, & activa, a materia, & caſu prorſus diſtincta? Hoc eorum organa, & animatio plane definient.

Si cum Spinoſa, cum auctore ſyſtematis naturæ, ceteriſque materialiſtis admittatur *ſeries aſcendens infinita ſucceſſivarum generationum* quarum quævis a præcedente procedat; infiniti effectus ſine cauſa admittentur, ſive infiniti effectus, quorum nullus ſine præcedente cauſa exiſtere potuit, & quibus prima cauſa defuit, a qua omnium exiſtentia neceſſario pendebat.

Perinde hoc eſt, ac ſi vellem catenam infinitis annulis compoſitam ad centrum gravitantibus in caput meum ſuſpenſam conſiſtere, propterea quod quivis annulus ab eo, cui inſer-

tus

tus est, sustinetur, etsi nullus primus annulus sit, qui ceteros sustinentes sustineat.

878. DEMONSTRATIO I. Dico primo, *organa regni animalis, & vegetabilis existentiam Dei demonstrare.* Facile est hoc ostendere.

I. Supra ostendimus, *materiam sibi organa effingere non posse*; quælibet enim organorum structura præviam eorum ideam statutam supponit; per ipsos vero materialistas repugnat, materiam antequam organis instruatur cogitare, aut ideam ullam habere (795).

Quare hic tantum quæritur, num in regno animali, & vegetabili organa sint, quæ in sua causa intelligentiam, cogitationes, ideas prototypas supponant, & num hæc alii, nisi illi, quod Deum dicimus, convenire possint. At vero quid cuique in natura, aut anatome erudito exhibet individuum quodvis regni animalis, aut vegetabilis?

Machinam admirandam exhibet, in qua nihil inutile est, nihil necessarium deest, ubi omnia ad munus aliquod ordinata sunt, omnia illud exequuntur, ubi infinita machinamenta mira concordia agunt, quorum quædam inermi oculo, alia non nisi exquisitis vitris armato cospiciuntur.

Partes plurimas exhibet magis, minusve solidas, quæ totam machinam regunt, & in ea aliæ vectium, aliæ torcularium, aliæ plani inclinati, aliæ axis in peritrochio vices agunt.

Fibras plurimas exhibet longitudinales, & transversales, nonnullas retis specie, nonnullas in fasciculos collectas; quæ contrahi, & extendi aptæ funium trahentium vices agunt ad motus diversis machinæ partibus communicandos sive internos, sive externos, ut animalis, sive vegetabilis natura postulat.

Cribra innumera, tubosque exhibet cujusvis figuræ, & magnitudinis, qui per universam machinam diffusi, & valvulis, & anastomosi-

bus instructi alii adspirantium, alii prementium anthliarum vices gerunt; hi venarum, aut arteriarum aut succum, aut sanguinem ad universas vegetabilis, aut animalis partes deferentium, quibus nutriatur, vigeat, iterum propagetur; quos succos mira ejus intima organa elaborarunt.

II. *Humanum corpus* ipsum quam admirandum intelligentiæ, & potentiæ opus! a quonam alio artifice, nisi ab eo, quem Deum dicimus, elaborari potuisset machina hujusmodi, in qua consideranda intellectus deficit, & se illius præstantiæ omnino percipiendæ imparem agnoscit?

Atheus sui impii systematis mordicus tenax hominem contemplatus, pervicaciter dicat, se nihil in homine videre, nisi *machinam* fibris mobilibus, & elastris moventibus instructam. Demus. At saltem, si vel minimum in anatome, & mechanica versatus est, nisi omnino cæcus, aut automa sit, machinam videbit omni admiratione dignam, cujus constructio artificem supponit intelligentia, & industria humano cuivis artifici infinite præstantem.

Tum vero, etsi non nisi machinam in homine videat, jam systema suum ejurabit, & vel invitus Dei, quem in natura non videre nititur, existentiam fatebitur; Dei illius, inquam, qui solus lucem oculo, oculum luci, aurem sono, sonum auri efformare potuit; qui solus mira illa organa, & invisibilia construere potuit, quibus cor agit, & universæ animali machinæ vitam communicat; qui solus humani corporis machinam construere potuit, in qua tenuitas robori, levitas solidati, partium multiplicitas totius simplicitati conjuncta est; in qua pars quævis cum alia ipsam movente conspirans, alias movet, a quibus deinde & ipsa moveatur.

III. At vero supremus iste artifex minus ne ad-

admiratione dignus est in organis quercus, pomi, floris, herbæ, musci construendis? sive in aquilæ, leonis, ceti, salaris, reptilium, muscarum, animalculorum minimorum, quam in hominis machinamento? Nonne in his omnibus mechanicum artificium apparet non nisi a causa infinite intelligente, & activa concipiendum, & perficiendum?

IV. Quæ quum ita sint *omnia organica* sive animalia, sive vegetabilia vel solis suis organis *causam primam* invicte demonstrant existere infinite intelligentem, & potentem, sine qua nunquam existere potuissent, & a qua prima omnium specierum origo est.

879. DEMONSTRATIO II. Dico deinde, *regni animalis animationem invicte existentiam Dei demonstrare*. Facile hoc quoque præstabimus.

I. Alibi demonstrabimus, modo demonstratum id supponemus, quod instinctus ipse, & ratio concordes cujvis ratione utenti satis indicant, *puram materiam scilicet quavis figura, & quovis motu donatam neque cogitare posse, neque sentire, ac proinde nec cognoscere, nec meminisse, nec gaudere, nec dolere, nec timere, nec desiderare.*

Quare quum in universo regno animali, quidquid Cartesii commentum dicat, principium sentiendi sit; patet, in eo aliquid esse præter materiam, & nihil materiæ commune habens; nequit enim materia utcumque in organa conformata sentire, adeoque potiori jure neque quid sentiens producere.

Quum ergo in hominibus sit principium sentiendi, & cogitandi, patet in hominibus aliquid præter materiam esse, & nihil materiæ commune habens; quum materia utcumque in organa conformata nunquam sentire possit, aut cogitare, adeoque multo minus alteri rei vim sentiendi, & cogitandi communicare.

Con-

Concipe hominem automa, aut ſerpentem automa exquiſitiſſima Vocanſoni arte elaboratum, in quo omnia ad naturæ ipſius exemplar diſpoſita, atque perfecta ſint. Senſum tuum intimum appello. Quandiu in hoc automate non niſi materiam & motum conceperis, quæcumque ejus mechanica actio fit, cogitandi, aut ſentiendi vim in illo non concipies magis, quam in horologio horas ſono repetente, aut in organo, quo paſſerem Canarium canere erudis, concipias.

Age vero, *hoc*, unde pendet cujuſvis individui animatio, hoc, quod ſentit in quavis brutorum ſpecie, quod in hominibus ſentit, & cogitat, quodque a materia produci nequit a quonam in quovis individuo produci poterit, niſi ab aliqua cauſa natura ipſa a materia diſtincta, infinite materia præſtantiori, quæque natura ipſa ſit infinite vita, intelligenita, ſenſus?

Entia itaque *omnia animata*, ſive ratione gaudeant, ſive careant, invicte oſtendunt non organis tantum, ſed animæ quoque exiſtentiam *Cauſæ primæ* natura ſua infinite in ſe, & per ſe viventis, ſine qua nunquam exiſtere potuiſſent, & a qua omnium ſpecierum regni animalis origo eſt, & ſingulorum animantium permanens animatio.

II. Philoſophiæ hiſtoria conſentire videtur, & ejus ratiocinia confirmare ſaltem in *humana ſpecie*, quæ ſola ab hiſtoria attendi meruit, & quæ præ ceteris a philoſophia conſideranda eſt. „ Hiſtoriæ omnes ſacræ, & prophanæ, „ inquit initio phyſicæ ſuæ doctus, & acutus „ Muſchembroekius, nos docent, ante non„ nulla ſæcula tellurem admodum incolis fre„ quentem non fuiſſe. Quare ad priora ſæcu„ la aſcendentes, minorem ſemper hominum „ copiam inveniemus; & tandem in duobus „ primis tantum ſiſtemus.

„ At

„ At enimvero qua ratione *primi hi duo* orbem ingressi sunt? non sane propria virtute; „ neque enim tanta in nobis est, ut ea a nobis existere possimus; neque ab aliis hominibus creati fuimus; ceterum duo primi nunquam fuissent. Hi fortuito atomorum concursu fingi non potuerunt; ceterum quotidie alios, atque alios eadem ratione formatos videremus. Præterea ab atomorum concursu *atomorum congeries*, nunquam *homo* „ anima, & corpore constans formari posset.

„ Necesse est igitur causam multo ceteris „ præcedentibus præstantiorem agnoscere, quæ „ *hominis corpus* formaverit, & modo prorsus „ admirando *anima* conjunxerit, quæ substantia est natura omnino diversa. Q. E. D.

PROPOSITIO III.

880. In visibili hac rerum universitate datur *motus permanens*, cujus productio, & conservatio non nisi enti natura a materia, ejusque proprietatibus distincto, infinite potenti, & intelligenti tribui potest.

Ergo in visibili hac rerum universitate præter materiam datur invisibile principium movens, omnino a materia distinctum, natura sua infinite intelligens, & activum, a quo materia motus initium habuit, & conservatur. Ergo existit Deus.

DEMONSTRATIO. Sive *experientia*, sive *ratio* consulatur, evidens est, motum hunc, qui in hac rerum universitate habetur, & permanet, necessario, & absolute connexum esse cum *primi motoris* existentia, qui omnino a materia, ejusque proprietatibus natura distinctus sit. Facile vero est hoc ostendere.

I. Certum est, *materiam se ipsa, suisque viribus non moveri*; experientia enim, & ratio concordes nos docent, materiam ipsam, quam ma-

magis præ manibus habemus, ut ea est, quæ aquam, terram, metalla, varia mixta componit, non nisi *intrinsecam inertiam*, & *intrinsecam ad motum, & quietem indifferentiam* habere; eamque aptam quidem esse motum suscipere, si hic illi ab extrinseca causa imprimatur; ineptam vero sibi motum excitare, nisi illi hic a causa extrinseca communicetur; æque ineptam esse aut motum sibi impressum amittere, aut oppositum, aut diversum assumere, nisi a causa extrinseca ad hanc mutationem determinetur (759, & 1222).

Si experientiam consulam, deprehendam, argillæ cumulum, marmoris, ligni, aut metalli frustum, aquæ, aut lactis amphoram, aliaque hujusmodi immota persistere ubicumque locentur; nisi a causa aliqua extrinseca removeantur; quod sane ita perseveranter contingere non deberet, si materia, quæ diversa hæc corpora constituit, in se, & a se, sive in suis elementis, sive in suis partibus, non *intrinsecam inertiam*, sed intrinsecum principium motus haberet.

Si rationem consulo, deprehendo, quascumque mihi materiæ ideas efficiam, ex his nullam esse, quæ in materiæ natura motum repræsentet; nullam contra, quæ in ejus natura *indifferentiam ad motum*, *& quietem* non referre videatur. Deme enim cogitatione motum materiæ cuivis, puta, globo ferreo, qui e tormento explosus aut in mœnia, aut in navem hostilem feratur, sive odoris corpusculis e rosa effluentibus, sive radio lucis a speculo in oculum remisso; sane concipies, amisso motu, non propterea materiæ hujus qualiscumque intimam naturam mutari; & amissa motus modificatione eandem materiam, ut in casu, eundem globum, eadem odora corpuscula perseverare, nova quidem quietis modificatione, at natura nihil immutata.

Quum

Quum vero tum ratio, tum experientia *intrinsecam inertiam* ita evidenter probent in quibusvis materiæ speciebus, quas maxime observatione perpendere possumus, quare, judicio analogico (179), non id ipsum statuamus de quavis alia materiæ specie, quam non ita facile observationi subjicere possimus; præsertim in hypothesi *materiæ homogeneæ*, quæ tum maxime philosophica est, tum maxime vero similis, & per hos dies a physicis, & naturæ studiosis passim admissa? (Phys. 142, *&* 152).

II. Certum est, *materiam, quæ in motu est sive in terrestri globo, sive in cælestibus motum habere a primo motore a materia natura ipsa distincto*. Ut enim ad motum excitaretur immensa hæc materiæ copia, quam in rerum universitate certo moveri videmus, plane absurdum esset *aliam materiam in motu* supponere, quæ motum illi inderet, quam moveri videmus; semper enim explicandum esset undenam huic alteri materiæ motrici motus obvenerit; hæc ipsa siquidem æque iners natura, & ad motum, & quietem æque indifferens esse debet, ac illa sit, cui motum indere supponitur.

Semper ergo, ut petitio principii evitetur, ad primum motorem ab hac materia motrice sive vera, sive conficta distinctum confungiendum erit, a qua materia universum alterius materiæ motum sive in nostro globo, sive in cælestibus oriri vellent.

Si cum Spinosa, pluribusque materialistis in materiali natura supponatur *circulus infinitus motuum*, qui omnes alter ab altero, secundus a primo, tertius a secundo, primus a postremo producantur; perperam supponentur infiniti effectus sine causa; supponentur enim infinitæ substantiæ agentes, quarum nulla a se habeat intimum, & primum agendi principium.

III. Certum est, *primum hunc materiæ motorem natura ab illa distinctum necessario ens*

esse

esse potentia praeditum humana infinite majori. Si enim homo in se, & a se vim re ipsa motricem habet, quod minime certum est; constat saltem hominis vim non nisi ad minimam illius materiae partem extendi posse, quam in immensa rerum universitate moveri conspicimus (1223, & 1226).

IV. Certum est, *primum hunc materiae motorem natura ab illa distinctum intelligentia praeditum esse humana infinite praestantem.* Non nisi enim intelligentia infinite humanae praestans noscere potest, & quovis temporis instanti determinare, nullo excessu, nullo defectu, quid motus in rerum universitate produci debeat, & re ipsa producatur accuratissime ad constantes, & immutabiles naturae leges. Exempli gratia:

Quaenam intelligentia, quae humanam infinite non excederet, quovis momento temporis nullo excessu, nullo defectu noscere, & determinare posset in universo animali regno, ipsam motus quantitatem, quam in quavis specie, & in quovis individuo habere debent solida omnia, liquida, fluida, nervi, musculi, fibrae, membranae, brevi partes omnes mechanicae, & tenuissima harum partium filamenta, ut ab opportuno, & regulari cujusvis partis motu, totius aptus, & conveniens motus, ut cujusvis speciei natura, & cujusvis individui conditio postulat, consequatur.

Quaenam intelligentia, nisi humana infinite major, posset quovis temporis momento noscere, ac definire, nullo excessu, aut defectu in universa caelorum immensitate ipsam centrifugi, ac centripetae motus quantitatem, quam in quovis ellipticae suae orbitae puncto obtinere debet quivis cometa, quivis primarius, ac secundarius planeta, ut quilibet in tota sua periodo, etsi perpetuo radii vectores contrahantur, aut extendantur, eam habeat semper in quo-

quovis puncto *vim centripetam*, quæ sit prorsus in inversa quadratorum variabilium horum radiorum vectorum ratione; & *vim centrifugam*, quæ in ipsa inversa sit variabilium cuborum horum radiorum ratione? Aut nihil est apud homines demonstratum; aut mirabilis hic planetarum, & cometarum motus intelligentiæ infinitæ in natura materiali existentiam ineluctabiliter demonstrat (875).

V. Patet, *primum hunc materiæ motorem ab ipsa distinctum, aut eum esse, quem Deum dicimus, aut ens intelligentia, & activitate humana infinite majori præditum, cui Deus facultatem perseveranter impertiatur varios motus, quos in natura deprehendimus, producendi.* Quare jam demonstratum est, id, quod Deum dicimus, in natura materiali existere; sive illam a se, & immediata, ac perseverante actione sua moveat, quod vero similius videtur; sive mediis aliis causis sibi subordinatis, sua potentia instructis, & a sua intelligentia directis; quod fortasse *ἀδυνατον* non est dicendum.

Ergo quocumque modo matetialis naturæ motus concipiatur, evidenter hic motus existentiam demonstrat primi motoris omnino a materia distincti, & qui necessario is est, quem nos Deum dicimus. Ergo Deus existit. Q. E. D.

PROPOSITIO IV.

881. In spatio infinito, quo circundamur, est *immensa materiæ copia*, qua confecti sunt orbes lucidi, & opaci, & corpora cetera quæcumque his adnexa.

Ergo in natura visibili existit ens increatum, & creans, sine quo materia nunquam existere potuisset. Ergo existit Deus.

EXPLICATIO. Certum est, *materiam existere*, illam scilicet, qua componuntur tellus, planetæ, cometæ, sol, stellæ, eorumque atmo-

mosphæræ, quæcumque sint. At a quo tempore materia hæc existit? an ne æternum natura sua, aut aliquando esse cœpit? patet, inter hæc duo medium non dari, & altero rejecto alterum esse admittendum.

I. *Materiæ æternitatem* admittunt athei, qui Deum in natura negant, aut Deum in illa negant quidpiam agere; & *Deistæ æquivoci* nonnulli, qui inter Deismum, & atheismum medium tenent, & Deum æternum admittentes materiam quoque illi coæternam admittunt.

Hi Deum visibilis naturæ auctorem non negant, primum tantum ejus opus negant, *creationem* scilicet *materiæ*. Deus, inquiunt, has atomos, hæc corpuscula, substantias has elementares e nihilo non eduxit, quæ modo solem, stellas, planetas, cometas, cetera quæcumque corpora rerum universitatis physice constituunt. Corpuscula hæc elementaria æque ac Deus, æternum extiterunt intrinseca naturæ exigentia. Initio vero temporum Deus infinita sapientia, & potentia post indefinitum sæculorum numerum in materia hac præexistente operatus juxta ineffabiles ideas suas prototypas ex illa solem, tellurem, stellas, planetas, cometas, corpora quævis trium regnorum, animalis, vegetabilis, fossilis, omnem demum visibilem naturam formavit. Quare si illos audias, formatione tantum, non creatione Deus naturæ auctor fuit.

II. Materiæ creationem omnes philosophi passim admittunt, qui rationi obsistere non statuerunt, ut sacris voluminibus auctoritatem demere niterentur. Sentiunt hi cum Moyse, Deum solum æternum extitisse; initio temporum, sex nempe, aut septem mille ante annos Deum vera creatione corpuscula hæc elementaria e nihilo eduxisse, & quibus cælum, terramque formavit. Quare per hos philosophos, qui & numero, & doctrina ceteris longe præ-

stant,

stant, Deus naturæ auctor fuit, primo elementis hisce existentiam tribuens, quibus illam componere statuerat; deinde hæc elementa in diversas massas distribuens ad diversos fines ordinatas; tandem quamlibet massam, & rerum speciem diversis immutabilibus legibus subjiciens, a quibus persistendi, ac perdurandi vim obtinerent. Hæc Moysis discipulorum, ac rationis philosophia est, ut propositionem, quam apte percipere oportet, demonstrantes ostendemus.

Ut hanc itaque plane statuamus, ostendemus primo, nulla solida ratione materiæ æternitatem probari, ejusque creationem denegari. Deinde, si materia æterna admittatur, necessario, & frustra plures chimæricas, & repugnantes hypotheses esse admittendas, quæ omnibus, quas habemus, materiæ ideis opponuntur. Tertio, si materia tantum creata admittatur, id prorsus admitti, quod sacræ literæ, traditio veteris, novique testamenti, experientia universa, & ratio unanimes admittendum suadent.

882. DEMONSTRATIO I. Dico primo, *nulla solida ratione materiæ æternitatem probari, ejusque creationem denegari*. Ut vero hoc demonstretur satis erit varia fundamenta proponere, quibus materiæ æternæ assertores sententiam suam adstruere nituntur.

I. Primum horum fundamentum est *gratuita sententia suppositio*. Audacter proferunt, atque definiunt, materiam æternam esse; neque ulla ipsis ratio est ita proferendi, nisi quod materiam æternam gratis supponere cœperunt.

Philosopho sane indigna ratio, quum nil nisi circulus vitiosus, & absurda sit petitio principii (738, *&* 739).

Hac tamen passim utuntur materiæ æternæ asser-

assertores; raro enim aliam inquirunt, qua in sententia obfirmentur.

II. Alterum fundamentum eorum præsertim, qui se philosophos dici volunt, est celebre axioma philosophicum: *ex nihilo nihil fieri*. Materiam itaque æternam dicunt propterea quia, si ex nihilo vera creatione educta fuisset, verum esset contra hoc axioma, aliquid ex nihilo factum fuisse.

At enimvero philosophica ne ratione hoc axioma ab iis sumitur, atque adhibetur? Non ita esse jam ostendimus, quum aliquot Lucretii sophismata detegeremus.

Tunc ostendimus, hoc axioma, quo Lucretius abusus est, & quo omnes materiæ æternæ assertores æque abutuntur, ad inficiandam *materiæ creationem*, nisi sophisma confingendo, aut inepte principium petendo adhiberi non posse (798).

III. Tertium quod adstruunt fundamentum alii nonnulli materiæ æternæ assertores, qui se quoque philosophos dicunt, est, *creationem mente comprehendi non posse*; sive percipi non posse qua ratione materia creari potuerit, & a nihilo, seu a pure possibili ad veram existentiam transire.

At enimvero hæc ipsa ratio, quæ ut philosophica objicitur, nonne omnibus numeris antiphilosophica est? Quid ergo? propterea quia nequeo concipere qua ratione in me enascuntur ideæ, cogitationes, sensationes, sensus intimi, motus involuntarii, & voluntarii; non credam in me ideas esse, cogitationes, sensationes, sensum intimum, motus involuntarios, & voluntarios? propterea quia concipere nescio quomodo in vegetabilibus organa, in animantibus organa, & anima formentur, jure in his neque organa, neque animam esse dixero? creationem ergo materiæ non credam, quod apte non

non percipio qua ratione a causa æterna infinite intelligente, & activa creari potuerit? & jure credam materiam æternam esse, etsi non melius, imo minus concipiam qua ratione materia a se æterna esse potuerit? Quam philosophiam!

Audiant modo hæc Lockii verba materiæ æternæ propugnatores. ,, Materia, vos dicitis, ,, æterna fatenda est. Quare? quia percipere ,, nequitis quomodo ex nihilo facta fuerit. ,, Quare ergo vox ipsos æternos non judi- ,, catis?

,, Ajetis forsam, vos ita non judicare, pro- ,, pterea quia a viginti, aut triginta annis es- ,, se cœpistis. At si petam quid intelligatis, ,, quum *Vos* dicitis, qui ab eo tempore cœpi- ,, stis esse; vobis fortasse hærebit aqua. Mate- ,, ria, qua constatis, tunc esse non cœpit, ce- ,, terum non jam æterna esset: tantum dispo- ,, ni tunc, & formari cœpit ut opus erat ad ,, vestrum corpus componendum. At vero hæc ,, partium dispositio non est *Vos*, neque enim ,, principium illud cogitans constituit, quod in ,, vobis est.

,, Quando nam itaque *principium* hoc *cogi-* ,, *tans*, quod in vobis est, esse cœpit? si nun- ,, quam cœpit, jam vos æternum ens cogitans ,, fuistis: quod absurdum super vacaneum est con- ,, futare, donec aliquis ita demens, ut hoc ,, asserat, non inveniatur. Si vero noscere po- ,, testis, *ens cogitans e nihilo factum fuisse*, ,, ut omnia non æterna facta esse debent; qua- ,, re pari ratione non fateamini ab æquali po- ,, tentia ens materiale a nihilo educi potuis- ,, se "?

IV. Quartum, quod astruunt materialistæ nonnulli, qui se & philosophos, & religiosos dici volunt, est *sensus æquivocus*, quem in sacris Moysis libris vox ista *creavit* potest obtinere; potest enim, quum de materia sumitur, & tran-

& transitum a nihilo ad existendum, & a chaos ad ordinem significare. *In principio creavit Deus cælum, & terram.*

At vero vocis hujus *creavit* sensus æquivocus, si tamen in hoc æquivocatio est, nonne satis ad transitum a nihilo ad existentiam significandum determinatur cujvis philosopho, & ipso rationis lumine, & philosopho religioso a perpetua hebræorum, & christianorum fide?

883. DEMONSTRATIO II. Dico deinde, *si materia æterna admittatur, necessario, & incassum plurimas admittendas esse hypotheses plane chimericas, & repugnantes, quæ omnes, quas habemus, materiæ ideas destruunt, aut oppugnant.*

I. Primo, si materia æterna est, quænam erit *ejus natura*? Evidens est, tunc materiam a se, & essentia sua existere; ac proinde neque in natura sua, & perfectionibus aut a se, aut ab extrinseca causa limitari potuisse; si vero nullo modo limitari potuit, jam, & natura, & perfectionibus erit infinita; si ita materia infinita est, jam arenæ granum, ligni frustum, aquæ gutta, luti particula erunt totidem substantiæ natura, & perfectione infinitæ; quod manifeste falsum, & absurdum est, omnibusque materiæ ideis oppositum, quas ratio, & experientia nobis compararunt (759, & 761).

Frustra ad argumenti vim eludendam, & ad absurdum vitandum reponent materialistæ, arenæ granum, ligni frustum, argillæ cumulum ita ab eorum æterna essentia *in natura, & perfectionibus limitari*, essentiæ exigentia talem extensionem, talem soliditatem habere, & nihil ultra. Infirma sane responsio, quam non satis perpenderunt, qui hac sententiam suam fulcire arbitrantur.

In Dei creatoris hypothesi facile intelligimus

mus qua ratione arenæ granum, ligni frustum, argillæ cumulus non nisi illum habeant perfectionis gradum, quem illis suæ essentiæ omnino contingentis auctor, a quo omnino pendent, communicavit. At in hypothesi materiæ increatæ quomodo concipiamus, eorum essentiam independentem, necessariam, ita perfectam, ut æternum *fœcunda in sua propria existentia* fuerit, natura, & perfectione finitam esse?

II. Præterea si materia æterna est, quam *perfectiones illi propria* notam habebunt? Evidens est, si materia æterna est, hanc aliquas modificationes, aliquos existendi modos æternum habuisse; sine modificationibus enim, & sine aliquo existendi modo materia concipi nequit.

Si vero modificationes, & existendi modos æternum habuit; evidens est, hos materiæ essentiales esse; ut ipsa materia siquidem increati, & æterni sunt.

Si vero aliquas modificationes, & existendi modos essentiales habet materia, evidens est, a materia necessario hos inseparabiles esse, quam semel modificarunt; nulla enim substantia quidquam sibi essentiale amittere potest, quin esse desinat.

Quare evidens est, si materia quævis elementaris, puta, calamus, quo modo scribo, æternum extitit cum modificatione motus, *materiam hanc æternum motum iri*, quin unquam quiescere possit, aut motum ab eo, quem æternum essentia sua habuit, diversum admittere; & si materia quævis elementaris, (puta globus ferreus, aut plumbeus, quos e tormento bellico, vel e venatoria fistula pulvis pyrius jam jam ejaculaturus est), æternum extitit cum modificatione quietis, *eam æternum quieturam*, quin unquam motum concipere possit.

Atqui hæc omnia aperte falsa, & absurda sunt, & omnibus ideis ex adverso opposita,

quas materiæ nobis ratio, & experientia suffecerunt.

884. DEMONSTRATIO III. Dico tandem, *admittere tantum materiam creatam, esse sacris literis, perpetuæ veteris, novique populi Deo fidelis fidei, experientiæ, & rationi consentire;* ut cuique non obstinato animo rationi repugnanti facile est ostendere.

I. Experientia, & ratio de materia magis observationibus nostris obvia, & analogice de ea, quæ minus obvia est, concordes docent, ut antea demonstravimus, *materiæ inesse inertiam radicalem, & absolutam ejus naturæ perpetuo inhærentem*, sive universalem, & perpetuum intrinsecæ, & naturalis activitatis defectum; arenæ granum, limum, marmor, lignum, metallum, corpus quodcumque nullam a se veram activitatem habere; & si quam habet actionem, eam a causa a se distincta habere (758, & 880).

Per hos dies de intrinseca materiæ inertia, & activitatis defectu omnes philosophi vere hoc nomine digni, & naturæ studiosi cum Neutono, & Cartesio consenserunt.

II. Nonne igitur evidens est, substantiam, qualis materia est, quæ lapidem, exempli gratia, aut argillam constituit, cujus naturæ inest *inertia radicalis, & absoluta*, & universalis, ac perpetuus activitatis defectus, nunquam per se *æternum existendi principium* esse potuisse infinite activum, & fœcundum, unde propria ejus existentia emanaverit?

Nonne evidens est, hujusmodi principium æternum existentiæ supponere in materia, quæcumque sit, *essentialem, & infinitam activitatem*, quam ab hoc subjecto, materia scilicet quacumque, necessario, & evidenter excludit radicalis hæc inertia, quæ ubique apparet, & quæ ejus naturæ veluti basis est, & fundamentum?

Evi-

Evidens ergo est, materialem substantiam, eam, exempli gratia, quæ in atomos divisa, aut in elementa magnitudine, & figura diversa lapidem constituit, aut argillam, aut lignum, aut metallum, sibi non fuisse *æternum existendi principium*; quod in ipsa intrinsecam, & infinitam activitatem supponeret, quam evidenter non habet, & quam intrinseca ejus inertia evidenter excludit.

Evidens ergo est, substantiam hanc materialem, quæ existit, & a se existere nequit, accidentalem suam existentiam habere *ab aliqua substantia increata, & creatrice* a materia natura omnino diversa, quæ nihil cum intrinseca materiæ inertia commune habeat, & essentia infinite in se, & a se activa sit (761).

Evidens ergo est, substantiam hanc materialem a causa increata, & creatrice infinite activa, & æternum essentia sua existente accidentalem existentiam habentem, non potuisse esse cœpisse nisi *creatione proprie dicta*, quæ verus transitus est a nihilo, seu a pura possibilitate ad existentiam.

885. CONCLUSIO. Jam ostendimus, nulla ratione solida materiæ æternitatem probari: ex hac hypothesi absurda innumera consequi, hanc vero hypothesim iis omnibus adversari, quæ in materia experientia, & ratione ipsa dignoscimus.

Confidenter propterea petimus quid ultra requiratur, ut demonstretur, materiam non esse æternam; eam esse cœpisse, & non nisi creatione existere potuisse?

Evidens est, aliquid æternum existere, ceterum nihil modo existeret. Quare æterna alicujus existentia, sive Dei, sive materiæ, veritas est, earum, quæ humana mens amplectitur, maxime certa, ac demonstrata.

At quæritur quid illud sit, quod æternum extitit, Jam vero contradictoria, & absurda,

quæ hinc materiæ æternitatem consequuntur, hinc solida argumenta experientia suffulta quæ materiam creatam probant, evidenter ostendunt, ut vidimus, materiam non esse æternam.

Ergo materia nunc existens, actione extitit infinite potente, & activa *causa increata*, *& creatricis*, quæ non nisi illa esse potest, quam Deum dicimus. Ergo existentia materiæ existentiam Dei demonstrat. Ergo Deus existit. Q. E. D.

886. NOTA. *Cratio mundi hujus visibilis* dogma est ex præcipuis Hebræorum, & Christianorum, quod per successiva sæcula explicite, & perpetua traditione transiit in universam Judæorum gentem, in Christianos omnes, & Mahumetis asseclas, qui omnes semper tenuerunt, *Deum cœli, terræ, & omnium, quæ sunt, creatorem esse.*

Hoc ipsum Dogma eodem certe modo, sed fabulis deformatum, ad plurimas alias gentes veteres, novasque transiit. Exempli gratia.

Ad antiquos Persas, qui Oromazem, sive Ens supremum ajebant esse creatorem cæli, & terræ.

Ad omnes Bramhæ sectas, quæ tenebant, Ens supremum primo innumeras angelorum legiones creasse, deinde angelorum principi munus imposuisse cetera omnia visibilia creandi.

Ad fere omnes Æthiopas illius Africæ regionis, quam litus aureum vocant, qui tenent, Ens supremum increatum albos, & nigros homines, cælum quoque, & terram creasse.

Ad barbaros Americæ borealis Canadenses, Virginienses, Missisipienses, qui, teste Patre Hennepino, veram mundi visibilis creationem admittunt, at pluribus, iisque ridiculis, & absurdis modis illam explicant; & dogma hoc traditione servantes, fabulis eorum ignorantia, & barbarie dignis illud deformarunt.

EN-

ENTIUM CONSERVATIO.

887. Ut in ordine politico, & morali, ita in physico res iisdem principiis, quibus conditæ fuerunt, subsistunt, & conservantur.

I. *Elementa corporum*, sive substantiæ illæ elementares, quæ eorum sunt principia physica, & quæ ratio indicat esse infinite varia minimis eorum massis, & figuris, esse cœperunt *vera creatione*, libero effectu potentiæ infinite activæ; neque existentiam amittere possunt, nisi *vera annihilatione*, quæ non nisi ejusdem infinite activæ potentiæ, a qua existentiam habuerunt, effectus esse potest.

Quare elementa corporum inter quascumque mundi hujus vicissitudines semper necessario existent, donec Deus eadem potentia ad illa ad nihilum redigenda non utatur, qua ad illa creanda usus est.

II. *Orbes lucidi, & opaci*, immanes hæ materiæ massæ, quæ singulæ mundum veluti constituere videntur in diversis spatii infiniti partibus, neque ullum in se continere videntur dissolutionis, aut destructionis principium, a divini artificis manu diversis genericis finibus, constructæ, & elaboraræ fuerunt; nec esse desinent, donec in divina imperscrutabili mente perseveret *finis generalis*, ad quem a Deo in natura dispositæ fuerunt.

Quare barbarus, & hebes omnino sit oportet, qui timeat aliqua naturæ perturbatione, & ordinis varietate fore, ut aliquando sol noster extinguatur, & tellus confringatur. Si quando hæc corpora dissolvi, aut destrui debent, ut animantibus omnibus, & vegetantibus accidit; continget hoc non intrinseca earum constitutione, aut alio irregulari eventu; sed sola, & expressa Dei voluntate, qui nihil

hil in natura inepte disponit, sed potest in illa nihil velle, quod æternum sit.

III. Variæ *animantium*, & *vegetantium species* totidem veluti microcosmi sunt, constitutione, & legislatione infinite varii, quos singulos Deus initio peculiari cuique fine creavit, & quos perpetuæ destructioni subjecit perpetua constitutivorum physicorum alteratione; & perpetuo voluit existere perpetua eorundem physicorum principiorum reproductione.

Quare variarum animalium, & vegetantium specierum existentia inter tot intima destructionis principia, & tot destructionis causas, quibus obnoxiæ sunt, necessario consequitur in immutabilibus Dei decretis ex mira organica cujusque speciei structura (342).

888. NOTA I. *Entium conservatio* postremis duobus sæculis magnas inter philosophos controversias excitavit.

Consentiunt omnes, magnum hoc phænomenon Dei opus esse; non ita vero in ejus natura, & modo, quo fit, concordes sunt.

889. EXPLICATIO I. Per Deistarum potiorem numerum, & per Leibnitium, qui nihil cum Deistis commune habet, entium conservatio non nisi *indirecta* est; consistens scilicet in causarum destruentium defectu.

Per hos itaque res in primo statu perseverant vi primæ actionis, qua extiterunt, & cui nihil opponitur; ita ut, si Deus esse desineret, natura adhuc suo ordine procederet, &, ut est, perseveraret ratione primæ constructionis, primi motus illi impressi, & legum generalium, quibus ab initio subjecta fuit.

CONFUTATIO. Patet, sententiam hanc consentaneam non esse notioribus, quas nobis præbet sana philosophia de supremo Dei dominio, de materiæ inertia, de animæ natura, de motus phænomenis; ut ex dictis, & ex dicendis facile apparebit.

890.

890. EXPLICATIO II. Cartesius, cujus sententiam Bayleus avide amplexus est, sensit entia censervari *conservatione directa positiva, qua est permanens omnium physicorum constitutivorum creatio.*

Quare in hac sententia substantiae materiales, & immateriales postquam a Deo creatae fuerunt, in se habent *intrinsecam tendentiam ad nihilum*; ita, ut si vel unico instanti potentia, quae eas creavit, in ipsas agere cessaret, ut in earum creatione egit, ipsae a se, nulla Dei actione, nulloque decreto ad nihilum, a quo eductae fuerunt, reverterentur.

CONFUTATIO. Patet sententiam hanc cum sanae philosophiae notionibus de creatione, & libertate conciliari non posse.

I. *Creatio* est, ut in scholis dici solet, *transitus a non esse ad esse*. Qui vero dici possit, substantiam existentem a non esse ad esse perpetuo transire? Ad hoc opus esset, ut simul existens esset, & non existens.

II. Substantia intelligens, ut homo, aut angelus, *liber* esse nequiret *primo suae existentiae momento*, etsi quibusvis mentis luminibus donatus supponatur; neque enim primo hoc momento animadversio, deliberatio, determinatio exerceri potuerunt. Si ergo per saeculum quovis instanti haec substantia creatur; quodvis hujus saeculi instans illi erit, quod primum suae existentiae instans fuit; instans scilicet sine libertate.

Hoc ipsum fuit, quod celebrem sophistam Bayleum ad Cartesii sententiam de entium conservatione tanto studio amplectendam impulit. Vidit enim, sententiam hanc semel statutam illi in religionem arma suggerere; nec diu neglexit illis magna eloquentia uti in hominum libertatem, quae universae religionis fundamentum est.

891. EXPLICATIO III. Per potiorem, sa-

pientioremque philosophorum numerum entium conservatio est *conservatio directa negativa*; quæ est simplex perseverantia, seu non revocatio *decreti liberi*, *& efficacis*, quo res initio temporum extiterunt.

I. Concipimus, si Deus in res existentes agere cessaret, omnes adhuc extituras, at sine actione, in iisdem spatii partibus, in quibus essent eo momento, quo Dei actio cessaret.

Hæ res tunc actione, & motu essent destitutæ, earum enim actio, & motus a Deo est; nulla tamen ex his substantiis in nihilum rediret; neque enim magis a se in nihilum redire possunt, ac a se creari possint; neque minor potentia, aut actio requiritur ad aliquid in nihilum redigendum, quam opus fuerit ad illud e nihilo educendum.

II. Quo igitur sensu in postrema hac sententia verum est, *conservationem perseveranti creationi æquivalere*, puta, in homine? Hoc sensu, quod si Deus vel unico instanti motum, & actionem producere cessaret, a quibus vita hominis pendet; homo illico interiret.

Hominis corpus, & anima adhuc subsisterent; etsi Deus in utrumque agere cesseret. At in hac hypothesi binæ hæ substantiæ omnino inertes quavis actione destitutæ nihil altera in alteram influerent, non amplius homo ideas, cogitationes, sensationes, sensus, motum, vitam haberet.

Quare quodlibet vitæ nostræ instans quin re ipsa nova creatio fit, nobis vere, & re ipsa semper Dei auctoris nostri novum beneficium est, quo vivimus, agimus, sumus; ut monebat Apostolus maxime excultæ nationis principes Areopagitas: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus*. Act. 17. v. 28.

892. NOTA II. At vero a quo tempore habetur hæc *rerum conservatio*; seu a quo tempore mundus iste ita dispositus, quem videmus, existit?

A se-

A sexaginta, aut septuaginta sæculis juxta Moysis chronologiam: a multo majori sæculorum numero juxta fabulosas Indorum, veterum Ægyptiorum, & Chaldæorum chronologias; ab indefinito sæculorum numero, juxta Epicurrum: æternum, juxta Aristotelem, & veteres Academicos.

Inter quatuor has sententias postrema, Aristotelis scilicet, in se, & per se absurda evidenter est. Tertia, Epicurri, systematis evidenter falsi, & chimærici corollarium est. Altera veterum Indorum, Ægyptiorum, Chaldæorum fabulatorum, omni probatione, ac probabilitate denudata est. Prima, Moysis discipulorum, unica historiæ, criticæ, rationi est consentanea, ut in quinta sectione nostræ philosophiæ religionis fusius ostendimus.

OBJECTIONES CONFUTANDÆ.

Quibus innititur atheismus, ut demonstrationes existentiæ Dei *a physico rerum ordine* deductas eludat, sunt casus, combinationum theoria, materiæ ignotæ vires, entis immaterialis ἀκατάληψις, mundi æterni, & æternis vicissitudinibus obnoxii hypothesis. Hæc omnia apertam in lucem proferentes ad trutinam revocemus.

CASUS FORTASSE PULCHERRIMI HUJUS NATURÆ ORDINIS CAUSA,

893. Omnium fortasse validissima, & eloquentissima existentiæ Dei demonstratio illa est, quæ *a pulcherrimo naturæ ordine* desumitur.

At pulcherrimus iste ordo in universa natura conspicuus existentiam Dei non demonstrat, principii infinite intelligentis, & activi, si fieri possit, ut præsens naturæ dispositio casus tantum effectus sit. Atqui hoc fieri potest, nul-

lo intelligente principio hunc ordinem dispo-nente. Probatur.

Infinitus atomorum numerus, casu, & nullo consilio in immenso vacuo motarum infinitas diversas combinationes evidenter admittere potest. Atqui in infinito diversarum combinationum numero & præsens naturæ combinatio evidenter continetur. Ergo hæc evidenter una ex illis est, in quam coire casu potuerunt infinitæ atomi casu, & nullo consilio in motu positæ.

RESPONSIO. I. Longe minus absurdum esset aut regium Parisiense palatium, aut Romanum Divi Petri templum, præclara artis miracula, casu erecta fuisse fortuito lapidum concursu, nulloque dirigente architecto, sive alia duo ingenii miracula, Iliadem, & Æneidem casu in aliqua typographia, aut terræmotu, aut fortuita typorum projectione composita fuisse, nulla mente immortalium horum poematum pulcherrimas res, atque imagines disponente; quam cum atheis velle, *pulcherrimum rerum ordinem*, qui in universa natura conspicitur, nulla intelligentia, & simplici casu, atque atomorum concursu prodiisse.

Quare ergo primum absurdum nullos unquam assertores habuit, alteri, etsi longe majori, nunquam defuerunt? ratio hujus est, quia hominum parum interest fuerint ne Clagnyus, aut Perrotus in Gallia, Bramantes, & Michael Angelus Bonarotus in Italia, Homerus, & Virgilius apud Græcos, & Romanos; multum vero effrænatarum humanarum cupiditatum interest, in natura Deum esse infinite sapientem.

II. Infinitus atomorum casu agitatarum numerus infinitas habere potest *combinationes irregulares*, in quibus nullus ordo genericus apparebit a peculiaribus partium ordinatis dispositionibus resultans; cujusmodi sunt ædificii ali-

cu-

cujus diruti rudera, aut typorum terræmotu everſorum cumulus.

At infinitus atomorum cumulus caſu motarum *regularem combinationem admittere* nequit, in qua cauſæ effectibus, media finibus reſpondeant, totum ubique partibus, & hæ ſibi ipſis invicem conſentiant. Patet, hanc combinationem, quum datur, neceſſario ab intelligentia procedere, quæ operi, in quo elucet, præfuerit. Atqui hujuſmodi evidenter eſt, quæ in mundo hoc viſibili apparet, rerum diſtributio.

III. Etſi falſo ſupponeremus, fortuitum atomorum concurſum in univerſa natura *eandem partium juxtapoſitionem*, efficere potuiſſe, quæ modo habetur, non propterea atheiſmus pulcherrimi hujus ordinis, quem in mundo invitus videt, vim contra ſe pugnantem eluderet.

Neque enim eſt ſimplex elementorum juxta poſitio, quæ *mirum hunc naturæ ordinem* efficit; eſt vero conveniens proprietatum phyſicarum delectus in diverſis ſubſtantiis elementaribus quodvis totum conſtituentibus, qui ordinem parit; exempli gratia, hic partium magis, minuſve adhærentium delectus, ibi partium magis aptarum motum admittere, & aliis communicare, eumque tali, vel tali quantitate, illic partium aptarum motui reſiſtere, & nimiam actionem impedire, aliaque hujuſmodi.

Omnino in naturali hiſtoria, in anatome, in chemia, in phyſica, in ſana philoſophia jejunus ſit oportet, qui ſuſpicetur, hunc rerum delectum, a quo *mirus hic ordo naturæ* exurgit, tum in toto, tum in partibus ſingulis ab atomorum concurſu emergere potuiſſe, & a ſimplici atomorum juxta poſitione perſeveranter perdurare.

IV. Alibi adnotavimus, caſum, ut ab atheiſmo concipitur, fatuitatem eſſe ab omni philoſophiæ, & rationis imperio eliminandam (804).

Patet, inanem atheismi casum nihil unquam præstare posse; eosque, qui aliquando *casus effectus* dicuntur, ut inopinati eventus, ut concretiones, & stalactites quædam, aliaque hujusmodi, quæ mira videntur, nihil commune habere, cum eo casu, quem perperam atheismus supremum naturæ artificem esse vellet.

Hi effectus casus philosophico oculo inspecti a *generalibus legibus* consequuntur a supremo naturæ auctore in ipsa libere statutis, & ad sapientissimos fines suos ordinatis; nec casus opera dicuntur, nisi ut indicemus, nos modum ignorare, quo in illis generales naturæ leges ad phænomenon efficiendum operatæ sint.

FORTUITARUM COMBINATIONUM EFFECTUS ALIQUANDO IIS SIMILES, QUI AB INTELLIGENTE PRINCIPIO DIRIGUNTUR.

894. OBJECTIO II. Certum ne est, casu in natura *regulares combinationes* produci non posse? an non contra ex ipsa combinationum theoria demonstratum est, aliquando casu rerum combinationes regulares fieri posse, quæ ingenii intelligentis opus videbuntur? exempli gratia typi casu projecti; cur Horatii, aut Russoii odem, Sophoclis, aut Cornelii tragœdiam, Homeri Iliadem, aut Virgilii Æneidem componere non poterunt? Ut hæc probem sumo prima quatuor Æneidos verba: *Arma, virumque cano*, & sic procedo.

Notæ typographicæ quatuor vigintiquatuor combinationes admittunt; si ergo quatuor tantum typos conjungere deberem, quibus prima Æneidos vox: *Arma* conficitur, unius sponsionem facere deberem contra viginti quatuor, me eos casu fortuitó conjungentem effecturum regularem combinationem *Arma*. Ergo illos vicies, & quater casu componens, pari utrinque spon-

sponsione, unius scilicet, & unius, mihi contendendum erit, me hanc eandem regularem combinationem effecturum (Mathem. 114).

Sexdecim notæ diversis combinationibus 3327591769676800 componi possunt. Si ergo sexdecim tantum notas componere deberem, quibus prima quatuor Æneidos verba constant, unum deponere deberem contra 3327591769676800, me regularem combinationem effecturum: *Arma, virumque cano*; ergo iterum par utrinque sponsio facienda esset, si contenderem, casu me componentem vicibus 3327591769676800 hos sexdecim typos, hanc eandem regularem combinationem effecturum.

Itaque semper numeros augendo pro ratione numeri typorum casu componendorum, & vocem voci, versum versui addendo, tandem unius contra unum sponsio mihi facienda erit, immenso sæculorum numero tandem in eam combinationem incidere debere, quæ integram Æneidem referat.

Quum itaque casus eam notarum typographicarum dispositionem adducere possit, quæ Æneidem referat, quare casus idem fortuita atomorum conjunctione, ut Epicurrus arbitratus est, nequeat eam regularem conjunctionem efficere, quæ sit hæc rerum universitas?

RESPONSIO. Magnus Neutonus, qui omnium optime combinationum theoriam callebat, nullam graviorem de Dei existentia demonstrationem haberi arbitrabatur, quam quæ a *pulcherrimo hoc naturæ ordine* desumi potest, Recens sophista Premontvallius aliter a Neutono, ceterisque recte cogitantibus sensit. Ab ipso primum excogitata fuit inanis objectio nunc confutanda. Porro hæc contradictoria sibi est; intelligentiam enim ibi supponit, unde intelligentiam vult excludere; casum inde excludit ubi vult casum agere; omnes rerum ideas evertit, ut minus absurda atheorum sententia videatur,

I. Ra-

I. Ratiocinium, quo contenditur, *Æneidem puro casu, nulloque consilio componi potuisse*; nonne sibi contradictorium est?

Hoc primo supponit notas typographicas preexistentes, quibus literæ insculptæ fuerint aptæ Æneidem conficere potius, quam Iliadem, aut poema aliquod Arabicum, aut Sinicum: quibus non habitis, omnia ruunt. At enimvero notæ hujusmodi, ita aut conflatæ, aut insculptæ nonne intelligentiam supponunt, quæ iis efformandis præfuerit; & quæ eas efformans finem aliquem intenderit, & finem unum potius, quam alium?

Supponit deinde hoc ratiocinium, typos hos unum in locum omnes coadunatos esse: ibi manum agentem esse, & hanc illos casu colligentem velle tamen eos disponere lateribus ad verba referenda opportunis; ibi, si capsulæ, & prælum, & atramentum desit, esse tamen solum stabile, & perpetuam fulcrorum seriem; quæ typos hos & ante, & post fortuitam eorum combinationem regant. At vero hæc omnia casum ne tantum supponunt? nullum ne mentis intelligentis consilium, quod typographicam hanc Æneidos editionem, aut præcesserit, aut comitatum fuerit?

Abeant modo typi hi casu per immensum spatium lati, alii supra, alii infra, alii boream, aut austrum versus, alii ad ortum, aut ad occasum; & interea donec sua Æneis efformetur, illi otium supererit, quo ideas suas rectius componere possit.

Quid igitur ex hoc ratiocinio, quod philosophice spectatum aliquid verum falso mixtum habet, inferri poterit? nihil sane quod irreligioso sophistæ faveat; neque casum ante naturam & ejus leges quidquam regulare ullo modo parere potuisse; tantum vero: *posita natura, ejusque legibus, posse ex combinationum legibus regulares quasdam combinationes fieri, quas cau-*

causa immediata illas producentes non intenderint.

Exempli gratia, talis ludenti unius contra triginta sex sponsio facienda esset, se quovis talorum jactu duodecim habiturum; & unius contra duodeviginti, se quinque, & quatuor prolaturum, & sic de ceteris. Pari modo in sortibus ducendis, in quibus millies mille sortes sint, unum mihi contra millies mille sponsione deponendum esset, me primam sortem, unam tantum extrahendo, ex urna educturum. Pari adhuc modo typos quatuor, qui primam Æneidos vocem referunt, eos tamen in opportuna latera conversos, casu conjungens, unius contra viginti quatuor sponsionem facere deberem, me regularem combinationem vocem hanc referentem effecturum.

Item legimus, pictorem iracundia, & tædio correptum in tabulam penicillum colore imbutum conjecisse, in qua frustra diu canis anhelantis os spumans effingere studuerat; atque hoc fortuito jactu egregie spumam illam pictam fuisse, in qua frustra pictor pingenda desudaverat. Si vera res est, hæc quoque legum combinationum sequela est; pictor nempe ita penicillum conjiciens, illi, nullo consilio, motum eum ipsum mechanicum indidit, qui ad spumam hanc in canis ore fingendam requirebatur; eo prorsus pacto quo talis ludens iis nullo consilio eum motum imprimit, qui ad numerum, qui emergit, producendum est necessarius. (804).

III. Certum est *in natura dari combinationum leges*; imo eas calculo definiri posse. At leges hæ non modo mirum hunc naturæ ordinem, & miras motus leges, quibus natura dirigitur, efficere non potuerunt; imo vero ipsæ *ab hoc ordine, & ab his legibus* pendent; quæ nec esse potuerunt, nec perseverare possunt, nisi intelligentia infinite sapiente eas producente,

te, & conservante; a qua omnia in natura disposita fuerint, & a qua leges naturæ immutabiles fuerint impositæ aptæ hunc ordinem, & partium dispositionem perpetuo in ipsa servare.

Impium ratiocinium, quod confutamus, rerum ordinem universum pervertit, in natura combinationum leges statuit, quæ non nisi præsentis naturæ ordinis, & motus legum sequela esse possunt, antequam & naturæ ordo, & motus leges existerent. Imo & eo vitio laborat, quo cetera omnia atheismi ratiocinia, *petitione* scilicet *principii*, quæ id ipsum, quod statuendum esset, jam statutum supponit.

IV. Exultat ratiocinator hic noster dum *suam combinationum theoriam Epicurri atomis applicat*. Habeo, inquit, atomorum numerum finitum, qui propterea finitum tantum combinationum numerum admittit: habeo sæculorum numerum infinitum, qui infinitos mihi exhibet in his atomis diversos motus, ac proinde infinitos veluti fœcundos jactus infinitis diversis combinationibus. Si hos diversos atomorum motus per infinita, quibus extiterunt, sæcula consideremus veluti totidem peculiares jactus casu factos, patet, finito jactuum numero æquali finito combinationum numero, quas hæ atomi admittere possunt, mihi pari utrinque sponsione contendendum esse, *præsentem naturæ combinationem* eventuram; & in jactuum numero centies, seu millies millies, sive infinities majore, quam numerus combinationum sit, quas hæ atomi possunt admittere, mihi sponsionem faciendam esse centum, seu millies millium, sive infinite magnam contra unitatem, me hanc naturæ combinationem assecuturum. At vero æternus atomorum motus in vacuo infinito nonne æquivalet infinitis singularibus jactibus, qui casu fierent?

Nego, æquivalere. Æternus atomorum motus quaquaversum in vacuo infinito infinitis pecu-

culia-

culiaribus jactibus non æquivalet, qui casu fierent contra obstacula apta illas continere, & cogere, ut quavis vice novas inter se combinationes inirent. Quum enim atomi duæ supponerentur æternum divergentibus directionibus moveri, quam quæso in dies, & sæcula combinationem invicem facerent, motu illas æternum magis magisque sejungente?

V. At enimvero si & adversario *quatuor illa falsa* concederemus, *qua sua theoria se statuere arbitratur*; atomos scilicet æternum extitisse, eas æternum moveri, leges combinationum æternum extitisse; & ab his tribus unico instanti *eandem atomorum juxta positionem* enasci potuisse, quæ nunc in natura est; quid tandem sententiæ suę favens concessissemus? Nihil. Quid enim ex hisce deliriis consequetur? Hoc unum, nempe hanc atomorum juxta positionem, quam tanto labore aliquo æternitatis instanti assequutus est, immediate subsequenti æternitatis instanti necessario destructum iri, quo necessario nova orietur juxta positio atomorum & nova rerum combinatio; ut in cylindris ferreis, in quibus caffæi semina torrentur, præsens eorum juxta positio, quam a cylindri rotatione obtinent, immediate sequenti instante eadem rotatione mutatur. Quæ quum ita sint ab omnibus adversarii nostri conatibus nihil unquam consequetur, quod miro huic naturæ ordini, quem ipse casu ortum vellet, vel minimum quidem comparari possit.

VI. Innumeris aliis modis hæc sophismata conteri, & everti possent; at enimvero non hoc operæ pretium est. Nemini illa ratione utenti fucum facient. Quum minus absurdum atheismum his exhibere nitatur auctor, homines erudiet, non majorem in hoc stadio gloriam sperandam esse, in quo frustra Epicurrus, & Lucretius longe majori ingenio desudarunt, quam hactenus eorum asseclę adepti sint, & de

in-

incredulitate æque ac de moribus verum esse Horatii effatum: parentes natis præstare. *Ætas parentum pejor avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem.*

MATERIÆ VIRES IGNOTÆ FORTASSE CAUSA PHÆNOMENORUM OMNIUM, QUÆ IN NATURA CONSPICIUNTUR.

895. OBJECTIO III. Materiæ natura, & poprietates nobis satis notæ non sunt, ut definire possimus quousque ejus vires extendantur; ut statuere possimus, ipsam sese disponendi, & in organa conformandi facultatem non habere. Non ergo asserere possumus, materiam ad mirum hunc rerum ordinem, quem in mundo conspicimus, efformandum ineptam esse; ipsam aut animal, aut vegetabile effingere non posse; & alia hujusmodi.

RESPONSIO. Hac objectione ea omnia continentur, quibus Atheismus, & Materialismus aut impugnant, aut se tuentur. Itaque opportunum est ostendere quam inanis, & lapsabunda sit, quam religioni, & philosophiæ injuriosa; quamque frustra repetatur ab iis, qui illam tam sæpe non objiciunt, nisi quia ejus principia nunquam bene perpenderunt.

I. In sententia discipulorum Neutoni, Cartesii, Lockii, Malebranchii, recentiorumque philosophorum, qui rejectis veteribus Aristotelis entelechiis, ipsas pariter Leibnitii monadas admittere recusarunt, *materia ex se, & natura sua nullam omnino potentiam, aut vim habet*; quidquid vero actionis in se habere videtur, illi extrinsecus accidit a permanente summi sui Auctoris actione ad quasdam immutabiles leges ab ipso statutas. (1216, 1219, 1222).

Quare inter philosophos nemo est per hos dies, præter eos, qui *veteres entelechias*, & *occul-*

occultas qualitates Peripateticorum a Leibnitio in sua monadum sententia ab oblivione revocatas, adhuc tuentur, qui sentiat, activas materiæ vires non satis dignosci, ut definiri possit quo usque ejus vis, atque energia, & activitas extendatur; per philosophos omnes siquidem materia potentia est iners tantum, & passiva. (177, & 759).

II. At vero, sint adhuc qualitatum, & virium occultarum in materia assertores. Facile erit iis ostendere, a viribus his occultis materiæ recto ratiocinio manifesta absurda plane consequi.

Ratiocinio enim ei plane simili, quo utuntur materialistę, ut probent, non constare *mirum naturæ ordinem* a materia non prodiisse, propterea quia omnes materiæ vires, & proprietates non cognoscimus, pari soliditate, & ad dialecticæ leges ostendam ego, neque definitum esse, Iliadem, aut Æneidem, quam forte sub scrutis, aut in veteri arca repererim ab hac ipsa arca primitus productas fuisse, propterea quia non satis constat quibus occultis viribus, ac proprietatibus instructa sit hujus arcæ materia; imo eadem dialectica ostendam, definitum non esse, hujus arcæ, aut aliam quamvis materiam efficere nequire circulum quadratum, sphæram cubicam, hominem anima, & corpore destitutum, partem toto majorem, quantitates duas tertiæ æquales, & inter se inæquales; fieri enim potest, ut inter ignotas materiæ vires aliqua sit hæc portenta apta producere.

Quum hæc absurda in hoc ratiocinio materialista plane sentiat, sui absurda non sentiet? Omnia eodem principio innituntur, eidem objectorum speciei applicata, ad eandem formam & ad idem exemplar confecta. Si unum absurdum est, cur non & alterum?

III. Etsi materia quidquid in ipsa virium, aut

aut proprietatum cernimus a se haberet; adhuc saltem certum est, *in materia ignotas vires, aut proprietates supponi non posse, quæ cum proprietatibus in ipsa perseveranter notis stare nequeant.*

Quare quum experientia, & observatio nos plane certos fecerit, materiam non nisi gradu finito aliquam *positivam proprietatem* habere; asserere potero, eam hanc ipsam proprietatem gradu infinito non habere, etsi universas materiæ proprietates non cognoscam.

Pari modo quum experientia, & observatione plane certus ero, materiæ *proprietatem aliquam negativam* preseveranter inesse, puta, se ipsam loco movendi incapacem esse; quin universas ejus proprietates agnoscam, asserere potero, ipsam positiva proprietate huic e diametro opposita non gaudere.

Evidens ergo est, etsi omnes materiæ proprietates non cognoscantur, adhuc cognosci posse, eam proprietatibus carere, quas ipsi inesse vellet ineptum hoc atheismi sophisma. Hoc jam ad illud evertendum satis, superque est.

IV. Materiæ naturam non ita dignoscimus, ut *accurate definire possimus* quousque ejus vis, ac potentia feratur; aut ut decernere possimus omnes, quas habet proprietates, effectus, ac phænomena omnia, quæ parere potest.

At ejus naturam satis novimus, ut *negative* virium suarum, ac potentiæ sphæram *definiamus*; sive ut certi simus, iis quibuscumque, quas habet, viribus, & proprietatibus sive notis, sive ignotis, hæc, aut illa phænomena, hos, vel illos effectus parere non posse, qui in sua causa proprietates necessario postulant, quæ cum materiæ proprietatibus omnino stare nequeunt.

Quæ quum ita sint, etsi explicite omnes materiæ vires, & proprietates non cognoscam, experientia, & ratione mihi demonstratum est, ma-

materiæ proprium esse *activitatis defectum*, quo inepta est sibimet motum imprimere; & *intelligentiæ defectum*, quo inepta est, saltem priusquam organice efformata sit, a se cognoscere quid bonum, quid malum sit tum in ordine morali, tum in physico, tum in metaphysico, & pure intelligibili.

Brevibus verbis, mihi experientia, & ratione demonstratum est, materiam natura sua inertem, & intellectu carentem esse; quæ duæ proprietates negative infinitam eam activitatem & intelligentiam a materia excludunt, quas proprietates mirus in natura universa, ejusque partibus rerum ordo in sua causa necessario postulat.

V. Quum materiæ proprietates, ac vires nominamus, facile intelliges nos illi proprietates aut vires activas non tribuere ab intima ejus natura emanantes; nihil enim in ea has proprietates, aut vires indicat; quidquid vero in ea proprietatum, aut virium est a naturæ auctore, & ab ipso tantummodo emanare potest. (759, & 762).

Quare hic de materiæ proprietatibus loquentes ab earum principio præscindimus: tantum dicimus, etsi hæ a materia ipsa emanarent, non propterea aptam fuisse *mirum rerum ordinem* producere, qui in natura conspicitur, & qui non nisi a substantia a materia distincta, proprietatibus materia infinite excelsioribus, & nullo pacto illi convenientibus donata, proficisci potest.

DEUS FORTASSE MATERIÆ ENERGIA, SIVE IDEA ABSTRACTA, ET AMPLIATA HUMANARUM PERFECTIONUM.

896. OBJECTIO IV. Nullam nobis ideam ejus effingere possumus, quem theologi Deum vocant. Hic vero theologorum Deus non nisi

ma-

materiæ energia esse potest, quam inscitia, & timor divinitatem a materia, ejusque proprietatibus distinctam effecerunt; sive *inanis perfectionum collectio*, quæ simul stare nequeunt, magna ex parte ex hominis idea mutuatarum, quas mens sola collegit, & amplificavit objectum abstractum efformans, quod non nisi in idea existere potest.

Cælum intonuit, mare fremuit, tellus contremuit, ignis aut immensas silvas absumpsit, aut immanes montes disjecit; & ignarum vulgus terrore percitum ignotam horum horrendorum phænomenorum causam temere adoravit, quæ non nisi ipsa naturæ energia esse potest.

Admiratione perculsi homines aliquem viderunt ceteris eminere virium robore, alium mentis acumine, hunc justitia, illum clementia, beneficentia, aliisque virtutibus. Eorum mens virtutes has exaggeravit, atque præter modum amplificavit: eas a subjecto abstrahens sejunxit; ac deinde in cumulum omnes colligens *unum totum* per ideas confinxit infinite magnum, atque perfectum. Hoc vero Totum mente confictum, & perfectionibus, quæ simul stare nequeunt, confertum, ab homine abstractum, & ex homine formatum hominis Deus factum est.

Ceterum si quod in natura bonum, & recte ordinatum est Dei theologorum existentiam probat; quod in illa malum, & nullo ordine accumulatum est, hunc Deum non existere probat.

Hoc re ipsa sophisticum ratiocinium est auctoris systematis naturæ, de cultus religiosi in hominibus origine, cultu, & objecto. (816).

RESPONSIO. Tria, vel quatuor patenter falsa hac objectione continentur, quæ palam proferre valde opportunum est.

I. Falsum est primo, ut experimentali sensu cuique innotescit, nullam nos ideam ejus habere

bere posse, quod philosophi, & theologi Deum vocant; sentio enim, me optime percipere quid theologi, & philosophi intelligant definitione, quam Dei tradunt; patet vero id cujus nulla haberi potest idea, concipi non posse. Quod vero ego sentio, quilibet alius æque sentire potest.

Quum de Deo cogito nullam ideam habere possum illi similem, quam materiæ habeo; ut de materia cogitans nullam ideam illi similem, quam Dei habeo, habere possum. At Dei ideam habere possum, & habeo illi similem, quæ haberi debet substantiæ infinite natura sua intelligentis, & activæ, omnino a materia diversæ, & perfectione materiam infinite superantis.

Ideam, quam Dei habeo, non adæquata, & comprehensiva est, quæ mihi quidquid ejus objectum est exhibeat; si vero hic defectus est, idem defectus ideis inest mihi materiam, animam, aquam, aerem, ignem referentibus; quæ sane ideæ veræ sunt. Attamen idea, quam habeo, Dei, etsi incompleta, ut omnes necessario sunt rerum omnium physicarum ideæ, tamen satis clara, & distincta est, ne ejus objectum cum alio confundam: nihil vero præterea hac in re rigidior philosophia postulare potest. (107, & 412).

Hæc idea Dei in nobis efformatur ut ipsa materiæ idea; neque hæc sane in objecto suo illa clarior est. (217, 317, 323, 481, 854, 1392).

II. Falsum deinde est, ut nos docet historia gentium omnium, quæ unum Deum adorant, eas Deum hunc adorantes, non nisi *materialis naturæ energiam*, juxta ipsarum principia, & ideas, adorasse.

Naturalis instinctus, atque ipsum naturæ lumen, undecumque sit ortum, homines rationis participes ubique docet, in visibili natura *invisibilem potentiam* esse, a qua natura ipsa pen-

pendet, quæ in ea bonum, & malum distribuit, nihilque habet cum hac natura commune. Porro hæc invisibilis potentia ipsa est, quæ colitur a gentibus unum Deum adorantibus.

In calamitatibus consternatæ gentes *invisibilis hujus potentiæ* opem implorant, quæ elementis dominatur, & bona, aut mala pro sua voluntate distribuit; at nunquam profecto de aeris, ignis, maris mugientis, terræ concussæ, atque hiantis energiæ ope imploranda cogitaverunt.

Ipsa divinitatis existentis idea in gentibus religiosam spem, aut ejus religiosum metum excitavit; non vero timor existentis divinitatis ideam, aut persuasionem peperit. Quod vero impius poeta cecinit, timorem scilicet Deos fecisse, id philosophis non nisi poetica, at absurda idearum eversio videri potest. *Primus in orbe Deos fecit timor.*

At quæso quid atheis est hæc *materiæ energia*, quam veluti Achillem suum tanti faciant? Hoc definire semper magno studio declinaverunt. Si de hoc illos urgeas, cito nosces, hanc materiæ energiam in eorum ideis indigestis nihil tandem esse nisi inane nomen, & *qualitatem occultam* peripateticis magis tenebricosam; ut non semel monuimus. (759, 762).

III. Falsum quoque est, ut optime norunt qui aliquam philosophiæ & theologiæ navarunt operam, Deum theologorum esse tantum *humanarum perfectionum collectionem, quas phantasia indefinite amplificaverit.*

Per omnes philosophos, & theologos Deus non jam est perfectionum mente aggregatarum collectio, sed *unica* est *substantialis perfectio* infinita, & natura infinite simplex; quæ quidem metaphysica abstractione in infinitas diversas perfectiones dividi potest ratione æquipollentiæ suæ intrinsecæ perfectionibus omnibus,

bus, quae excogitari possint; at re ipsa & in se per philosophos, ac theologos omnes una, atque unica est, infinita, & natura infinite simplex. (921, & 940).

Philosophi, ac theologi in hominibus deprehendentes intelligentiam, fortitudinem, rectitudinem, veracitatem, justitiam, clementiam, aliasque hujusmodi virtutes, censuerunt quidem limitatas has hominum perfectiones ab aliqua invisibili substantia derivari, quae natura sua esset infinite intelligens, activa, potens, omni denique perfectionum genere infinite cumulata; nunquam tamen ita stolidi fuerunt, ut ex humanis perfectionibus mente cumulatis sibi objectum cultus confingerent.

Ceterum humana intelligentia, aut fortitudo, exempli gratia, duplicata, quadruplicata, & indefinite aucta nunquam erit nisi quid finitum, & limitatum, nullo pacto infinitae intelligentiae, & potentiae conferendum, quam in Deo philosophi, & theologi concipiunt, & adorant. Iniquum igitur est censere, has illarum tantum amplificationem esse. (449).

Deus itaque philosophorum, & theologorum nullo pacto collectio est mente conficta inanium perfectionum; at est *substantia infinite simplex*, cujus existentiam universa visibilis natura demonstrat: *substantia perfectione infinita*, cujus perfectio, quocumque modo mente concipiatur, & dividatur, nihil habet simile perfectioni cuicumque, quae in visibili natura deprehendatur. (265, & 940).

IV. Falsum denique est, mala, & ordinis perturbationem, quae in visibili natura sint, demonstrare Deum non existere; etsi verum sit, bona, & ordinem Dei exstentiam demonstrare.

Ordinis, & bonorum existentia necessario in visibili natura causam primam supponunt, a qua hic ordo, & haec bona sint: Porro prima haec causa, ut jam tot modis demonstravi-

mus, non nisi id, quod Deum dicimus, esse potest.

Mali, & ordinis perturbati existentia ità Dei non existentiam non demonstrant, ut imò certissime Deum existere demonstrent. Hoc malum siquidem, hæc ordinis perturbatio in aliquo tandem sunt, in quo omnia mala non sunt, nec ordine perturbato: hoc vero, in quo omnia nec mala sunt, nec ordine perturbato, puta, homo, brutum, tellus nostra existere non potuit, etsi, si ita lubeat, malis, & ordinis perturbatione deformata, nisi ejus actione, quem nos Deum dicimus. (948, 950).

Quare mala, & ordinis perturbatio in natura visibili duas præcipuas veritates tantum probant, quas fusius sequenti sectione statuemus: absolutam scilicet perfectionem in rebus creatis repugnare; & rerum creatorem esse natura, & actionibus suis infinite liberum. (960, & 966).

Eadem ratione mala, & ordinis perturbatio in natura visibili *duorum primorum principiorum oppositorum* existentiam non probant, qualia Manichæi admiserunt; possunt enim non probare nisi aut libertatem, aut justitiam primi unici principii, quod in natura supremum dominium habeat. Ceterum duo prima principia, quæ Manes admisit, essentia ipsa repugnant, ut alibi ostendemus. (930, & 950).

ENTIS IMMATERIALIS, A QUO MATERIALIS NATURA CREATA, ET ORDINATA FUERIT, INCOMPREHENSIBILITAS.

897. OBJECTIO V. Facilius est materiam se modificantem, atque ordinantem percipere, quam ens invisibile, a quo modificetur, & ordinetur. Ibi unica occurrit difficultas, percipere scilicet qua ratione materia agat; hic bi-

hæ

næ occurrunt, nempe & materiam percipere, & ens invisibile in ipsam agens.

Ceterum quid absurdi accidet si dicamus, terram, & aquam, exempli gratia, paulatim in vegetabilia, in fossilia, in animalia transformari? quare hæc elementa non dixerim apta a se & suis viribus facere, quod illa quotidie facere vides?

Terra, & aqua, fortasse dixeris, ideas concipere prototypas, easque sequi nequeunt; at quæso, teneor ne has ideas, ad quarum exemplar res formatæ sint, in natura admittere? Oculis ad videndum, pedibus ad ambulandum utor: at quis me certum facit, oculos, & pedes mihi in eum finem appositos, ut iis videam, & ambulem? Ego arbitrio meo illis hunc usum tribuo, & ad hunc finem eos instituo; ut baculo, cui insisto, ut perspicillo, usum ipse, & finem applico.

RESPONSIO. Tria objectio continet singillatim perpendenda.

I. Prima objectionis pars *omnes rerum ideas evertit*. Non enim tantum difficile, sed *ἀδύνατον* est percipere, materiam infinitas prototypas ideas habere posse; contra vero minime arduum est Ens intelligens admittere, quod infinitis ideis, & omnipotenti voluntate materiam disponat.

In planetarum, & cometarum motibus physicum machinamentum dignosco, quod illimitatam potentiam, & intelligentiam præsefert; in animalium, & vegetantim organis mira deprehendo consilia infinite varia, optime ad cujusque individui finem tendentia, & optime fines hos assequentia. Nonne absurdum esset artificium admittere sine artifice, prototypum sine intelligentia, & tales ideas sine Ente supremo, sine Deo?

II. Altera objectionis pars *vitium* continet *omnibus ferme atheorum ratiociniis commune*,

petitione principii scilicet, qua supponitur quod probandum est.

Supponit primo, naturam a se, & motum habere, quem in ea cernimus, & sapientes motus leges, quas in ipsa dignoscimus; etsi certum sit, materiæ propriam inertiam esse, ejus motum aliunde illi immitti; & motus leges, quibus regitur, non nisi ab intelligentia statui potuisse, quæ infinitas ideas ad infinitos fines assequendos habuerit.

Supponit deinde, materiam sibi suis viribus organa comparare in vegetantibus, & animantibus; etsi evidens sit, ad organa corpori tribuenda prævium prototypam ideam requiri, adeoque, & intelligentiam; & in ipsis materialismi principiis nulla in materia nondum organis instructa intelligentia est; per materialistas enim non nisi per organa materia cogitans fit, & intelligens.

III. Tertia objectionis pars *inane effugium* continet, quo ratio erubescit, atheismus exultat. Ut gravissimum argumentum eludant a *causis finalibus* desumptum (298), Epicurrus, & Lucretius, & post ipsos materialistæ omnes eo adducti sunt, ut dicerent, *nihil in natura visibili ad finem ullum ordinari*; omnia casu facta, nihil ratione finis; exempli gratia, non oculum ad videndum, non aurem ad audiendum, sed quum oculus, & auris ita casu constructi fuerint, nulla prævia eorum idea, qua in finem aliquem ita fierent, altero quidem usi sumus fortuito, ut videremus, altera, ut audiremus; ut senex baculo utitur, qui illi casu ad manum obvenit, ut incertos suos gressus regat; etsi lignum hoc, quod in eum usum adhibet, non ideo formatum fuerit, ut hominis gressibus dirigendis inserviret.

Inane hoc effugium, *quo finem naturalem* a rebus excludere contendunt athei, propterea quia *in finem aliquem arbitrarium* adhiberi possunt, osten-

ostendit tantum, humanam mentem, quum impio alicui systemati pervicaciter adhæsit, rationem potius, quam impiam sententiam suam ejurare paratam esse.

898. OBJECTIO VI. Si Deum increatum & creatorem admitto, innumera absurda, & contradictoria evito, ut in incertitudinis, & tenebrarum abyssum me præcipitem agam. Quid enim est Deus iste, quem non concipio? Infinito ne in spatio existit, aut in aliqua tantum spatii portione? Curnam materiam, & mundum creaverit, cujus non indiget? cur entia sensu donata, quorum pleraque misera sunt, & quæ e nihilo nunquam educere satius fuisset? Quaqua ex parte Deum hunc increatum., & creatorem considerem, nec in ejus natura, nec in ejus finibus, nec in ejus actionibus quidquam intelligo.

RESPONSIO I. Plurimis inconcussis demonstrationibus jam constat, *Deum hunc increatum & creatorem existere*. Si vero existit, evidens est, omnia in illo incomprehensibilia esse debere. Si enim existit, inter illum, & nos necessario infinitum intercedit.

Quare perspicuum est Entis hujus increati, & creantis existentiam a nobis admittendam esse, etsi nunquam clare percipere possimus & quid sit, & quomodo operetur; docet enim nos ratio, & incomprehensibile, quoties demonstratum sit, esse admittendum.

II. Obscuritas, & incomprehensibilitas semper adnexa naturæ, & actioni rerum visibilium, earum existentiam dubiam non efficit: quare ergo obscuritas, & incomprehensibilitas necessario adnexa naturæ, & actioni Entis supremi a quo solo visibilia sunt, & esse possunt ejus existentiam dubiam efficiet?

Dubitem ne egomet de mea existentia propterea quia non comprehendo qua ratione existam, vivam, cogitem, agam? Non sane,

nondum fortasse a philosophis aptam in lucem prolata fuit, plane patefacere maxime opportunum est.

I. Nihil est in *idea Dei*, nihil *in experientia*, *& observationis testimonio*, quod Dei æternitatem excludat.

Contra vero, & ex materiæ idea, & ex diversis illius ab experientia, & observatione cognitionibus duo sunt, ejus nempe *inertia*, & *imperfectio*, quæ ejus æternitatem excludunt.

Quare Deum æternum admittentes nihil neque ejus ideæ, neque ejus naturæ cognitionibus ab experientia, & observatione petitis oppositum admittimus. Contra vero materiam æternam admittentes, aliquid, & ejus ideis, & cognitionibus ab experientia, & observatione petitis oppositum admittunt.

Quæ itaque philosophicæ rationes vetant materiam æternam admitti, Deum æternum admittere non vetant. Non itaque ab eo, quod Deus æternus esse possit, inferre licet & materiam æternam esse posse.

II. Quum semel invictis demonstrationibus probatum est, Deum infinite activum, & intelligentem existere, *æternitas existentiæ suæ vera suæ existentiæ corollarium est*.

Si enim Deus infinite intelligens, & activus re ipsa existit, patet, *ipsum a se existere*, essentiali suæ naturæ exigentia, infinita intrinseca sua activitate, ante omnia tempora, æternum. Ceterum nunquam eam, quam habet, & actio sua demonstrat, existentiam habere potuisset.

III. Contra vero quum probe certi sumus materiam existere, *non propterea a vera ejus existentia æternitatem ejus existentiæ inferre possumus*; quærendum enim superest num ejus existentia ab ipsa sit, an vero a Dei infinite activi, & intelligentis actione procedat.

Age vero si ideas, & notiones materiæ ab

experientia, & ratione petitas consulamus; quid de ejus existentia proferemus? ratione duce dicemus, materiam non a naturæ suæ exigentia existere, sed ab aliquo principio infinite activo; cujus actio eam existere fecerit. Evidens enim est, argillam, exempli gratia, aut saxum, in quibus experientia, & ratio perpetuum *intrinsecæ activitatis defectum* nobis indicant, in se essentialem, & infinitam activitatem habere non posse, quæ sola potuisset hæc corpora æternum existentia efficere.

900. NOTA. Nullum sane phænomenon philosophica meditatione, & admiratione dignius est *æterna* alicujus rei *existentia*. Nihil hoc certius, nihil magis incomprehensibile.

I. Evidens est primo, *aliquid æternum existere*; ceterum nihil esset modo. Si enim in æternitate vel unum instans fuisset, quo nihil extitisset, patet, nihil unquam existere potuisse; nihilum enim nec sibi, nec alteri nihilo existentiam impertiri potuisset.

II. Evidens est deinde, in aliquo, in Deo, sive in materia, sive in utroque æternum fuisse *intrinsecam*, & *infinite activam existendi exigentiam*; sine hac enim, hoc quod æternum extitit, æternum existere non potuisset.

Quare aliquod *principium infinite activum* ita æternum extitisse æque certum, & evidens est, ac quælibet ex Euclidæis propositionibus esse possit.

At enimvero hoc, quod intima exigentia æternum extitit, Deus ne est, an materia? Evidens est, omnia demonstrare Deum esse: certum est, experientiam, & rationem ostendere, non esse materiam. Ergo æterna Dei existentia, non vero materiæ, est admittenda.

III. Quoniam demonstratum est, aliquid æternum intrinseca exigentia extitisse, atque hoc necessario in natura sua æternum a se fœcundas proprietates, & vires intrinsecas habere debere,

bere,

bere, quas evidenter materia non habet; quid inde sequitur?

Sequitur primo, *Ens infinite activum, & intelligens*, omnino a materia distinctum, a se, & essentia sua æternum extitisse. Deinde hoc ipsum Ens dato tempore, & *creatione proprie dicta* materiam omnem, quam videmus, & ineptam agnoscimus a se, & suis viribus existere, e nihilo eduxisse.

IV. Equidem qua ratione Ens æternum materiam creare potuerit, quave ratione materia a nihilo, sive a statu puræ possibilitatis ad statum existentiæ transire potuerit, non concipio.

At non nisi difficultatem, aut obscuritatem unicam *in materia creatione* offendo; contra vero in materiæ æternitate absolutam impossibilitatem, & patentem contradictionem. Ceterum materiæ æternitatem multo minus, quam creationem, comprehendo.

901. OBJECTIO VIII. Quod hodie existit heri existere potuit, centum ante annos, mille, millies mille, atque ita porro in infinitum. Ergo mundus visibilis, ut modo est, æternum existere potuit.

RESPONSIO. Simili ratiocinio, sive sophismate probari posset, Iliadem, aut Æneidem, nullo auctore, æternum extitisse. Quum vero evidens sit, quæcumque hisce poematis antiquitas tribuatur, tandem ad aliquod eorum initium deveniendum esse, & fatendum ab aliqua substantia intelligente ipsi priore, composita fuisse; eadem ratione evidens est, etsi remotissima antiquitas mundo huic tribuatur, tamen aliquod illi existendi initium esse statuendum; fatendumque ab ente increato, & creante e nihilo eductum fuisse, quod ipsi mundo præextiterit sæculis infinitis.

I. Docet ratio, mundum visibilem existere potuisse, ut nunc est, a multis centenis sæcu-

lorum millibus, & a tempore quocumque finito; at vero semper existendi initium illi tribuendum est, utcumque indefinite a præsenti tempore remotum; Et hæc de hujus existentiæ possibilitate.

II. Ratio physicis, & historicis monumentis suffulta docet, mundum hunc, qui ab indefinitis sæculis existere potuisset, re ipsa non nisi sex, aut septem mille ante annos existere cepisse. Et hæc pro vero hujus existentiæ tempore.

Monumenta historica, & physica, unde hæc colligimus, sunt & *sacra litera*, quæ nobis creationis hujus epocham tradiderunt, & *historia prophana*, a qua recentem tum nationum, tum scientiarum, atque artium originem habemus; ut in tractatu quinto nostræ philosophiæ religionis ostendimus.

IMPIA, ET ANTIPHILOSOPHICA TELLIAMEDIS COMMENTA.

902. OBJECTIO IX. Nihil recentem telluris, & mundi originem probat, inquit Telliamedes. Fieri enim potest (& nihil obest), ut omnia ab indefinitis sæculis extiterint, incendia vero, & per universum orbem inundationes, ut alibi exposuimus, plurimis vicibus *orbis nostri* faciem immutaverint; ut veteres montes diruerint, ut novos efformaverint, ut omne animantium genus flammis absumpserint, ut ea in aquis iterum deinde producerentur; ut artes omnes jam olim ad perfectionis apicem elatas penitus deleverint, ut deinde in novis generationibus lente iterum excitarentur. (818, & 832).

I. Certum est, inquit Telliamedes, aquas maris sæculorum decursu imminui. Atqui hæc constans aquarum imminutio nonne plane probat, olim tellurem universam immensa aqua-rum

rum copia obrutam fuisse, & aliquando omni aqueo humore exhausto, ipsam incensum iri, & globum lucidum, seu verum solem effectum iri?

II. Immensa marinorum testaceorum copia, quæ lapidefacta in montibus, aut accumulata sub terra in innumeris plagis etiam a mari remotissimis deprehenduntur, invicte probat universam tellurem olim marinis aquis obrutam fuisse; varia hæc testaceorum lapidescentium, & accumulatorum strata olim in fundo maris fuisse, ubi viventium frequentes erant coloniæ conchis involutæ.

Itaque si tellus ita immensis aquis ubique, & in ipsis summis altissimis montibus obtecta fuit; evidens est, terrestria omnia animantia, homines, plantas omnes a mari originem ducere; neque incredibile esse, quod nonnulli peregrinantes narrant, parvas nempe hominum marinorum colonias inventas esse.

III. Recens nationum, scientiarum, artium origo nulla ratione probat, ab innumeris sæculis orbem nostrum non existere; fieri enim potest, ut postquam nationes creverint, postquam scientiæ, & artes inventæ, ac per plura sæcula perfectę fuerint; innumeris vicibus perierint pluribus telluris incendiis, quæ simul, & nationes, & scientias, & artes absumpserint.

IV. Tellus incendio combusta, & incolis orbata iterum fiet globus opacus, paulatim humorem iterum hauriet, iterum immenso oceano obruetur, tunc vero ex *moleculis organicis*, quæ prius homines, bruta, plantas componebant, & quæ in universæ telluris incendio intactæ, & inoffensæ manent, iterum tellus in mediis aquis incolis frequens fiet.

Moleculæ organicæ hominum, exempli gratia, casu in mediis aquis collectæ, solis calore fermentescent; atque hac fermentatione puerulos germinabunt, quibus natura aptum ali-

mentum sufficiet. Pueruli isti pisces quum adoleverint sub aquis multiplicabuntur; ibi respublicas, & regna condent, donec aquas iterum minui viderint, a natali eorum solo recedere, & aquatica eorum domicilia deserere.

Neque absonum, inquit Telliamedes, neque fabulosum hoc phænomenon videri debet; certo enim nonnullorum peregrinantium testimonio constat, in quibusdam maribus *homines pisces* visos fuisse, quorum quoque aliqui a piscatoribus capti publico spectaculo expositi fuerunt.

V. Post incendium tellus iterum immensis aquis obtegetur, in quibus intimi aquarum cursus erunt, ut in mari modo deprehenduntur. Porro hæ aquæ ita diverso cursu profluentes sæpius sibi occurrent, & earum impulsu pluribus in locis *arenæ cumulos* elevabunt, qui aquarum tenacitate conglutinabuntur, & solis calore subinde obdurescent, & lapidescent, postquam, imminutis aquis, diutius radiorum solarium vim experti fuerint. Hinc *præsens montium origo* in postrema orbis nostri metamorphosi; hinc Alpes ortæ in Europa, Taurus in Asia, montes Lunæ in Africa, Nivariç mons, (vulgo Picus Teneriffe), in oceano occidentali, Andes in Peruvia, mons Bartholomæi in Mexico.

Objectio hæc *principia omnia* continet, quibus Telliamedes innititur, & secum recens quędam mitium Atheorum, sive severiorum deistarum secta. Ut hæc omnia clare, & solide confutemus, ea singillatim totidem responsionibus expendemus.

903. RESPONSIO I. Alibi ostendimus, *perpetuam maris imminutionem*, cui universum innititur Telliamedis systema, phænomenon esse falsum, inane, fabulosum, physicæ oppositum, absurdum, αδωνατον. Maris aquæ locum mutare possunt, imminui non possunt (820).

Si

Si mare a nonnullis urbibus, quas olim alluebat, recedit, aut si sinus aliqui, qui olim portus erant, nunc supra maris superficiem sunt elevati; hoc ideo est, vel quia maris aquæ decurrentes paulatim ad quædam litora arenas, & terras accumulant, quas magna copia fluvii & torrentes in mare vehunt; vel quia mare, scopulis, aliisque obstaculis, quibus coercebatur, terræ motu disjectis, in plagas ruit sua superficie inferiores, & alio pergit novos sinus & *nova maria* protendere. Hinc in orbe nostro variæ centri gravitatis mutationes; hinc variæ *maris alvei mutationes*; hinc physica phænomena omnia, quæ Telliamedes veram aquarum imminutionem esse contendit (823 & 827).

904. RESPONSIO II. Omnes naturæ studiosi cum Telliamede consentiunt, partes omnes orbis nostri aut simul, aut successive aquis obrutas fuisse. Universam hanc inundationem *diluvium universale* nuncupamus, quacumque de causa, & modo quocumque mirum hoc phænomenon contigerit.

I. Universale hoc diluvium, cujus tam perspicua ubique terrarum monumenta adhuc extant in altissimis etiam montium verticibus, omnino *ex naturali rerum ordine haberi nequit*. Evidens quippe est, causam physicam nullam terræ impertiri, dein adimere tantam aquæ copiam potuisse, quæ supra terras non modo, sed & supra altissimorum montium cacumina attolli potuerit; neque aquas modo in orbe nostro existentes cogere, ut contra gravitatem, & omnes hydrostaticæ leges supra terras omnes altissimas ab intimis orbis visceribus assurgerent.

Non nisi itaque vero, & primæ classis, ut ajunt, miraculo magnum hoc phænomenon contingere potuit; quare nulli ex fabulosis & a philosophia alienis causis a Telliamede allatis est tribuendum.

II. At

II. At Deus omnipotens, qui pro voluntate sua naturæ leges servat, aut suspendit, rationibus justitiam, & sapientiam suam decentibus, *magnum hoc, ac tremendum phænomenon miraculo operari potuit;* sive in immensum maris, & fluviorum aquas dilatando, sine immensam hanc aquarum copiam cogens contra gravitatem suam ab intimis terræ visceribus erumpere, & immani volumine quaquaversum super omnes terræ partes successive, & diuturno tempore diffundi; sive aliis modis ipsi nihil arduis, quos nostrum non est investigare.

Hic tantum scire operæ pretium est, diluvium, ut in sacris literis narratur, satis evidenter virium habuisse, ut anni unius decursu terræ superficiem everteret, ut plura in loca immensos arenæ, argillæ, lapidum cumulos congereret, aut alibi aquarum decurrentium impetu profundas valles angulis alternis salientibus, & retrocedentibus medias inter terras, mediosque montes excavaret; ut irregularibus stratis maximam testaceorum, plantarum, metallorum, omnis generis corporum copiam disponeret; ut in montium antediluvianorum cavernis, hominum, piscium marinorum, & fluviatilium, quadrupedum, avium, reptilium cujusque speciei cadavera deponeret, ut omnia tandem phænomena produceret, quæ eversa mundi hujus devastati superficies prudenti, & accurato observatori exhibet, & quæ insanis Telliamedis deliriis ansam dederunt; ut in nostra entium sensibilium Theoria, & in nostra philosophia religionis jam adnotavimus.

III. Mirum nobis videtur, celebrem Buffonium, quem Plinium Galliæ iure appellamus, nonnullis Telliamedis somniis subscribentem arbitratum fuisse, successiva, & per plura sæcula perseverante inundatione opus fuisse, ut anguli illi alternis salientes, & retrocedentes formarentur, & tanta copia testacea illa in cu-

cumulos congerentur, quæ passim intra terras consepulta deprehenduntur, non vero paucorum mensium inundationem ad hoc satis fuisse, cujusmodi fuit diluvium in sacris libris memoratum: ex his vero phænomenis colligit Buffonius, mare mille, & ultra annos in terris, quas modo incolimus, consedisse. Mirum, inquam, videtur, Buffonium ita sensisse; siquidem admisso universali diluvio, quod ipse non negat, patet, miraculosam hanc inundationem, ut a nobis exhibetur, & ut re ipsa evenisse videtur, facile omnia ea nonnullis mensibus efficere potuisse, quæ Buffonius ab alluvione annorum mille, & ultra repetenda esse contendit.

Ponamus aquas omnes, quæ oceanum occidentalem efficiunt, infinita Dei actione compulsas modo a profundis suis receptaculis erumpere, & immensa velocitate in Siberiam, aut in Mogolis regna irruere. Patet, immanem hanc aquæ copiam ab Americæ litoribus in veterem orbem prorumpentem, & magno impetu Europæ, Asiæ, & Africæ regiones inundantem, in eas secum a maris fundo abrepturam immensam omnis generis piscium, testaceorum, & plantarum marinarum copiam, quæ omnia hac illac disperget, & coacervabit, & ad varias profunditates deponet in Mauritania, in Syria, in Gallia, in Germania, in Perside, in Indorum, & Sinensium regionibus, in Siberia, in Japone; seque deinde in immensos ramos temere decurrentes dividendo, ex occursu altissimorum montium, modo convergentes, modo divergentes, omnes quas incolimus regiones vastaturam, profundas abyssos excavaturam alternis angulis salientes, & recedentes; immanes arenæ, terræ, lapidum, animantium, vegetabilium, fossilium cumulos erecturam, quos tempus deinde montes efficiet; ubique horrenda supernaturalis hujus vastationis monu-

numenta relicturam, quæ a nulla causa physica produci potest, & satis apta erit ejus imago, quam nos diluvio in sacris libris conscripto tribuimus. Age vero, ut ista fierent innumera ne sæcula, ut Telliamedes contendit, mille ne saltem anni, ut illustris Buffonius censet, requirentur? Nequaquam; unus, aut alter mensis satis esset.

IV. *Diluvii recordatio* magis, minusve explicite in omnium veterum nationum historia, & traditione perseverat; apud Hebræos nomine diluvii Noemi; apud Chaldæos, diluvii Xisuthri; apud Sinenses, diluvii Puen-Cuus; apud Ægyptios, & Græcos, diluvii Deucalionis, apud Indos, aliis nominibus. Quæ quum ita sint miraculosæ hujus vastationis veritas nobis & a sacris literis, & ab historia gentium, & ab ipsa naturali historia confirmatur.

Ut ostendamus, miraculosi hujus phænomeni memoriam in plerarumque veterum nationum historica traditione servatam esse, satis erit hic in prophana antiquitate eruditis in memoriam revocare, Berosum Chaldæum, qui paulo post Alexandri expeditionem scripsit, expressis verbis Arcæ mentionem facere, qua humanum genus salvum factum fuit, & quæ post diluvium in Armeniæ monte consedit; Nicolaum Damascenum ethnicum philosophum, & historicum, qui Augusti ætate vivebat, libro nonagesimo sexto historiæ suæ scribere, diluvii tempore hominem fuisse, qui arca, seu navi ad Armeniæ montem appulit, & commune excidium effugit; hujus vero arcæ reliquias diu in illo monte perstitisse; Abydenum Aristotelis discipulum, illique carissimum in sua historia Chaldææ, & Assyriæ, cujus fragmenta aliquot Eusebius nobis servavit, plurima de hoc diluvio narrare omnino Auctori Geneseos consentanea; Lucianum philosophum celebri suo tractatu de Dea Syria minuta quædam, & pecu-

lia-

liaria memorandi hujus eventus describere, quæ Moysi plane consentiunt. Celebrem Varronem Romanorum doctissimum de tempore loquentem, quod primum hominem, & diluvium intercessit (*ab hominum principio usque ad cataclismum*) tremendum hoc phænomenon ferme ut in sacris libris legitur, retulisse; Sinensium annales dicere, olim tellurem aquis obrutam fuisse, solumque Puen-Cuus, ejusque domum ab universa hac alluvione incolumem evasisse; Joannem Lætium in sua Indiæ occidentalis descriptione, Marcum Lescarbotum in historia Novæ Franciæ, & complures alios, qui in Americanorum mores inquisiverunt, testari, in variis Americæ populis *constantem diluvii traditionem* invenisse; & incredulum Boulangerium in sua Antiquitate detecta & ipsum censere, plerasque antiquitatis consuetudines totidem monumenta esse vicissitudinis, quam orbis noster subiit, quum diluvio demersus fuit.

905. RESPONSIO III. Universæ telluris inundationes, & incendia a Telliamede somniata, ut recentem nationum, scientiarum, artium originem oppugnaret, ut mundo indefinitum, seu æternum ævum tribueret, non nisi deliria sunt a ratione ejurata, ab inscitia orta, perperam naturæ accommodata.

I. Patet, diluvia hæc, atque incendia, quæ omnibus hydrostaticæ, pyrologiæ, physicæ legibus, & rectæ rationi opponuntur, nunquam re ipsa in natura existere potuisse; nunquam igitur nationes, scientias, artes extingnere, & renovare potuerunt.

II. *Montes, ut modo sunt* monumentum physicum sunt, quod & æternitatem ab Aristotele mundo attributam, & metamorphoses a Telliamede somniatas plane commentitias probant.

Si enim tellus æterna esset, ut censet Aristoteles; patet immensam materiæ copiam, quam plu-

pluviæ, & procellæ ab elatioribus terræ partibus ad inferiores trahunt, tandem post infinita sæcula omnia complanare debuisse.

Si vel semel tantum universa tellus incendio absumpta fuisset, ut est Telliamedis sententia, patet, nihil postea montes, quos nunc habemus, attollere, nihil plantas, & animantia, quæ conspicimus, effingere potuisse.

906. RESPONSIO IV. *Moleculaurm organicarum* commentum, quæ casu mediis in aquis collectæ in puerulos assurgunt, fortasse alicui fabulæ insertum pueros oblectare posset; at in opere philosophico non nisi derisione est confutandum (817, & 854). .

Neque magis attendi merentur physicæ, & historicæ probationes, quibus inani huic fabulæ fulcimentum quæritur. Tantum addam, sæpius & rationi, & dialecticæ, & sententiæ propriæ injuriosum esse, qui iis auctoritatibus vim tribuit, aut tribuere simulat, quibus paradoxa statuere contendit.

I. Prima ratio, qua Telliamedes contendit, hominum genus, & analogice animalia omnia rerrestria primitus a mari orta esse, in eo sita est, quod olim mare universæ telluris solidam superficiem obruit; adeoque neque homines, nec bruta in solida hac superficie existere potuisse, nisi prius sub ipsis aquis extiterint.

At hujus sententiæ falsitatem satis jam ostendimus; quare nil opus est, ut in hoc chimærico, & deliro systematis Telliamedæi fundamento diruendo diutius immoremur.

II. Altera ratio, quam Telliamedes usurpat, ut philosophice probet, hominum generi, & analogice tauris, equis, arietibus, scimiis, lupis, cervis, aquilis, columbis, terrestribus omnibus animalibus aquaticam originem esse tribuendam, quibusdam *historicis auctoritatibus* innititur, quibus asseritur, in quibusdam maribus *homines pisces* inveniri, qui procul dubio

bio primorum illorum maris incolarum, antequam temporum, & rerum vicissitudinibus terram incolerent, progenies sunt.

At enim vero narrationes evidenter absurdæ, aut saltem fabulosæ, nulla critices trutina ut veræ admittendæ sint, propterea quia in adulterinis quorumdam peregrinantium commentariis, aut chartis magis adhuc incertis leguntur? Quid hic quæso de Indo philosopho judicemus? aut quas europæorum, quibus ipse scribebat, mentes esse arbitrabatur (869)?

Post bina sæcula, quibus & maria omnia, & oræ omnes maritimæ frequenti navium appulsu plurimis nationibus jam notæ sunt, quo prodigio factum est, ut *nemo sana mentis homo*, *& eruditus* esse noverit, aut crediderit, hos *homines pisces* dari, quorum homines terræ incolæ non nisi coloniæ sint?

Si vero, ut Telliamedes memorat, piscatores aliquando aliquem ex his *hominibus piscibus* cœperunt; qui fieri potest, ut tam rari phænomeni fama ubique non percrebresceret? qui fieri potest, ut lucri cupiditas mundi arbitra aut mercatores, aut piscatores non impulerit regi alicui, aut celebri alicui Academiæ aliquem ex his hominibus piscibus exhibere; quum eum magno pretio emptum iri certo scirent?

III. Tertia ratio ad probandum, primitus animalia terrestria omnia a mari orta esse, Telliamedi est, quia species omnes, & quadrupedum præcipue suas analogas, aut similes in mari habent. Novimus enim lupum marinum, aliaque hujusmodi. Quare ergo & humana species suam analogam in mari non habeat?

At Telliamedes, errore sane ridiculo, *nominis similitudinem* cum naturæ similitudine hic commutavit. Inter animalia marina siquidem hic recensita, & ea, quæ in terris vivunt, nihil est, quod *speciei identitatem* ostendere, & statue-

tuere possit. Neque enim magis porcus, equus, aries marinus porcum, equum, arietem terrestrem referunt, ac alec taurum, aut lucius elephantem referat; neque magis scimius marinus terrestrem, ac Thynnus centum pondo, murem, aut mustellam; neque magis asinus marinus terrestrem, ac sisimbrii aquatici manipulus, aut galla querna aquilam, aut cuniculum; neque magis canis marinus terrestrem, quam solar columbum, aut passerem canarium. Idem ferme de omologis aquaticis, & terrestribus speciebus dici potest; ut facile videre est apud naturæ studiosos, & præsertim in Lexico historiæ naturalis.

907. RESPONSIO V. Neque felicior est Telliamedes in iis, quæ excogitavit ad primævam montium constructionem explicandam. Admissis enim vel omnibus Indi philosophi principiis, seu mavis deliramentis, pronum est ostendere ex iis unquam nec Alpes, nec Andes, nec Nivariæ montem, nec alios oriri posse (fig. 2.).

I. Quæcumque sit aquarum in profundo mari decurrentium causa physica, certum est, maris aquas perpetuo decurrentes aut a fluviis in mare procurrentibus, aut a litorum, & montium directione aquas cohibentium cursum hunc obtinere (Phys. 1475).

Atqui quum tellus universa M A N B aquis obruta erat ad R S T V, nec ulli montes aderant V, R, S, T (loquimur in commentitia Telliamedis hypothesi), neque fluvii erant, qui in mare procurrerent, neque montes aut intimi, aut extimi, qui liberam immensarum aquarum M V N S evolutionem interciperent.

Nequibant igitur tunc aquæ oppositos decursus habere, quibus ingentes arenæ cumuli huc illuc congererentur, nisi ventorum vi.

II. Physica, & naturalis historia concordes docent, ventos natura maxime varios, & insta-

stabiles esse. Nunquam igitur potuerunt venti in immensa illa aquarum copia constantes atque perpetuos *oppositos decursus* efficere.

Quare si venti, & aquæ decurrentes mediis in aquis ingentes arenæ cumulos R, S, T, V unquam cogere potuerunt, evidens est has arenas ita a ventis, & aquis per aliquot horas, aut dies collectas, opposita subinde aquarum ac ventorum vi dirui, & asportari debuisse, quum nondum obduratæ, aut lapidefactæ in solidam massam coierint.

III. Etsi, quum solidus orbis nucleus A N B M ab aquis emergere cœpit, cacuminibus magis prominentibus, aliquis extitisset harum arenarum cumulus a postremis aquarum occursibus relictus; patet adhuc, ceteros cumulos R, aut T, nulla ex parte suffultos perpetuo aquarum ambientium impulsu, & agitatione ex legibus gravitationis, & percussionis dissolvi debuisse, in propinquas abyssos dejici, reliquis solidis terræ partibus, & arenis æquari, priusquam solis calore, & aliis physicis causis obdurescere potuerint.

IV. Nunquam igitur montes, quos videmus, artificio a Telliamede excogitato, aut alio quovis ab ejusdem notæ auctoribus somniato, in aquis fieri potuerunt. „ Vanis cogitationibus eo „ usque adducti sunt nonnulli (inquit Voltе„ rius in fatuitatum hac ætate prolatarum „ prospectu), ut vellent montes a mari for„ matos fuisse; quod æque verum est, ac ve„ rum sit mare a montibus emanasse ".

Veritati itaque maxime consonum est, *Tellurem a Creatoris manu montibus præcipuis, & vallibus instructam, ut modo est, prodiisse*; excipe tamen mutationes nonnullas, quas in ipsa aut miraculosa diluvii vastatione, aut a phænomenis, quæ a generalibus naturæ legibus a Deo statutis, atque servatis consequuntur, contigisse putandum est (Phys. 499, *&* 515).

§. III.

§. III.

DEMONSTRATIONES METAPHYSICÆ EXISTENTIÆ DEI.

908. OBSERVATIO. D*emonstrationes metaphysicæ existentiæ Dei* illæ dicuntur, in quibus homo sese in se ipsum veluti recipiens, nihil utens cognitionibus, quas naturæ, suarumque legum, rerum physicarum, aut moralium habere possit, seque tantum, & entia, quibus circundatur, considerans, invenit in *intelligibili idearum ordine*, & in iis, quæ ideæ istæ necessario supponunt, aut trahunt, unde plane de Dei existentia certus fiat. Exempli gratia.

I. Nihil perpendens numquid præter me existat, num sol, num tellus, num homines sint; nondum perpendens quid ipse sim, num intelligens tantum, an ex duplici substantia compositus, num naturæ lex obligatoria detur, num virtus, num mundus visibilis, in quo mirus rerum ordo certis, & sapientissimis legibus dirigatur; *me existere sentio, & scio*. Hoc mihi medium erit demonstrationis, a quo mihi ex solo intelligibili idearum ordine optima existentiæ Dei demonstratio fluet.

II. Si, & a morali rerum ordine abstracte perscrutando abstinens, & nullam in physico rerum ordine, ejusque legibus quibus regitur, aut in machinamento, quo movetur, atque animatur, aut in mira partium singularum inter se harmonia dignoscendis operam navans, tantum certus fiam, *extra me re ipsa entia contingentia existere*, sive extra me existere homines, bruta, plantas, quæ non necessario existant, & quæ existere incipiunt, & desinunt; simplex *entium horum contingentium existentia*, si mi-

si mihi certa fiat, erit mihi ex solo intelligibili idearum ordine perfecta, & plena existentiæ Dei demonstratio.

III. Binis hisce metaphysicis demonstrationibus philosophi recentiores nonnulli cum Cartesio, Fenelonio, Malebranchio, Leibnitio tertiam addunt in sola Dei idea fundatam, in idea scilicet, quæ nobis adorandum hoc ens exhibet aut ut *ens infinitum*, aut ut ens necessarium; ita ut data dumtaxat idea entis infiniti, aut entis necessarii, & nullo alio supposito entis hujus existentiam necessario respiciente, demonstrative sequatur, ens hoc existere.

At vero quum asserta hæc demonstratio, quæ passim *demonstratio per ideam* nuncupatur, nobis re ipsa purum sophisma videatur, seu inepta petitio principii, seu tandem incommoda cavillationum series; non modo illam non admittemus, imo ex professo confutabimus, & vitia, quibus laborat, palam faciemus.

PROPOSITIO PRIMA.

909. Certus sum, me existere, & cogitare; æque rudis, ac doctus quisque sibi dicere potest.

Ergo existit ens essentialiter existens, & intelligens, causa prima, & fons æternus omnis existentiæ, & intelligentiæ. Ergo existit Deus,

DEMONSTRATIO. Quum probationes metaphysicæ, quæ propositionem hanc statuere debent, jam veluti a se necessario aliquibus præcedentibus propositionibus inferi debuerint; hic tantum eas iterum indicabimus, quo ordine procedant ostendemus, probationum summam vim tantum proferemus, & apte illas propositioni probandæ adhibebimus.

I. Etsi fortasse nesciam quid sit mea existentia, *certo tamen scio, me existere*; habeo enim exi-

Non ergo egomet mihi intelligentiam, ut nec existentiam impertitus sum. Si ergo ante me entium intelligentium series extitit, a quibus existentiam, & intelligentiam acceperim, qui tamen, ut egomet, non nisi contingentem existentiam, & intelligentiam habuerint; necessario ad *primum intelligentiæ principium* ascendendum erit, quod in se, natura sua, & ex intrinsecis viribus simul cum essentiali, & æterna existentia essentialem quoque, & æternam intelligentiam habuerit; sine enim hoc principio essentiali, & æterno omnis intelligentiæ fonte, patet, nihil unquam fore, a quo ullo pacto neque immediate, neque mediate intelligentia mea provenire potuerit.

III. Quare quum sentiam me existentem, & intelligentem esse, mihi ex solo intelligibili idearum mearum ordine demonstratum erit, existentiam, & intelligentiam meam necessario existentiæ principii æterni per se essentialiter existentis, & intelligentis esse connexam; sive ex eo, quod ego existens sim, & intelligens, necessario *æternum existentiæ, & intelligentiæ principium* in natura existere debere.

Atqui principium hoc modo memoratum a se, & essentia sua æternum existens, & intelligens id est, quod ego Deum dico; ergo quod Deum dico existit. Ergo Deus existit. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

910. Mihi certo constat, (sibi quisve sive rudis, sive doctus dicere potest), re ipsa in hoc mundo visibili existere entia contingentia, seu quæ ita existunt, ut non necessario existant.

Ergo existit ens necessarium, seu quod non existere repugnat, quod intrinseca essentiæ suæ exigentia necessario existit, quod entia contingentia ad existendum determinavit. Ergo existit Deus.

DEMONSTRATIO. Postquam naturæ visibilis partem observationibus meis magis obviam observavi, puta tellurem, & trium suorum regnorum præcipua objecta, otiantibus meis externis sensibus, intimis tantum cogitationibus meis intentus ita memet ipsum interrogo.

In visibili hac naturæ universitate, & in hoc orbe præsertim, quem incolo, quidnam necessarium deprehendi, & immutabile? quidnam, quod a se naturam, & existentiam suam habere possit? plane nihil. A cedro ad hissopum, ab elephante ad tineam, ab adamante ad argillam omnia mihi natura, & existentia contingentia videntur.

I. Quamobrem cujusque hominis, bruti, plantæ, lapidis, individui cujuscumque existentia, & natura contingens est; ideis enim meis clare percipio nihil absonum, aut contradictorium sequi, si hæc non existentia supponam.

Ergo *entium horum omnium collectio*, & analogice entium omnium visibilium, eorumque partium, contingens est; nihil enim est horum omnium collectio nisi individua omnia, eorumque constitutiva simul sumpta.

Nullum ex his entibus *existentiæ suæ rationem sufficientem* in se habet; nullum enim in se essentialem, & infinitam activitatem habet, quæ sola existentiæ suæ ratio sufficiens esse posset (757, & 761).

Neque ergo omnium horum entium collectio existentiæ suæ sufficientem rationem in se habet. Quum enim singula hac essentiali, & infinita activitate careant, quæ sola eorum existentiæ ratio sufficiens esse posset, singula veram *ad existendum insufficientiam* habent; hanc insufficientiam vero alteri, tertiæ ac infinitis insufficientiis addere est nihilum nihilo addere. At nihilum nihilo in infinitum addens quid tandem colligam? prorsus nihil.

Frustra, ut mihi ipsi fucum facerem, mihi di-

dicerem; etsi centum singula unius pondo singillatim sumpta cum centum pondo æquilibrium non faciant, facere tamen *simul collecta*; adeoque id forsan de entibus contingentibus dici posse, quorum collectio sufficientem existendi rationem continere potest, quæ in singulis non inveniatur.

Inane effugium hoc est æquivocatione prorsus innixum. Quodlibet pondo *quid positivum est*, quod æquivalet centesimæ parti centum pondo, & quod centies sumptum efficit reipsa centum pondo; contra vero quælibet *existendi insufficientia* est *pura negatio*, quæ si vel centies, vel millies, vel infinities sumatur, nihil positivum unquam est, & nihilo æqualis est.

II. Si entia omnia visibilia contingentia sunt, seu ad existendum, & non existendum indifferentia, patet primo, entia hæc nunc existentia nunquam extitura fuisse, nisi ab aliqua præxistente causa ad existendum determinata fuissent.

Patet deinde, causam hanc præexistentem nunquam in entium contingentium existentiam influere potuisse, nisi ipsa in se veram existentiam habuisset, aut essentiali naturæ suæ exigentia, aut *primæ causæ* influxu, ad quam tandem confugiendum postremo erit, quæ non nisi a se, & essentiali naturæ suæ exigentia existat.

Quæ quum ita sint sola entium contingentium existentia, entium visibilium scilicet, nihil attentis eorum organis, anima, ordine, harmonia, necessario supponit, ac plane probat *entis necessarii*, seu essentiali naturæ suæ exigentia existentis, & cui non esse repugnat, existentiam.

Atqui hoc ens id est, quod Deum dicimus; ergo quod Deum dicimus existit. Ergo Deus existit.

CONCLUSIO GENERALIS.

911. OBSERVATIO. Diximus, & iterum dicimus; *Dei existentia* nobis summa certitudine demonstratur triplici demonstrationum genere, quas protulimus, in singulis enim *medium demonstrationis* sive ex ordine marali, sive ex physico, sive ex metaphysico desumptum; semper cum existentia Dei necessario, & evidenter connexum est.

I. Etsi unum tantum demonstrationis genus, puta, *ex ordine physico* desumptum, satis sit, ut Dei existentia invicte demonstretur, non propterea cetera ut inutilia rejicienda sunt, sese enim singula mutuo adjuvant, & alterum alteri vim, & lucem adjicit; ab iis vero simul sumptis demonstratio exurgit, cujus vis persuasiva omnium mediorum, quibus innititur, viribus simul collectis respondens, tanta est, quanta in qualibet rigidiori geometrica demonstratione inveniri possit.

II. Quum vero ad humanam mentem perficiendam non minus opportunum sit sophisma solvere, quam veritatem statuere, modo acutissimum sophisma evertere aggredimur, quod *veris demonstrationibus existentiæ Dei* a nobis jam traditis aliquando adjici solet, eisque potius officit quam robur addat. Ita sæpe honestus mercator si adulterinum nummum probatis immixtum offenderit, illum ab his summa fide secretum abaco suo clavo configit, ut ejus vitium propalam innotescat.

III. *In asserta hujus demonstrationis per ideam* analysi quam aggredimur & linguam, & methodum in philosophicis scholis usitatam usurpavimus: tum quia ad eas præsertim hæc demonstratio spectat, in quibus de ipsa adhuc confligitur, tum quia hac methodo, atque hoc sermone sophisticas propositiones, in quibus totum

tum vitium latet, facilius metaphysicis distinctionibus evolvemus; sive tandem quia hac methodi, & sermonis diversitate clarius monebuntur ii, ex nostris lectoribus, qui hanc acutissimam, at nullius momenti disquisitionem non curant, hic jam primam hujus tractatus sectionem omnino explicitam esse, & absolutam, cujus metaphysica hæc disputatio mantissa, & *appendix* est; seque nullius opportunæ cognitionis jactura, eam totam, quanta est, præterire posse.

Quod detegere, & solvere pergimus sophisma hoc nomine appellari non meretur, nisi quia præpostera philosophandi ratione veritatem alioqui certissimam, & optime demonstratam, statuere intendit. Philosophi nonnulli, inter quos celebris Leibnitius nonnulla proposuerunt, quibus argumentum hoc in veram demonstrationem converteretur; at quidquid adhuc excogitatum est, nequaquam illud a sophismatis nota liberavit. Si quis aliquando ab hac asserta demonstratione omne vitium adimeret, novam sane Dei existentiæ demonstrationem haberemus.

„ Quæ sequuntur ad alteram sectionem usque
„ ab auctore latine conscripta fuerunt; eaque
„ nos ad verbum ex autographo exscripsimus.
„ Hæc te, benigne lector, monitum voluimus,
„ ut quidquid laudis, aut censuræ stylus me-
„ retur, id totum auctori tantum tribuatur.
„ *Interpres*.

DEMONSTRATIONIS AB IDEA DEI PETITÆ EXAMEN PHILOSOPHICUM.

OBSERVATIO. PRæter varias, quas modo attulimus, & exhibuimus divinæ existentiæ demonstrationes, metaphysicam aliam divi-

næ exiſtentiæ demonſtrationem ab idea *Entis infiniti*, aut *entis neceſſarii* petitam propugnant multi, multi impugnant; & ut fateamur ingenue quod res eſt, utraſque ipſi partes egimus.

Ubi primum philoſophari cœpimus, ſapuit nobis ſimpliciſſimum ſimul, & elegantiſſimum artificium recentioris hujus argumentationis, quæ magnis ſeſe decorabat nominibus, & quæ ingentem aliquam genuinæ, & ſolidæ demonſtrationis ſpeciem præ ſe ferebat. Sed ita ſapuit nobis, & ita a nobis fuit admiſſa recentior hæc philoſophandi ratio, ut inhærentem menti noſtræ *ſophiſmatis ſuſpicionem* nunquam penitus excuteremus: incerti, & ancipites, unde huic argumentationi undequaque apparenter genuinæ ineſſet vitium, aut quo pacto, & qua de cauſa, cum demonſtratione undequaque genuina, & ſolida ſtaret conſtans, & pertinax ſuſpicio ſophiſmatis.

Eandem ſubinde philoſophandi rationem attentius ſcrutati, & meditati, totum ipſius artificium nihil eſſe judicavimus, niſi *merum ſophiſma*, in quo ab intrinſeca attributorum convenientia ad abſolutam, & adæquatam rei poſſibilitatem; aut ab infinita perfectione intelligibili ad infinitam perfectionem exiſtentem vitioſe concluditur.

Qua methodo, & quibus principiis ſoleat ſtabiliri vitioſa hæc demonſtratio, docebit quæ prima ſequitur obſervatio. In quo peccet, & unde ruat vitioſa hæc demonſtratio, docebit quæ ſecunda ſequitur obſervatio; docebit variorum, quibus tota nititur, ſophiſmatum exhibitio.

DE-

DEMONSTRATIONIS ILLIUS ARTIFICIUM.

OBSERVATIO. Qui vitiosam hanc demonstrationem ab idea *Entis infiniti* petitam propugnant, hunc in modum in stabiliendo suo sophismate solent procedere.

I. Deum definiunt *Ens simpliciter*; idest ens infinitum, & infinite simplex in suis perfectionibus, ens omnem a se negationem, & imperfectionem excludens.

II. Probant, & demonstrant inesse nobis hanc *Dei ideam*, quæ ipsis unicum est demonstrationis suæ medium; idque facile, & plenissime evincunt; tum per sensum cujusque intimum, quo unicuique innotescit se habere ideam infiniti, de quo varia affirmat, aut negat; tum per cognitionem, quam habemus finiti indeterminati, cujus finitudo indeterminata non potest cognosci, nisi per infinitum. Negationes enim non cognoscuntur in semetipsis, sed in ente positivo, cujus ipsæ sunt formale exclusivum (235, & 395).

III. Probant, & demonstrant, hanc Dei ideam habere *objectum intrinsece possibile*, seu objectum, quod nullam includat attributorum intrinsecorum oppositionem, aut incompatibilitatem; idque etiam facile, & plenissime evincunt. Nam in idea entis simpliciter, entis infinite, & simpliciter entis nulla includitur negatio, nihilque proinde includitur, quo possit objectum illius ideæ reddi in se ipso intrinsece repugnans.

IV. Ex istis principiis, quæ instar totidem axiomatum metaphysicorum, aut mathematicorum habent, nemine refragante, sic argumentantur; sic suam demonstrationem ab *idea Dei* petitam eruunt.

Objectum ideæ Deum repræsentantis, in-

quiunt, est possibile: ergo objectum illius ideæ existit. Certum, & evidens est antecedens; unde sic probant consequentiam. Quidquid includitur essentialiter in idea rei, debet affirmari de re (417); atqui existentia includitur essentialiter in idea entis infiniti, seu entis omnem perfectionem includentis; existentia enim est perfectio; ergo existentia debet affirmari de ente infinito.

Si ens infinitum est possibile, & non existeret, inquiunt iterum, illud ens foret possibile, & non foret possibile: quo nihil absurdius dici potest, aut excogitari. Nam primo foret possibile ex suppositione, aut ex concessis. Deinde non foret possibile; quia nullo modo, & in nulla suppositione posset fieri existens. Non posset enim fieri existens a se ipso; nulla enim res sibi dat existentiam; nec posset fieri existens ab alio; nullum enim aliud ens posset illi dare existentiam.

Ecce tibi & varia principia, quibus fundatur, & totum artificium, quo ab illis principiis eruitur sophistica hæc demonstratio, quæ a sola Dei idea petitur.

DEMONSTRATIONIS EJUSDEM VITIUM.

OBSERVATIO. Ut certa ab incertis, vera a falsis secernamus: singula sophismaticæ demonstrationis capita singillatim prosequimur, & expendimus.

I. Non inficiamur legitimam esse allatam Dei definitionem; Deumque fatemur posse recte definiri *Ens simpliciter*, ens infinitum, & infinite simplex in suis perfectionibus, ens omnem in se perfectionem includens, & omnem a se negationem, aut imperfectionem excludens, ens totum ens, & sine non ente.

II. Nec negamus inesse nobis *ideam Entis infiniti*, aut entis simpliciter entis. Cum enim

co-

cognoscamus finitum indeterminatum, cumque negationes non cognoscantur in se ipsis, sed in ente excluso; evidens est, finitum indeterminatum non cognosci a nobis, nisi præsupponatur in nobis aliqua cognitio, ac proinde aliqua idea infiniti (448).

III. Concedimus etiam *Objectum illius ideæ* ens infinitum, aut ens simpliciter repræsentantis, non esse intrinsece chimæricum, nullam intrinsecam involvere repugnantiam. Ens enim non repugnat cum ente per aliquid positivum, sed tantum per aliquid negativum. Cum autem ens simpliciter, seu ens exclusivum omnis negationis nihil dicat, & nihil includat, nisi ens: nullum potest includere constitutivum intrinsecum, quod ipsius existentiæ intrinsece obstet, aut repugnet. Hactenus igitur recte procedunt, & inconcussa stant stabiliendæ demonstrationis principia.

IV. Vitium totum, & sophisma est in conclusionibus, quæ ab istis principiis deducuntur: in quibus conclusionibus deducendis *intrinseca attributorum convenientia* cum absoluta, & adæquata existendi capacitate perperam confunditur. Quod sophisma ut detegamus, & manifestum faciamus, in morem quasi anatomicum dissecanda nobis erunt varia argumenta, quibus stabiliri videtur vitiosa hæc demonstratio: in quibus argumentis ita interdum contigua, ita interdum immixta veritati est falsitas, ut aliam cum alia confundere sit valde pronum; ut aliam ab alia secernere non facilis sit labor.

V. Verum antequam ad hæc dissecanda, & expendenda argumenta progrediamur, attendat sedulo lector philosophus quas hic partes agamus; observetque diligenter dum vitiosa demonstrationis sophismata expendimus, & detegimus, *nihil nobis positive stabiliendum incumbere*; sed unicum hic nobis esse negotium, ut ostendamus quo pacto sine ulla omnino absur-

ditatis, aut falsitatis nota evitetur, & vanum reddatur quidquid patrocinari videtur artificiosæ huic argumentationi, cui legitimæ demonstrationis vim, & laudem denegamus. Quod si præstiterimus, attigimus scopum.

SOPHISMATICA DILUUNTUR ARGUMENTA.

DICES I. Habemus *ideam entis infiniti*; & objectum illius ideæ est possibile; ergo illud objectum existit. Unde ex sola entis infiniti idea per legitimam conclusionem demonstrative deducitur existentia entis infiniti.

RESPONDEO. Distinguo antecedens. Objectum illius ideæ est possibile possibilitate intrinseca, quæ nullam in objecto intrinsecam existendi impossibilitatem dicit, quæ nullam ex parte objecti intrinsecam ad existendum repugnantiam importat, concedo antecedens. Objectum illius ideæ est possibile possibilitate adæquata, quæ dicat aut existentiam actuatam, aut existentiam actuabilem, subdistinguo; & illud innotescit nobis vi illius ideæ, nego antecedens; & illud non innotescit nobis vi illius ideæ sed per aliud motivum, concedo antecedens, & nego consequentiam.

I. Quando inest mihi idea entis omnem in se perfectionem intelligibilem includentis, omnem a se imperfectionem intelligibilem excludentis, scio, objectum meæ ideæ esse possibile *possibilitate intrinseca*; seu illud objectum intelligibile nihil includere in se ipso, quod repugnet existentiæ.

At nondum scio an objectum meæ ideæ sit possibile *possibilitate adæquata*, quæ dicat ordinem ad existentiam habitam, aut habendam, ad existentiam actuatam, aut actuabilem, seu an illud objectum intelligibile, quod nullam in se, & ex se habet existentiæ repugnantiam, possit re vera habere veram, & realem, & actua-

actuatam existentiam aut a seipso, aut ab alia causa.

II. Certum quidem est, & demonstratum, ens infinite perfectum habere realem, & actuatam existentiam; nam quidquid agit evidenter existit.

At illud non est certum nobis, & demonstratum vi ideæ ipsum repræsentantis ut ens infinitum; sed per existentiam nostram, & per existentiam aliorum contingentium, quæ primam aliquam causam infinite perfectam demonstrant in rerum natura existentem.

DICES II. In *idea entis infiniti*, aut entis infinite perfecti includitur essentialiter existentia; ergo de ente infinite perfecto, vi solius ideæ illius entis, affirmari debet existentia.

RESPONDEO. Distinguo antecedens. In idea entis infinite perfecti includitur existentia actuata, nego antecedens; existentia intelligibilis, præscindendo an sit actuata, aut non actuata, concedo antecedens.

In idea entis infinite perfecti nihil aliud includitur, præter intelligibilem hanc non repugnantiam illorum attributorum, quibus concipitur infinite perfectum. Intelligibilis illa attributorum non repugnantia facit illud ens possibile possibilitate intrinseca; rem facit autem possibilem possibilitate adæquata, quæ dicat ordinem ad existentiam habitam, aut habendam; nisi supponatur, quod illud ens possit habere aut a se ipso, aut ab alio ente hanc existentiam, quam non excludunt attributa ipsius intelligibilia.

I. Evidens est, quod ens infinite perfectum non possit existere ab alio; alioquin non foret ens infinite perfectum, ens independens, ens, quo nihil melius esse, aut excogitari potest. Non haberet enim perfectiones illius entis, a quo receptam haberet existentiam, & cui soli conveniret nomen entis infinite perfecti.

II. Supereſt igitur, ut ens infinite perfectum, ſi exiſtat, exiſtentiam a ſemetipſo poſſit habere æternam, & eſſentialem. Verum quod illud ens a ſemetipſo exiſtat, id nullatenus demonſtrat idea ipſius. Idea enim entis infinite perfecti neque includit, neque excludit exiſtentiam a ſe; ſed præſcindit ab omni exiſtentia actuata aut actuabili habita aut habenda.

DICES III. Si ens infinitum eſſet poſſibile, & non exiſteret, illud ens foret poſſibile ex ſuppoſitione, & non foret poſſibile, quia nullo modo poſſet fieri exiſtens. Ergo in manifeſtam contradictionem ruunt, qui demonſtrationem ab idea entis infiniti petitam impugnant.

RESPONDEO. Diſtinguo antecedens. Illud ens foret poſſibile poſſibilitate intrinſeca, & non foret poſſibile poſſibilitate intrinſeca, in quo eſt manifeſta contradictio, nego antecedens. Illud ens foret poſſibile poſſibilitate adæquata dicente capacitatem habendæ aut a ſe, aut ab alio hujus exiſtentiæ, cui ex ſe ipſo non repugnat intrinſece, omitto antecedens; circa quod nihil docet ſola entis infiniti idea, & in quo nulla eſt contradictio.

DICES IV. Sed enim Ens infinitum vel eſt poſſibile, vel non eſt poſſibile. Si non eſt poſſibile; ergo ruunt omnes aliæ demonſtrationes. Si eſt poſſibile; ergo exiſtit; non enim poſſet aut ſibi dare, aut ab alio recipere exiſtentiam.

RESPONDEO. Ens infinitum eſt poſſibile poſſibilitate intrinſeca, quæ nullam includat attributorum repugnantiam: atque id unicum evincit, & demonſtrat illa entis infiniti idea. Utrum autem illa attributorum convenientia dicat ordinem ad exiſtentiam actuatam, aut actuabilem, illud non poteſt a ſola entis infiniti idea demonſtrari.

Fa-

Fateor ideam entis infiniti objective spectatam nullam includere impossibilitatem. Nec inde sequitur ideam entis infiniti objective spectatam includere veram possibilitatem adæquatam: datur enim medium, nempe præscindere ab hac adæquata possibilitate.

I. Vitium argumentationis in eo situm est; quod ab intrinseca proprietatum convenientia concludatur ad possibilitatem rei absolutam, & adæquatam; quod est a parte concludere ad totum. Possibilitas enim rei absoluta, & adquata dicit duo: nempe *intrinsecam sociabilitatem* attributorum, quibus constare debet res, & *principium activum*, quod attributa illa in se sociabilia possit actuare, & existentia facere (122).

Res exemplo fiet sensibilis. Si nullus existeret Deus, ut supponunt athei, alter sol foret possibilis possibilitate intrinseca, quæ nihil aliud est, nisi intelligibilis attributorum sociabilitas: *corpus* enim, & *lucidum* sunt duo attributa, aut duæ proprietates, quæ evidenter sese non excludunt in altero sole, & quę alterum hunc solem faciunt possibilitate intrinseca possibilem.

Attamen *alter ille sol* non foret possibilis possibilitate adæquata, quæ dicat ordinem ad existentiam actuatam, aut actuabilem: impossibile enim foret, ut alter ille sol, cujus nec materia, nec forma existit, haberet unquam veram, & realem existentiam; propter defefectum *principii activi*, quo actuaretur intelligibilis hæc alterius hujusce solis intrinseca possibilitas.

II. In ente infinite perfecto *principium activum*, quo actuatur intrinseca ipsius possibilitas, est ipsamet entis ipsius essentia. Sed illud non demonstratur ope solius ideæ repræsentantis ens infinitum, ens simpliciter, ens omnem in se perfectionem intelligibilem includens.

Quo

Quo igitur medio demonſtrabitur illud? demonſtrabitur ope alterius ideæ, quæ ſupponat tamquam certam, & tamquam demonſtratam entis infiniti exiſtentiam; & quæ ab hac ſuppoſitione, tamquam ab axiomate certo, & indubitato proficiſcens, naturam, & eſſentiam entis illius exiſtentis ſcrutatur, & introſpicit.

Sic philoſophice procedet illa demonſtratio. Certum, & evidens eſt, quod exiſtat ens infinitum. Evidens eſt autem ab ipſius exiſtentis idea, quod non exiſtat ab alio; ergo ab ipſius exiſtentis idea evidens eſt, quod exiſtat a ſe.

DICES V. Triangulum, circulus, alter ſol, mons aureus affirmantur abſolute poſſibiles, adæquate poſſibiles, vere, & ſimpliciter capaces realis exiſtentiæ, ex eo præciſe, quod in ipſorum idea nulla includatur intrinſeca attributorum repugnantia. Ergo a pari ens infinitum debet dici abſolute poſſibile, adæquate poſſibile, vere, & ſimpliciter capax realis exiſtentiæ, ex eo præciſe, quod in ipſius idea nulla includatur intrinſeca attributorum repugnantia (123).

RESPONDEO. Diſtinguo antecedens. Triangulum, circulus, mons aureus, alter ſol affirmantur abſolute poſſibiles, adequate poſſibiles, vere, & ſimpliciter capaces realis exiſtentiæ, ex eo præciſe & duntaxat, quod in ipſorum idea nulla includatur intrinſeca attributorum repugnantia, nego antecedens: ex eo, quod in ipſorum idea nulla includatur intrinſeca attributorum repugnantia, & quod præterea, & aliunde conſtet exiſtere *principia activa*, quæ poſſint intrinſecam illam attributorum non repugnantiam actuare, concedo antecedens, & nego cum paritate conſequentiam.

I. In priori caſu ſupponimus exiſtere homines, qui poſſint figuram triangularem, aut figuram circularem in ſe non repugnantem actuare: exiſtere Deum infinite potentem, qui poſſit

aut

aut alteri soli, aut monti aureo in se non repugnanti dare existentiam.

II. In posteriori casu non apparet ex sola entis infiniti idea, an intelligibilis illa Entis infiniti non repugnantia intrinseca possit, & exigat actuari. Ergo in illa entis infiniti idea non includitur possibilitas adæquata, quæ dicat ordinem necessarium ad veram, & realem existentiam habitam, aut habendam.

In idea entis simpliciter, entis infiniti, includitur dumtaxat, quod ipsius objectum nullam involvat contradictionem, aut repugnantiam, vi cujus a se existentiam excludat; non includitur autem, quod idem objectum debeat, aut possit actu habere hanc existentiam, quam a se non excludit.

DICES VI. Sequeretur ex dictis, existentiam non esse, aut non demonstrari actualem, & essentialem in Deo: falsum, & impium consequens; ergo & antecedens.

RESPONDEO. Nego sequelam. Ex dictis nihil aliud sequitur, nisi quod existentia Dei actualis, & essentialis non demonstretur per solam entis infiniti ideam.

Hunc in modum recte, & philosophice demonstrabis existentiam Dei actualem, & essentialem. Existentia mea, ordo naturæ, series generationum humanarum, existentia materiæ, existentia singulorum contingentium, essentialiter supponunt, & evidenter demonstrant existentiam alicujus *Causæ primæ* infinite intelligentis, & infinite activæ. Ergo prima illa causa, quæ sese per suos effectus demonstrat existentem, existit a se, & per se; ergo prima illa causa, quæ existit a se, & per se, existit essentialiter, & ab æterno. Demonstratur consequentia.

I. Causa illa prima existit a se, & per se. Si enim existeret ab alio, non esset prima causa,

sa, & primam aliam causam essentialiter supponeret a se, & per se existentem.

II. Causa illa prima existit essentialiter, & ab æterno. Si enim daretur aliquod instans, in quo non extitisset, nunquam potuisset existere, nunquam potuisset habere hanc, quam se demonstrat habere existentiam. Nam non potuisset existere a se, & per se: prius est enim esse, quam agere in se, quam dare sibi aliquid. Nec magis potuisset existere ab alio; nulla enim causa est, quæ sit, aut quæ possit esse prior causa prima.

DICES VII. Omnis idea est essentialiter conformis objecto existenti, aut objecto vere possibili. Sed idea repræsentans ens infinitum, ens simpliciter ens, est idea; ergo illa idea est essentialiter conformis objecto existenti, aut objecto vere possibili (396).

RESPONDEO. Distinguo majorem. Omnis idea est essentialiter conformis objecto vere possibili possibilitate intrinseca, concedo majorem; possibili possibilitate actuata, aut actuabili, subdistinguo: si supponatur existentia *causæ infinite activæ*, concedo majorem; si non supponatur existentia talis causæ, nego majorem, & consequentiam.

Idea repræsentans in objecto suo intrinsecam existendi capacitatem demonstrat, objectum illud ex se non repugnare existentiæ, si existentia possit aut in ipsum ab agente extrinseco infundi, aut in ipso ab intrinseca necessitate, & exigentia reperiri.

DICES VIII. Existentia actualis, seu actuatio existentiæ est perfectio; melius est enim esse, quam non esse. Ergo existentia actualis essentialiter includitur in idea entis omnem perfectionem complectentis.

RESPONDEO. Distinguo antecedens. Existentia actualis est perfectio distincta ab aliis perfectionibus, nego antecedens: est perfectio

ab

ab aliis perfectionibus indistincta, concedo antecedens. Similiter distinguo consequens. Ergo existentia actualis essentialiter includitur in idea entis omnem perfectionem complectentis; includitur, inquam, eo modo, quo ibi includuntur perfectiones ab ipsa indistinctæ, concedo consequentiam; includitur alio modo, quam quo ibi includuntur perfectiones ab ipsa indistinctæ, nego consequentiam.

I. In rebus quibuscumque existentia non distinguitur realiter ab essentia. Existentia actuata identificatur cum essentia actuata, & existente: existentia intelligibilis cum essentia intelligibili (110 & 111).

Allucinantur igitur, & errant, qui existentiam sibi fingunt tamquam proprietatem a ceteris rei proprietatibus distinctam, & ceteris rei proprietatibus quasi supervenientem. Existentia enim non est perfectio ab aliis perfectionibus distincta (129).

II. In idea perfectionum infinitarum existentium includitur essentialiter existentia actuata, & existens, quæ cum ipsis identificatur. At in idea infinitarum perfectionum mere intelligibilium non includitur essentialiter existentia actualis, sed tantum *existentia mere intelligibilis*.

Si perfectiones, quæ repræsentantur ab idea Dei, sint actuatæ in Deo; actuata est, & ipsa Dei existentia, sed ita tamen, ut non sit aliquid distinctum a perfectionibus actuatis. Si perfectiones, quæ repræsentantur ab idea Dei, spectentur in statu meræ intelligibilitatis, præscindendo an sint existentes, aut non existentes; existentia, quæ in ipsis concipitur, non est aliquid actuatum, sed aliquid mere intelligibile, & aliquid penitus indistinctum ab illis perfectionibus intelligibilibus. Unde existentia semper sequitur rationem perfectionum, & cum ipsis identificatur.

III. Si

III. Si forte mens humana in idea entis intelligibilis infinite perfecti repræsentet sibi existentiam actualem; ridebit mens humana se nullum habere motivum asserendi, quod talis existentia actualis de objecto ideæ suæ sit affirmanda; quia non affirmatur indistincte de objecto intelligibili quidquid in ipsius idea repræsentatur; sed id dumtaxat, quod tali objecto essentialiter, & evidenter convenire concipitur, & judicatur (413).

IV. Ad rationem objectioni adjunctam, qua scilicet probatur, existentiam actualem includi essentialiter in idea entis omnem perfectionem includentis, ex eo, quod esse sit aliquid melius, quam non esse, distinguo similiter. Melius est esse, quam non esse, ita ut *esse* dicat novam aliquam objecti per ideam repræsentati perfectionem, nego; ita ut *esse* non dicat novam aliquam objecti per ideam repræsentati perfectionem, sed novum dumtaxat ejusdem objecti statum, circa quem nihil docet idea objecti illius repræsentativa, concedo.

Quære a geometra utrum triangulo rectangulo, cujus habet ideam, melius sit esse, quam non esse. Respondebit tibi, easdem præcise triangulo rectangulo existenti, & triangulo rectangulo simpliciter intelligibili esse proprietates geometricas, sed in diverso statu conceptas.

Similiter quære a philosopho utrum enti infinito, cujus habet ideam, & in quo sibi repræsentat quidquid est perfectionis intelligibilis, melius sit esse, quam non esse. Respondebit tibi easdem præcise enti infinito existenti, & enti infinito simpliciter intelligibili esse perfectiones objectivas, sed in diverso statu conceptas.

Itaque, ut fatebitur geometra, se non posse vi solius ideæ triangulum rectangulum sibi repræsentantis affirmare existentiam de triangulo re-

rectangulo; sic fateatur necesse est philosophus se non posse vi solius ideæ ens infinitum sibi repræsentantis, affirmare existentiam de ente infinito.

DICES IX. Sequitur ex dictis, quod existentia non alio modo includatur in idea Dei, quam includitur in idea aliorum entium. Falsum consequens; ergo & falsum antecedens. Probo minorem. Existentia est essentialis Deo, & accidentalis aliis entibus; ergo existentia alio modo debet includi in idea Dei, quam includitur in idea aliorum entium.

RESPONDEO. Concedo majorem, nego minorem. In idea Dei directa non magis videtur, & deprehenditur existentia Dei actuata, quam in idea alterius solis videtur, & deprehenditur existenitia alterius solis actuata.

Ad probationem distinguo antecedens. Existentia est essentialis Deo; & vi ideæ directæ entis infiniti cognoscitur, existentiam actualem esse Deo essentialem, nego antecedens: & vi dumtaxat *idea reflexa* jam demonstratam ab effectibus Dei existentiam supponentis, cognoscitur, existentiam actualem esse Deo essentialem, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Quando jam demonstratum est existere ens infinitum, in idea entis infiniti existentis includitur, quod existat a se ipso; ac proinde quod ab essentiali sua exigentia existentiam habeat. Illud autem non includitur in idea entis infiniti non supponente illius entis existentiam.

In idea causæ infinitæ, quæ agit, includitur evidenter existentia: non includitur evidenter existentia in idea causæ infinitæ, quæ simpliciter concipitur.

DICES X. Essentia prior est existentia; Ergo in rebus essentia, & existentia falso asseruntur indistinctæ.

RESPONDEO. Distinguo antecedens. Essentia prior est existentia prioritate rationis, quæ nul-

nullam realem distinctionem importet, & includat, transeat antecedens: prioritate temporis, quæ realem distinctionem importet, nego antecedens, & consequentiam.

Multiplex est *Prioritatis species*, quas hic indicasse, & observasse non vanum erit. Prioritas alia est temporis, alia dignitatis, alia ordinis, alia causæ, alia originis. Dies hodiernus prior est crastino *prioritate temporis*. Rex prior est subditis *prioritate dignitatis*. Exordium, etiamsi posterius texatur, & pronuntietur, prius est oratione *prioritate ordinis*. Si crearetur alter sol, & crearetur lucens, ita ut non ante existeret sol ille, quam luceret; alter ille sol esset prior luce sua *prioritate causæ*. In Sancta Trinitate Pater dicitur prior Filio *prioritate originis*. Sola rationis prioritas aliquam hic sibi explicationem postulat, atque exigit.

I. Apud metaphysicos *Prioritas rationis* est in rebus præcisio quædam ab attributis, quæ in ipsis non includuntur; posteritas rationis est in rebus inclusio quædam attributorum, quæ in ipsis necessario supponuntur.

Verbi gratia, facta penitus de prioritate temporis abstractione, in homine *esse* prius est prioritate rationis, quam *loqui*, quia existentia præscindit a loquela. Contra vero loqui posterius est posterioritate rationis, quam esse; quia loquela supponit, & includit existentiam. Hinc valet hæc consequentia: loquitur Paulus; ergo Paulus existit. Non valet autem altera hæc consequentia: existit Paulus; ergo Paulus loquitur.

Similiter supponendo, quod noster hic sol creatus sit lucens, ita ut non prius cœperit existere, quam lucere, in sole hoc nostro *existere* prius est prioritate rationis, quam *lucere*; quia existentia præscindit a luce emissa; aut quia idea existentiæ non includit essentialiter

ideam

ideam lucis emissæ. Contra vero lucere posterius est posterioritate rationis, quam existere: quia emissio lucis supponit, & includit essentialiter existentiam corporis, a quo emittitur lux.

Similiter iterum in Deo, aut in homine, aut in alio quolibet ente, vel dum præsupponitur, quod essentia, & existentia inter se realiter identificentur, *essentia* prior est prioritate rationis, quam existentia; quia idea essentiæ præscindit ab idea existentiæ; seu quia possunt concipi constitutiva rei cujuscumque essentialia quin concipiantur ut habentia existentiam. Contra vero existentia posterior est posterioritate rationis, quam essentia; quia idea existentiæ essentialiter supponit, atque includit aliquam essentiam, quæ sit existens; seu quia non potest concipi aliqua existentia, quin concipiantur aliqua rei constitutiva essentialia, in quibus sit tamquam in suo subjecto physico hæc existentia (79, & 111).

Hinc, ab illa *rationis prioritate*, quæ inest essentiæ relate ad existentiam, non sequitur, quod essentia sit entitas, aut perfectio realiter distincta ab essentia; sed sequitur dumtaxat, quod essentia possibilis, seu intelligibilis sit attributum metaphysicum generalius, quod præscindit ab attributo minus generali existentiæ; & quod existentia actuata sit attributum metaphysicum minus generale, quod includit attributum generale essentiæ possibilis (194, & 225).

II. Inter scientias divinas, de quibus agemus inferius, datur similis *prioritas rationis* petita a vario statu, in quo concipiuntur a nobis varia scientiarum divinarum objecta (984, 999, 1023).

Quamvis omnis in Deo scientia sit æterna, & simplicissima; scientia tamen divina spectari potest ut multiplex, ratione objectorum aut simpliciter possibilium, aut conditionate futurorum,

aut

aut futurorum absolute, ad quæ terminatur simplicissima illa Dei scientia.

Scientia *simpliciter possibilium* prior est prioritate rationis, quam scientia conditionate futurorum; quia prius est aliquod objectum esse simpliciter possibile, quam esse futurum sub tali conditione, si poneretur talis a Deo conditio.

Scientia *conditionate futurorum* prior est prioritate rationis, quam scientia futurorum absolute; quia prius est tale objectum esse futurum sub tali conditione, si talis poneretur conditio, quam esse absolute futurum.

Unde scientia *absolute futurorum* est duabus aliis scientiis posterior posterioritate rationis.

Futuritio absoluta rei sub tali conditione supponit, & includit futuritionem rei hypotheticam sub tali conditione, si talis poneretur conditio. Futuritio hypothetica rei sub tali conditione, supponit, & includit veram rei possibilitatem.

DICES XI. Recte demonstratur existentia Dei per ideam *entis necessarii*; ergo existentia Dei recte demonstratur ab ipsius idea. Probo antecedens. Quidquid includitur essentialiter in idea rei debet affirmari de re; juxta fundamentale omnium omnino scientiarum principium. Atqui existentia essentialiter includitur in idea entis necessarii, seu in idea entis ex essentia sua ad existendum necessitati; ergo existentia debet affirmari de ente necessario.

RESPONDEO. Nego antecedens. Idea Entis necessarii est idea quædam complexa, quæ conflatur ex idea entis, & ex idea necessitatis: sicut idea montis aurei est idea complexa, quæ cuditur ex idea montis, & ex idea auri: sicut idea hominis volantis conflatur, & cuditur ex idea hominis, & ex idea volatus.

I. Ab idea entis necessarii non magis infertur

tur realis existentia Dei, quam ab idea *hominis necessarii* infertur realis existentia talis hominis; quia idea entis necessarii non magis est ex se, & per se connexa cum existentia reali sui objecti; quam idea hominis necessarii est ex se, & per se connexa cum reali objecti sui existentia.

Demonstratio hæc ab idea *Entis necessarii* desumpta minus habet apparentis veritatis, quam demonstratio ab idea *Entis infiniti* petita, quam jam funditus evertimus. Commune utrique vitium est, quod ab utraque supponatur, affirmandum esse indiscriminatim de rebus quidquid ideæ nostræ rebus attribuunt, aut affingunt (413).

II. Ad probationem concedo majorem, & distinguo minorem. In idea entis necessarii essentialiter includitur existentia actuata, nego minorem: existentia possibilis, subdistinguo; si per existentiam possibilem intelligas ordinem ad existentiam actuatam, aut actuabilem, ad existentiam realem habitam, aut habendam, circa quod nihil includit, & nihil excludit hæc idea, nego minorem, & consequentiam.

Certum est, & evidens existere *Ens necessarium*, seu ens ex essentia sua ab æterno determinatum, & necessitatum ad existendum. Nisi enim existeret tale ens, nihil unquam extitisset (758, & 900).

At illud non est certum, & evidens ex sola entis necessarii idea, sed ex contingenti variorum entium sensibilium existentia. Hæc enim variarum entium sensibilium existentia contingens, ut supra demonstravimus, supponit evidenter, & ineluctabiliter in rerum natura *causam aliquam necessariam*, quæ nunquam fuerit indifferens ad existendum; quæ ab æterno fuerit ad existendum ab essentiali sua exigentia necessitata. Nihil autem tale, aut simile probat, aut docet sola entis necessarii idea.

DI-

evidens ab obscuro fiet dependens; quod sanam philosophandi rationem minime sapit.

Vitiosam in hoc genere demonstrationem texuit post Cartesium Malebranchius, quam alibi jam exposuimus, & confutavimus; & cujus vitium hic ulterius oculis subjicere vanum, & superfluum foret (474, & 839).

CONCLUSIO. Inter varia, quæ hactenus cudit humana mens sophismata, nullum unquam extitit, quod possit æquiparari subtilissimo huic sophismati, in quo ab idea *Entis infiniti* eruitur existentia Dei: nullum, quod tam ingeniosæ artis habeat; quod ita omnem sinceræ veritatis præseferat speciem; cui ementitam genuinæ demonstrationis larvam extrahere ita sit difficile. Ab illo autem sophismate, quod honestum aliunde, & pium foret, si falsitati inesse posset honestas, & pietas, quid resultabit unquam vel in iis, a quibus bona fide posset instar metaphysicæ demonstrationis admitti? Nihil resultabit unquam, nisi *anxia*, *& indignans convictio*, quæ veritatem ita sibi demonstratam semper conatur excutere: vel dum excutiendæ tali veritati, & demonstrationi sese videt, & sentit imparem.

Inconcussa igitur, & indubitata stet *Dei existentia* solidis, & amicam menti lucem, & persuasionem affundentibus undequaque ineluctabiliter stabilita demonstrationibus: nec sophismaticis unquam suffulciatur adminiculis, quæ ipsam, si fieri posset, ancipitem, & ruinosam efficerent.

SECTIO II.

DEI NATURA.

912. OBSERVATIO. Quæ cujusvis de Deo tractationis præcipua pars est, majorisque mo-

menti, ea certe est, qua *ineffabilis hujus entis existentia* statuitur, ac demonstratur; hoc enim fundamento solide statuto, ac recte demonstrato, reliqua omnia tantum corollaria sunt, quæ deducantur, aut applicationes hujus veritatis primariæ, quæ subinde faciendæ sunt.

Hac altera sectione, in qua de Deo jam existente increato, & creatore agendum est, totidem diversis articulis ejus *simplicitatem*, *providentiam*, *libertatem*, *potentiam*, *scientiam* perpendemus: quæ omnia ipsa quidem dignissima sunt, quæ a philosopho meditentur, at magna ex parte intellectui humano impervia sunt; ad eum enim spectant, qui etsi cogitationes omnes nostras occupare mereatur, quum tamen natura nobis sit infinite præstantior, semper a nobis necessario infinite distat.

ARTICULUS PRIMUS.

DEI SIMLICITAS.

913. OBSERVATIO. Est ne *divina natura* ens simplex, an compositum? Hoc erit totius primi hujus articuli argumentum.

Antequam tamen acutissimam hanc, & sublimissimam inquisitionem aggrediamur, opportunum censeo præviam *diversarum opinionum* notionem tradere, in quas philosophi diversi abierunt.

914. OPINIO I. Veteres materialistæ, quos recentiores pecudum more sequuti sunt, Deum *materialibus partibus compositum* statuerunt. In ipsorum enim sententia, & systemate, nihil Deus fuit, præter substantiarum, quibus visibilis natura constat, collectionem. *Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.*

Patet, divinam naturam nihil materialibus sub-

substantiis commune habere; ipsa siquidem intelligens est, materia non item.

915. OPINIO II. Platonici nonnulli apud Græcos, & Romanos, tum & hæretici aliquot primis æræ christianæ sæculis, ut Anthropomorphitæ, Deum fecerunt *corpore, & spiritu compositum.* Naturam visibilem considerabant ut corpus organicum, cujus Deus anima esset.

Patet, divinam naturam non esse materia & spiritu in unum totum coalescentibus compositam. Binarum quippe harum substantiarum conjunctio esset aut accidentalis, & tunc Deus esset ens mortale, & periturum; aut essentialis; & dicendum esset, duas diversas naturas, quarum una nullo modo est alia, & inter quas nulla essentialis relatio concipitur, qua altera ab altera invicem pendeat, essentialem tamen inter se rationem dicere, qua altera ab altera invicem pendeat.

916. OPINIO III. Philosophi nonnulli *intrinsecarum perfectionum compositionem* in Deo admiserunt. Divinam naturam hi consideraverunt ut ab infinitis perfectionibus invicem distinctis resultantem, quarum una non sit alia, quarum tamen collectio Deus sit. Hæc Gilberti Porræi in magna Rhemensi synodo anathemate damnati sententia fuit (312).

Patet, divinam naturam non esse quid compositum perfectionibus re ipsa inter se distinctis. Si enim divina natura esset *perfectionum re ipsa invicem distinctarum collectio*, harum perfectionum una quod alia continet non contineret, una non esset alia; harum nulla esset in se infinita; harum quælibet in se, & in propria natura limitata esset, & finita.

Quare hujusmodi perfectionum collectio, quę singulæ in se finitæ, & imperfectæ essent, semper esset *Totum finitum, & imperfectum*, adeoque nunquam Deus esse posset. Totum enim a suis partibus omnibus constituentibus

 simul

ſimul ſumptis diſtingui nequit; ſi vero partes omnes totum conſtituentes in ſe imperfectæ, & finitæ ſint, fieri nequit, ut totum, quod ſemper partium ſuarum conſtituentium naturam neceſſario participat, ſit in ſe totum infinitum & infinite perfectum.

917. OPINIO IV. Nonnulli philoſophi *compoſitionem potentiarum, & actuum* in Deo admiſerunt. Exempli cauſa, in divina natura, ut in humana potentiam cognoſcendi concipiunt, & accidentalem actum, quo cognoſcit; potentiam agendi, & actum accidentalem, quo fit agens; potentiam decernendi, & actum accidentalem, quo decernit.

Actus hi, inquiunt, ſunt quid naturæ divinæ intrinſecum; accidentalis enim ejus modificatio ſunt ſive tranſiens, ſive permanens; non tamen *naturæ divinæ perfectio* ſunt; neque enim illi melius eſt habere volitionem, quæ mundi exiſtentiam decrevit, quam volitionem, quæ mundi non exiſtentiam decreviſſet; cognitionem habere, qua mundum exiſtentem cognoſcit, quam cognitionem, qua mundum non exiſtentem cognoviſſet; atque ita de ceteris.

Vitio laborat hæc opinio, propterea quia *actus contingentes, & tranſitorios* in Deo ſtatuit ſine neceſſitate, ut potentiam objecto conjungat. Hujus articuli, imo & tractatus decurſu oſtendemus, actus hoc in Deo eſſe ſuperfluos.

918. NOTA. Sectatores ſententiæ *modificationes accidentales cognitionis, aut voluntatis* in Deo admittentis, contendunt, opinionem hanc nihil *divinæ naturæ ſimplicitati* officere; & hoc, quia modificationes hæ accidentales per ipſos naturam divinam non conſtituunt; & tantum ſunt ejus effectus intrinſeci.

Non ceſſat, inquiunt, anima humana eſſe ſubſtantia natura ſimplex, etſi intrinſecas cognitionis, voluntatis, gaudii, doloris modifica-

tio-

tiones habeat, quæ illi accidentales sunt, nec intrinsecam ejus essentiam constituunt. Quare ergo natura divina non amplius esset substantia in se simplex, si similes accidentales modificationes haberet, quæ ipsam nullo pacto constituerent, & in ipsa esse incipere possent, & desinere, nihilo intrinsecæ, & substantiali suæ perfectioni addito, vel adempto?

Formalitatum Scotisticarum assertores non ita sententiam suam tueri possunt, quæ omnino divinæ naturæ simplicitati adversatur; per illos enim formalitates hæ invicem distinctæ sunt ipsamet divinæ naturæ constitutiva (306, & 310).

919. OPINIO. V. Potior philosophorum pars *nullam in Deo compositionem admittit neque substantiæ, neque modificationum*. Per hos philosophos, Deus est substantia omnino infinite simplex; quæ semper fuit, & semper erit quod modo est, nihil novi acquirens intrinseci, nihil amittens ullo modo, aut in genere ullo.

Deus, inquiunt, cognoscit, Deus decernit. At Dei cognitiones, & decreta non sunt actus suæ intelligentiæ, & voluntati accidentales: sunt ipsi natura ipsa divina ut immediate ad ea, que repræsentat, aut decernit, terminata.

Exempli causa, ut Deus *res quascumque cognoscat*, non necesse est, in ipso accidentalem rerum ideam, aut imaginem formari. Satis est ejus naturam essentialiter intelligentem, essentialiter rerum repræsentativam existere, & res esse objective intelligibiles.

Ita quoque, ut Deus *rerum existentiam decernat*, non necesse est, volitionem accidentalem in ipso fieri, qua ad rerum existentiam volendam determinetur. Satis est, suam voluntatem, quæ non nisi ejus natura est, immediate ad res decernendas terminari.

920. NOTA. Quod unice in postrema hac sententia negotium facessit, est concipere quæ

ad libera Dei decreta spectant, nullo in Deo actu accidentali admisso, quo fiat decernens. Exempli gratia, concipere qua ratione Deus, nulla naturæ suæ accidentali volitione, libere *mundum creare decreverit*, potius quam illum non creare.

Rem hanc hujus sententiæ sequaces ita explicant. Divina voluntas, inquiunt, essentialiter activa est, & essentialiter ad decernendum vel non decernendum determinata. In ipsa nulla unquam fuit indeterminatio; hæc enim aut cognitionis, aut activitatis defectum necessario supponit. In hoc *voluntas divina* essentialiter ab humana differt; hæc enim, quæ essentia sua nec cognoscens, nec activa est, actibus accidentalibus indiget, quibus ab intrinseca sua indifferentia emergere possit, ut decernat, vel non decernat.

Quid itaque opus est, ut divina voluntas essentia sua in se determinata ad hoc, vel illud decernendum, potius hoc, quam illud æternum decernat? satis est, si se libere potius huic, quam illi objecto applicet, seque potius ad hoc, quam ad illud objectum terminet; quod duo tantum dicit; *voluntatem divinam*, scilicet, & *objectum decretum*; nullo intermedio actu decernente supposito, aut incluso.

PROPOSITIO.

921. *Divina natura, seu physica Dei essentia est unica substantialis perfectio, spiritualis, illimitata, infinite simplex, & infinito diversarum perfectionum, quæ omnes infinitæ sint, numero æquivalens.*

DEMONSTRATIO. Quum demonstratum sit, Deum increatum, & creatorem, hominis & rerum universitatis auctorem existere;

I. Hoc ipso evidens est, Deum hunc esse *substantiam*; necessario enim in se, & per se existe-

ſtebat antequam entia, quæ exiſtere fecit, crearet, antequam ſcilicet naturam animatam, & inanimatam e nihilo educeret.

II. Evidens eſt, Deum hunc eſſe *ſubſtantiam intelligentem*, ac proinde ſpiritualem; ab ipſo enim emanat, & ab ipſo tantum emanare poteſt quidquid in natura viſibili habetur ordinis & harmoniæ; quidquid intelligentiæ in homine invenitur.

III. Evidens eſt, Deum hunc eſſe ſubſtantiam in ſuis perfectionibus illimitatam, ſive *ſubſtantiam infinite perfectam*; quum enim eſſentia ſua exiſtat, in natura, & perfectionibus ſuis limitari non potuit neque a ſe, neque ab extrinſeca cauſa; aliunde vero ejus opera perfectionem quamvis finita perfectione infinite majorem in ipſo manifeſte annunciant.

IV. Evidens eſt, ſubſtantiam hanc divinam eſſe *ſubſtantiam natura infinita ſimplicem*. Repugnat enim, aut partibus compoſitam eſſe, aut perfectionibus re ipſa inter ſe diſtinctis, quarum nulla in ſe infinita eſſet, & quarum collectio totum infinitum eſſe non poſſet (916).

V. Evidens eſt, ſubſtantiam hanc divinam, ſive ſubſtantialem hanc Dei perfectionem *infinito diverſarum perfectionum numero* æquivalere, quæ omnes infinitæ eſſent; ſi enim phyſicum rerum ordinem attendamus, videmus, unicam hanc ſubſtantialem Dei perfectionem omnia concipere perinde ac ſi infinita intelligentia tantum eſſet; omnia movere, ac ſi tantum infinita activitas eſſet; ſi vero ad metaphyſicum rerum ordinem meditationes noſtras convertamus, percipimus, unicam hanc ſubſtantialem Dei perfectionem eſſe debere beneficam, ac ſi tantum eſſet bonitas infinita: juſtam ac ſi tantum infinita juſtitia eſſet: veracem, ac ſi tantum infinita veracitas eſſet; in promiſſis fidelem, ac ſi tantum infinita fidelitas eſſet; atque ita de ceteris. Q. E. D.

922. NOTA. Philosophis magis acutis, quam nos simus, inquirendi curam relinquimus, in quo consistat ea, quam *Dei essentiam metaphysicam* appellant; sive quodnam in Deo eminens attributum sit, a quo tandem in genealogico rerum ordine reliqua omnia Dei attributa procedant.

Semel tantum philosophico certamini adfuimus de ingeniosa hac, inanique quæstione: *num Asseitas sit primum Dei attributum*; ita, ut hoc ceterorum omnium sit veluti radix; an vero dignitas hæc *attributi radicis infinitati*, an potius *independentiæ* sit tribuenda; qualitati scilicet entis infiniti, vel qualitati entis independentis.

Heroes ambo latis humeris, acri, atque altisona voce horam ferme conflixerunt, oblatrarunt, clamoribus sane multis, rationibus ferme nullis, ut in hujusmodi pugnis evenire solet. Lassis jam auditoribus, lassi & ipsi, qui modo alternis, modo ambo simul conclamabant, tandem ex abrupto finem disputandi fecerunt, nec qua ratione a disputando cessarent scientes ipsi, neque quid disputantes effutierint. In infinito enim vocum profluvio nihi lauditum fuit, quod recte statutum esset, ac probatum: hoc porro tantum probarunt ambo, neutrum scilicet quæstionis statum, neutrum adversarium, neutrum se ipsum intellexisse.

Tunc vero nimis abstrusas hasce quæstiones ad rerum ideas perturbandas tantum aptas esse censuimus, ad ingenia vitianda, & ad tempus, quo nil pretiosius, inaniter terendum; eas propterea a philosophicis, a theologicis regionibus esse procul amandandas.

COROLLARIA.

923. COROLLARIUM I. *Inter divinas perfectiones, sive inter diversa absoluta Dei attributa nulla re ipsa datur distinctio.*

DE-

DEMONSTRATIO. Quum divina natura, ut jam ostendimus, omnem partium, & attributorum compositionem essentialiter excludat; patet, id omne, quod perfectionis in Deo concipimus, re ipsa non nisi unam, eamdemque substantialem perfectionem esse, cui nos diversa nomina affingimus pro diversis respectibus, sive pro diversa ratione, qua illam consideramus. Quare patet, in Deo unam perfectionem ab alia non esse distinctam; adeoque inter perfectiones, sive attributa non nisi *distinctionem rationis* admitti posse, quæ nullam in rebus, quæ ejus objectum sunt, re ipsa distinctionem supponit (323).

I. Quare *Sapientia Dei* est Dei natura, sive essentia, quatenus omnia cognoscens, & omnia sapientissime disponens.

II. *Omnipotentia Dei* est divina essentia, quatenus potens id omne producere, aut operari, quod in se absolutam repugnantiam non dicit, ut existat, aut fiat.

III. *Æternitas Dei* est essentia divina, quatenus nunquam esse cœpit, aut esse desinet; quatenus existens ante omnia tempora intelligibilia, & infinitum post omnia tempora intelligilia extitura.

IV. *Immensitas Dei* est essentia divina, quatenus omni existenti, & possibili materiæ præsens, nullo intrinsecæ suæ indivisibilitatis detrimento.

V. *Providentia Dei* est essentia divina, quatenus sapientibus, & aptis mediis res omnes creatas sive animatas, sive inanimatas, intelligentes, aut intellectu carentes ad diversos suos respectivos fines dirigens, atque perducens.

VI. *Scientia Dei* est essentia divina, quatenus necessario veritatis cujusque sive speculativæ, sive practicæ repræsentativa.

VII. *Libertas Dei* est essentia divina, quatenus ab omni coactione immunis, nulloque obstaculo in voluntatis suæ determinationibus,

& in activitatis suæ operationibus impedita; quatenus causam quamvis excludens, quæ illi necessitatem agendi possit inferre, aut ne extra se agat impedire.

VIII. *Immutabilitas Dei* est essentia divina, quatenus cujusvis vicissitudinis, aut mutationis incapax, sive in natura sua, quæ nihil acquirere, aut amittere potest, sive in suis judiciis, quæ nulla nova cognitione mutari possunt, sive in suis dispositionibus, quæ æternum statutæ, tempore definito certissime effectum sortiuntur,

IX. *Bonitas Dei* est essentia divina, quatenus semper benefica, aut semper ad benefaciendum infinite propensa.

X. *Justitia Dei* est essentia divina quatenus serius ocius cuique juxta merita in ordine morali retribuens, & condigna virtuti præmia, condignas quoque criminibus pœnas disponens, & adjudicans.

XI. *Misericordia Dei* est essentia divina quatenus homines peccatores ad pœnitentiam invitans, & meritas illis a justitia infligendas pœnas condonans, si vere ipsos admissorum pœniteat.

XII. *Sanctitas Dei* est essentia divina, quatenus vitii omnis, aut moralis defectus incapax: quatenus hominibus inviolabiles morum leges proponens, quibus justum ab injusto, honestum ab inhonesto, virtus a vitio, sive a crimine discernitur.

XIII. *Veracitas Dei* est essentia divina, quatenus necessario veritatem amans; quatenus necessario mendacium odio habens; quatenus incapax unquam fallere, aut mendacio favere. Cetera.

924. NOTA. *Dei attributa* vocantur diversæ perfectiones, seu diversi existendi, & agendi modi, quos in Deo dignoscimus, sive rationis, sive fidei lumine. Inter attributa, quæ ita

ita in Deo cognoscimus, alia absoluta sunt, alia relativa.

I. *Attributa absoluta* dicuntur illa, quæ universæ divinæ naturæ, sive omnibus tribus divinis personis simul sumptis conveniunt. Hujusmodi sunt, quæ in præcedenti corollario indicavimus.

II. *Attributa relativa* vocantur illa, quæ non universæ naturæ divinæ conveniunt, sed tantum divinis personis seorsim, & singillatim sumptis. Ita *Paternitas*, quæ Patri tantum: *Filiatio*, quæ Filio, aut Verbo tantum: *Spiratio*, quæ Spiritui Sancto tantum convenit, attributa relativa sunt. At vero hic fides incipit, scientia desinit.

III. *Attributa absoluta* sunt perfectiones, quas habere melius est, quam non habere. Contra vero attributa relativa non eæ perfectiones sunt, quas habere melius sit, quam non habere.

In Deo melius est omnipotentem esse, quam non esse; at in una ex divinis personis non est melius Paternitatem, quam Filiationem, aut Spirationem habere.

925. COROLLARIUM II. *Attributa negativa proprie dicta in Deo non sunt.*

DEMONSTRATIO. Ratio hujus est, quia in Deo negatio, aut perfectionis privatio non datur. Quare quæ negativo modo Dei attributa enunciantur, re ipsa *positivam perfectionem* exprimunt, eamque in Deo respiciunt.

Exempli gratia, *attributum impeccabilitatis* essentialem in Deo voluntatis suæ rectitudinem exprimit. Ita quoque *attributum immutabilitatis* immutabilem in Deo naturæ, scientiæ, judiciorum, decretorum stabilitatem exprimit.

926. COROLLARIUM III. *Formalitates inter se natura distincta in Deo cum Scotistis non sunt admittenda.*

DEMONSTRATIO. Volunt Scotistæ in Deo

infinitas esse distinctas formalitates; exempli gratia, formalitatem, qua tantum sapiens est, alteram, qua tantum potens, tertiam, qua tantum bonus, quartam, qua tantum justus est, atque ita porro de reliquis; ita ut quælibet harum formalitatum re ipsa in se, & natura sua a quavis alia formalitate distincta sit; omnium vero harum formalitatum collectio Deus est (306, & 312).

Etsi alibi omnia hæc Scotistica commenta protriverimus, non abs re erit iterum quam falsa, & absurda sint ostendere.

Formalitatum Scotisticarum, quæ omnes inter se formaliter & natura distinctæ sunt, quarumque collectio Deus est, una non est alia, una alterius perfectionem non habet, quælibet in se finita est, & limitata, nulla est essentia, & perfectione infinita: formalitas siquidem sapientiæ, exempli gratia, per Scotistas ipsos, nullo pacto est formalitas potentiæ, aut formalitas justitiæ; atque ita de ceteris.

Ergo totum ex hac formalitatum collectione resultans, est quid effectum ex partibus in se finitis, & imperfectis. Atqui hoc totum non nisi finitum, & natura sua imperfectum esse potest; non ergo unquam erit id, quod Deum dicimus, ut jam ostendimus (916, & 921)

927. COROLLARIUM IV. *Deus nullum habet attributum, sive perfectionem perfectibilem.*

DEMONSTRATIO. Ratio hujus est, quia Deus, si existit, in se omnem quæ haberi possit perfectionem, omnemque perfectionis gradum continere debet; id omne denique, quod habere melius est, quam non habere (754, & 921).

Hinc patet quare, & qua ratione in philosophicis, & theologicis scholis dici soleat, *Deum esse purum actum*; seu, quod in idem recidit, Deum potentiam esse, quæ omnes actus per-

fe-

fectivos, quos habere potest, æternum habuit. Hac *existendi*, & *essendi* ratione Deus a quovis alio ente essentia differt (175).

I. In homine, exempli gratia, potentiæ intrinsecæ, & naturales magis, magisque perfectibiles sunt; in dies augeri, roborari, perfici possunt.

Hujusmodi est potentia cognoscendi, quæ novis ideis, novisque cognitionibus in dies augetur, atque perficitur. Ita potentia ratiocinandi suis actibus quoque in dies perficitur; & judicandi & ratiocinandi consuetudine ad res apte percipiendas, & distinguendas in dies aptior evadit. Ista potentia exterius agendi, puta, incedendi, saltandi, scribendi, canendi, dimicandi, onera attollendi, actibus suis, & agendi consuetudine, in dies (ceteris paribus) facilius, atque perfectius activa fit.

II. Contra vero in Deo *nulla est* potentia, quæ novum perfectionis neque accidentalis gradum acquirere possit; Deus enim quidquid perfectionis habere potest, æternum habuit, quidquid melius est habere, quam non habere æternum habuit, sive cognitionum, sive potentiæ, sive proprietatum ad ordinem moralem spectantium, sive generis alius cujuscumque, Deus æternum habuit.

Quidquid Deus hodie est, fuit heri, erit cras, fuit ante omnia sæcula intelligibilia, erit post omnia sæcula intelligibilia, nullo alicujus intrinsecæ perfectionis augmento, aut decremento.

POLYTHEISMUS, ET MANICHÆISMUS.

928. EXPLICATIO I. *Polytheismus*, sive plurium Deorum cultus unum est ex humanæ mentis deliriis, quorum veram causam, aut originem invenire non ita proclive est.

I. Videtur primum polytheismus ex male perce-

cepta naturali religione ortum habuisse. Notio aderat confusa Dei in visibili natura existentis, quem colere, & timere oportebat; hanc non satis claram notionem sequuti homines Deum in diversis rebus, in quibus se ejus attributa videre putabant, colere cœperunt (871).

II. Videtur deinde polytheismus non nisi multo post diluvium vigere, & dilatari cœpisse. Primis mundi ætatibus paucæ illæ familiæ, quæ universum humanum genus erant unicum tantum ens supremum, Deum increatum, & creatorem noscebant, & adorabant.

929. EXPLICATIO II. *Manichaismus*, sive impium systema binos in natura Deos admittens, tertio æræ christianæ sæculo ortus est.

Insaniæ, sive delirii hujus auctor fuit servus quidam Persa primum Curbicus, deinde Manes appellatus, qui ut eorum, quæ nobis prospera, & adversa accidunt, rationem redderet, tum virtutum, ac vitiorum, *bina* in visibili natura *aterna principia* invexit omnino inter se distincta, & diversa, atque inter se perpetuo confligentia; quorum alterum boni physici, & moralis, alterum mali physici, & moralis causa esset. Ab his per Manetem prospera, & adversa, virtutes, & vitia tum cuique peculiaria, tum gentibus communia; ea ratione, qua modo unum, modo alterum principium alteri virtute, & potentia prævalebat (896).

Duorum principiorum aternorum, & oppositorum opinio a quibusdam veteribus philosophis æque impiis, ac rudibus excogitata fuit, quorum meminit Plutarchus in libro de Iside, & Osiride. Ab his opinio hæc ad Manetem transiit, qui illam iis omnibus deliriis, ac commentis convestivit, quæ somniarunt pseudoprophetæ quidam primis æræ christianæ temporibus *Gnostici* nuncupati. Rex Persarum Maneti vivo corium detrahi jussit; satius fortasse fuisset illum aliquo stultorum ergastulo includere.

930.

930 COROLLARIUM V. *Polytheismus, & Manichaismus systemata sunt evidenter falsa, & absurda.*

DEMONSTRATIO. I. Si plures Dii, plura æterna principia haberentur, evidens est, unius naturam non fore naturam alterius; secus non duo Dii, sed unus, essent. Evidens est, neutrum horum fore ens infinitum intelligentia, potentia, perfectione; quum enim distincti sint, intelligentia, potentia, perfectio unius non illa alterius esset. Evidens est, neutrum horum fore Deum; neutrum enim esset ens infinitum, ens independens, ens supremum.

II. Si dumtaxat mundus hic visibilis spectetur, cuique ratione utenti, modo intimæ animi sui voci auscultare velit, facile erit unius, atque unici Dei existentiam inferre. Ex hoc enim cuique obvio judicio, hanc scilicet rerum universitatem re ipsa existere non posse, eamque esse *Totum unicum* ita dispositum, ut singulæ ejus partes ad eundem scopum tendant, perpetuam nempe, & uniformem hujus totius evolutionem; ex hoc, inquam, judicio facile quivis speculator *ad causam primam, & unicam* cognoscendam perveniet, quæ non nisi unus Deus esse potest.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

931. OBJECTIO I. Qua ratione Dei simplicitatem cum *vera extensione*, quam in ipso supponit necessario ejus immensitas, sive substantiæ suæ ubique existentia, concilies? Substantia infinite simplex potest ne simul esse Romæ, Parisiis, in Saturno, in Syrio, in universa rerum immensitate, imo infinitum ultra? Atqui Deus ubique existit; ubique enim agit; & actio ubi est ibi necessario existentiam supponit. Ergo Deus non jam substantia infinite simplex,

plex, sed est substantia re ipsa extensa, adeoque partibus composita, quarum aliæ extra alias sint.

RESPONSIO. Sæpius jam monuimus, in iis quæ perfectius cognoscimus, semper aliquid obscurum, & abstrusum esse, quod intellectus noster apte percipere numquam potest; in iis vero, quæ cognoscimus certum ab incerto non infirmari. Hoc in universa philosophia præ oculis semper habendum est (56).

Dei immensitas philosophorum omnium consensu est, *divina natura ubique existentia*. At quomodo divina natura ubique existit? Hac super re in varias sententias abeunt.

Volunt alii, eam re ipsa ubique existere non cognitione, & actione tantum, sed & ipsa substantia. Volunt alii, eam, non substantia ipsa, sed tantum cognitione, & actione ubique existere.

932. SENTENTIA I. Per Cartesianos divina natura *nullam omnino* neque realem, neque formalem, neque virtualem *extensionem* habet. Deus, inquiunt, substantia sua nullibi existit; Deus enim spiritus est; spiritus autem proprie loquendo nullibi existunt; quum locus per eos non sit nisi materia extensa, cum qua spiritualis substantia nihil commune habet, aut habere potest. Deus vero ubique *cognitione, & actione sua* existit; omnia quippe ubique cognoscit, & operatur, quin ibi *substantia sua* existat.

CONFUTATIO. Multifariam sententia hæc oppugnari, & confutari potest.

I. Quid est nullibi esse, nisi nullo pacto existere?

Deinde quid sibi vult hoc ubique existere actione sua, non natura, & substantia? Qui concipias, substantiam agere ubi non sit? Agit, inquies, efficaci sua voluntate. At Dei actionem ita explicans, difficultatem obnubilas, non sol-

solvis. Quid enim est voluntas efficax ubi nulla substantia sit, cui hæc voluntas insit, & a qua effectum sortiatur?

II. Evidens est, *Divinam naturam ipsa substantia sua ubique existere*; ubique enim operatur; atqui actio ubi est ibi necessario existentiam supponit; causa vero, quæ aliquo in loco non sit, pro loco illo perinde est, ac si non existeret.

933. SENTENTIA II. Per Scotistas in natura divina nulla datur *realis* extensio, sed habetur *extensio formalis*. Deus, inquiunt, non modo cognitione, & actione ubique existit, sed etiam natura sua, quæ infinitis distinctis formalitatibus constat. Formalitas, qua constituitur existens Parisiis, non ea est, qua constituitur existens Romæ, aut in Saturno. At vero formalitates hæ distinctæ nullam in ipso faciunt substantiæ diffusionem; harum enim omnium collectio non est, seu non facit in Deo nisi unam, eamdemque indivisibilem substantiam (306, & 312).

CONFUTATIO. Patet, sententiam hanc Scotisticam a fabuloso systemate tantum derivatam confingi; præterea nullo pacto quæ explicanda sunt explicare.

Quid enim in Deo concipiamus, quum *formalitatem* audimus, qua Deus constituitur existens Parisiis, & quæ hoc ipso unum evadit ex divinæ naturæ constitutivis? hac enim formalitate fit, ut Deus cognoscat Parisios, ut Deus agat Parisiis, ut Deus existat Parisiis.

934. SENTENTIA III. Per Thomistas nulla in Deo datur extensio realis, sed *extensio virtualis*, quæ consistit in æquivalentia infinitis substantiis distinctis spiritualibus in omnibus spatii infiniti punctis dispositis, in quibus materia aut existit, aut existere posset.

I. Deus, inquiunt, substantia sua & in Saturno, & in tellure existit; ibi enim, & hic agit.

II.

II. At non propterea (pergunt) sequitur, Deum realem extensionem habere; ad hoc enim opus esset, ut substantiæ suæ pars in Saturno esset, altera in tellure; quod omnino fieri nequit in Ente, in quo omnis partium compositio repugnat.

IV. Quare, tandem inferunt, necessario in Deo virtualis extensio admittenda est; & dicendum, divinam naturam etsi infinite essentia sua simplicem, infinitis distinctis substantiis æquivalere, quæ in omnibus spatii infiniti punctis essent dispositæ; sive natura divina concipiatur ut habens *existentiam infinities repetitam*, sive fateamur, hac ex parte ipsam nullo pacto mente concipi posse.

935. SENTENTIA IV. Philosophi nonnulli pure, & simpliciter in Deo *realem*, & *infinitam extensionem* admittunt, quæ tamen nullo pacto extensioni materiæ similis sit.

I. Deus, inquiunt, ubique substantia sua existit, ubique enim in universa existente natura agit; etsi millies mille alios mundos crearet extra mundum hunc existentem, concipimus in ipsis eodem pacto acturum. Exempli gratia, existit in terra, in sole, & in omnibus punctis intermediis.

II. At in quovis puncto totus omnino existit; & extensio ejus realis, quam non nisi materiæ existentis, aut possibilis extensio metiri potest, cui tota indivisibili substantia sua correspondet, nihil cum reali materiæ extensione commune habet; Materiæ enim extensio necessario semper est a partibus inter se distinctis, & invicem extra se positis.

936. CONCLUSIO. Harum omnium disquisitionum hæc itaque conclusio sit.

I. Evidenter demonstratum est, divinam naturam partibus distinctis constare non posse.

II. Evidenter quoque demonstratum est, divinam naturam in universa rerum universitate age-

agere, & operari, adeoque ipsam substantia sua ubique existere.

III. Ergo divina natura, nullo infinitae simplicitatis suae detrimento, potest ipsa substantia sua in universa rerum immensitate existere. Ergo quocumque nomine vocetur haec *natura divina in universa rerum immensitate existentia*; sive dicatur extensio realis, sive virtualis, certum est, ipsam in Deo dari, nihilque ejus simplicitati officere.

937. OBJECTIO II. Qua ratione concipiamus, infinitam omnium infinitarum perfectionum collectionem esse unicam re ipsa substantialem perfectionem infinite simplicem? Qua ratione concipiamus, Deum, nulla intrinseca voluntatis, & actionis mutatione, e non creatore creatorem factum fuisse? Qua ratione concipiamus, Deum nobis modo amicum esse, modo inimicum, modo e judice nostro patrem fieri, modo e patre judicem, nulla in ipso cognitionum, aut judiciorum vicissitudine?

RESPONSIO. Saepius jam monuimus, inter Deum, & nos infinitum intercedere; & eum, qui in Deo attributum aliquod admittere recuset, propterea quia in illo aliquid inveniat, quod mente comprehendi nequeat, se hoc ipso in philosophandi ratione plane rudem fateri.

I. Fieri potest, ut unica *substantialis infinita perfectio* aequivaleat, limitato nostro percipiendi modo, infinitis distinctis perfectionibus. Unica siquidem substantialis infinita perfectio, ratione suae infinitatis, infinitorum diversorum effectuum causa, & origo esse potest; quos, ut mente distinguamus, vocamus modo effectus sapientiae, modo effectus potentiae, hos justitiae, illos beneficentiae, aut misericordiae; atque ita de ceteris; etsi omnes ab eodem unico principio emanent, quod nos ideis praecisivis in plura partimur (317, 323).

II.

II. Deus mundi dato tempore creandi voluntatem æternum habuit; porro divina hæc voluntas semper subsistens, & immota in Deo perseverans re ipsa dato tempore id effecit quod æternum statuerat dato tempore efficere. Quid in hoc ullam in Deo intrinsecam mutationem eo instante, quo e non creatore creator effectus est, indicat, aut supponit?

938. NOTA I. Quum Deum ut extra se operantem concipimus, ideo *exigentiam intrinsecæ mutationis* perperam concipimus, quia Deo, fortasse nec attendentes, nostram agendi rationem tribuimus.

I. Nos, ut a non actione ad actionem transitum faciamus, semper aliquo conatu, aut aliqua sive corporis, sive mentis contentione indigemus, qua vera in nobis intrinseca mutatio fit; & Deum quoque concipientes simili ratione a quiete ad actionem transire, in ipso quoque, falso hoc judicio, intrinsecam mutationem nostræ similem concipimus.

II. At vero quum Deus sola sua efficaci voluntate agat, nullo conatu, contentione, aut intrinseca mutatione nulla indiget, ut effectus ab ipso decretus consequatur. Ipse vult; & quod æternum voluit, tempore ab ipso statuto contingit.

939. NOTA II. Pari modo quum Deum concipimus modo nobis amicum, modo inimicum, ideo *intrinsecæ mutationis exigentiam* perperam concipimus, quia nostrum amandi, aut odio habendi modum nulla ratione Deo tribuimus.

I. Homo amicus est benevolentiæ affectu naturæ suæ accidentali, quo ad amico benefaciendum inclinatur; inimicus vero est aversationis affectu naturæ suæ accidentali, quo ad inimico malefaciendum inclinatur. Homo ab amore ad odium, aut ab odio ad amorem transire nequit, quin ejus natura accidentalem quidem, at veram subeat mutationem.

II.

II. Contra vero Deus non est amicus, aut inimicus, amans pater, aut tremendus judex, nisi ratione infinitæ rectitudinis immutabilis essentiæ suæ, quæ omnia recte procedere semper exigit. Quum nos justi sumus, in nobis Deus objectum præmiorum suorum videt; quum rei sumus in nobis punitionum suarum objectum videt. En Dei in nos odium, & amorem.

III. Quum nos a virtute ad vitium, aut a vitio ad virtutem transitum facimus, nulla in divina essentia mutatio fit, quæ ex amica fit inimica, aut vice versa: tota mutatio extra hanc essentiam est; terminus aut objectum divinæ essentiæ mutatur, non ipsa. Post mutationem nostram a recto in pravum, aut a pravo in rectum, ipsa eadem est, quæ prius, nulla mutatione, nihiloque addito, vel dempto.

940. OBJECTIO III. Certum est, si Deus existit, ipsum necessario in se omnes, quæ haberi possint, perfectiones habiturum, ipsas terræ, solisque perfectiones, hominis, bruti, vegetabilis, fossilis; quæ omnes re ipsa distinctæ sunt, quæque sæpius naturæ diversitate simul esse nequeunt. Qua vero ratione perfectionum ita distinctarum collectio una sit tantum substantia infinite simplex? imo vero qua ratione perfectiones hæ, quæ simul esse nequeunt, substantia una esse possint?

RESPONSIO. Deus, ens omni perfectionum genere infinitum in se omnes, quæ sunt, aut esse possunt, perfectiones habet, aut *formaliter*, aut *virtualiter*, aut *eminenter*. At non inde sequitur, ipsum *formaliter* ullam habere ex finitis, & limitatis perfectionibus, quæ in rebus creatis reperiuntur.

I. Divina essentia perfectionem substantialem *formaliter* habet infinitam, & infinite simplicem infinito perfectionum diversarum numero æquivalentem, quæ omnes infinitæ sint: hæc enim perfectio in Deo re ipsa est, cum sua natura, ac

quibus insident. Deus *virtualiter* corporum motorum vim habet mechanicam; ipse enim immotus id omne efficere potest, quod vires motrices agere, aut agere videntur. *Omnia movet immotus.*

941. NOTA. Innotescit hic quam absurdum sit hoc nonnullorum atheorum ratiocinium: *Deus omnes, quæ sunt, aut esse possunt perfectiones habet; ergo Deus est ens chimaricum.*

Patet nullam esse hanc atheorum conclusionem; nisi si admittatur chimærica hypothesis, divinam nempe naturam intrinsece constitui *formali perfectione* solis, terræ, hominis, bruti, vegetabilis, fossilis, ceterorum; quam hypothesim Theistarum sententiam esse velint.

At enimvero certum est, nihil unquam fuisse in Theistarum, gentium scilicet quarumcumque Deum increatum, & creatorem admittentium, sententia, quo hæc hypothesis statui possit. Quare nemo unquam rectus, & sanæ mentis homo hac hypothesi ad impietatem adstruendam jure uti potuit (896).

ARTICULUS II.

PROVIDENTIA DEI.

942. OBSERVATIO. Atheus Dei existentiam impugnans ejus quoque providentiam proinde impugnat. Deista Deum admittit, ejus providentiam negat, aut saltem eam providentiæ partem, quæ *supernaturalem rerum ordinem* respicit, & moribus, ac religioni fundamentum præbet.

Contra atheos Deum existere jam ostendimus. Nunc contra deistas, quos alibi satis descripsimus, divina providentia demonstranda est. (771, & 772).

DI-

DIVINÆ PROVIDENTIÆ NOTIO.

943. DEFINITIO. Divina providentia in Deo, & extra Deum considerari potest: in suo principio, & in suis effectibus.

I. *Providentia interior*, & in Deo est ille actus immanens Divinitatis, quo Deus media decernit apta res omnes creatas ad proprium cujusque finem perducere.

Patet, providentiam ita consideratam nihil esse a Deo distinctum, sed Deum ipsum esse, quatenus ea decernentem, & operantem, quæ rerum creatarum natura, & finis postulat.

II. *Providentia exterior*, & extra Deum, est mediorum delectus, & applicatio, quibus Deus res creatas conservat, & ad suum finem perducit. In homine præsertim *naturalem*, *& supernaturalem rerum ordinem* hic consideramus. Bini siquidem hi rerum ordines ad hominem ad plenum, perfectumque finem suum perducendum sunt instituti: hic autem est Deo obtemperare in hac vita, & illo frui in futura.

944. NOTA. Ut cavillationes quamplures de divinæ providentiæ theoria præscindamus, hæc adnotemus.

I. Divina providentia in suo principio, ac fonte, in Deo scilicet considerata, infinite perfecta est; est enim *actus ille immanens divinitatis* ipsi identificatus, qui sapientia infinita dirigente, & infinita beneficentia movente media decrevit apta res quasque ad propositum cuique finem perducere.

II. Divina providentia extra Deum, & in suo termino considerata, nempe in *generico rerum ordine* tum naturali, tum supernaturali a Deo statuto eam omnem perfectionem habet, quæ & Deum ejus principium, ac fontem decet, & quæ rebus creatis ejus objecto, & termino congrua est; ipsa siquidem a se aptissima est

est omnia cujusque speciei individua ad finem a Deo cuique propositum perducere.

III. Deus naturæ, & religionis auctor natura sua infinite liber, infinite ideis dives, infinite actione fœcundus *aliam ab ea, quæ nunc est in natura providentiam* statuere potuisset, quæ & in se perfectior, & homini tum pro hac, tum pro futura vita gratior esse potuisset.

IV. At vero Deus infinite sapiens, ac potens, qui nihil vitiosum, nihil ineptum, nihil ad finem propositum inopportunum facere potest, in operibus suis externis ad *optimum*, aut perfectissimum non tenetur; sive quod natura omnino liber est, sive quod optimum, aut perfectissimum in se repugnat, ut alibi ostendemus.

V. Hæc externæ providentiæ pars, quæ ad *supernaturalem rerum ordinem* in homine spectat, nimis a simplici de Deo tractatu aliena est, quæ omnibus numeris, ac pro dignitate pertractetur. Quare præcipua tantum principia statuemus, quæ supernaturalem hanc providentiæ divinæ partem respiciunt; ipsam siquidem satis jam solide, ac dilucide in nostra philosophia religionis exposuimus, ostendimus, ac vindicavimus.

RERUM FINIS.

945. DEFINITIO. *Rerum finis* in genere est ratio illa, qua a Deo creatæ sunt, sive munus, cui a Deo destinatæ sunt. *Providentia* vero *externa* res creatas respiciens sita est in diversis tum generalibus, tum peculiaribus mediis, quæ Deus illis sufficit, ut finem, cui destinatæ sunt, assequantur.

I. *Res tantum materiales* finem tantum naturalem habent; media vero a providentia suf-

fecta ad finem hunc assequendum præcipue sunt impulsus, attractio, affinitas, ceteræque tum generales, tum peculiares naturæ leges (Phys. 73, 78, 80, 88).

II. *Bruta omnia* ipsa quoque non nisi naturalem finem habent; media vero, quibus ea providentia ad hunc finem adducit, sunt organa, instinctus, & substantiarum, a quibus afficiuntur, cum his organis, atque hoc instinctu relatio.

III. *Hominum genus* & finem habet naturalem in hac vita ad ordinem physicum, socialem, & moralem limitatum; & finem supernaturalem, quo ad virtutes superioris ordinis exercendas elevatur, quibus novi generis beatitudinem in nova, & æterna vita mereatur.

Media, quibus utitur providentia, ut homines ad *finem naturalem* adducat, sunt organa, instinctus, & ratio.

Media quibus utitur, ut *finem suum supernaturalem* assequi possint, sunt supernaturales illustrationes in potentiis intellectivis, & supernaturales motiones in potentiis affectivis; quæ media duo a naturæ, & rationis viribus haberi nequeunt; sed necessario a *cælesti, & supernaturali gratia* procedunt, ad quam natura humana nullum per se jus habet.

946. PROPOSITIO *Datur re ipsa divina providentia, qua rerum universitatem, & homines curat; qua physicum, & moralem ordinem servat; quaque diverso modo vitia, & virtutes respicit.*

DEMONSTRATIO.. Dei providentia non minus, ac ejus existentia elucet; ergo hæc illam trahit: hæc providentia in omnibus, quas divinitatis habemus, notionibus inclusa est; in universa rerum natura illam intuemur.

EXPLICATIO I. *Divina providentia in omnibus, quas divinitatis habemus, notionibus, inclusa est.* Hoc facile quisque dignoscet.

I. Di-

I. Descendit hæc primo *ex idea Dei infinite sapientis*, qui laboris expers res a se creatas curare, & bona eis providere potest; neque enim frustra eas esse facit; qui quoque suæ ipsius infinitæ sapientiæ ratione vult creatas res ad finem tendere, propter quem existunt; ceterum neque juxta ideas suas, nec recte operaretur; qui eadem sapientiæ suæ ratione, & infinitæ suæ rectitudinis bona rebus creatis providens debet propterea media illis sufficere, quibus & conserventur, & finem ipsis statutum assequantur; sive ipsæ cæca necessitate ducantur, sive intelligentes sint, & libere operentur.

II. Descendit deinde *ex idea Dei infinitè sancti*, qui ratione essentialis suæ rectitud nis ordinem moralem magis etiam, quam physicum amans necessario velle debet, ut *moralis ordo* in entium intelligentium, & liberorum mentibus, & cordibus vigeat, atque servetur; necessario proinde diverso modo virtutem, & vitium spectare debet, illam diligere, cujus totum meritum, & præstantiam penitus novit; hoc odisse, cujus deformitatem, ac pravitatem omnem percipit; quare quidquid in ordine morali malum est detestari, quidquid bonum adprobatione prosequi debet; ac proinde virtutem præcipere, quæ hujus ordinis exercitium est, crimen vetare, quod hujus ordinis violatio, & eversio est.

III. Descendit tandem *ex idea Dei infinitè justi*, cui cum in omnes res creatas sive intelligentes, sive intellectu carentes summum jus sit, necessario ratione essentialis suæ rectitudinis velle debet, ut omnia ordini tum physico, tum morali subjecta sint, quos statuit, & servari decrevit; qui postquam virtutem præcepit, crimen vetuit, nequit, quin justus esse desinat, & a statutis recedat, æquis oculis virtutem, & crimen aspicere; propterea ratione essentialis hujus, sibique naturalis rectitudinis condi-

gna præmia virtuti tribuere, condignas pœnas crimini infligere debet, sive in hac vita, sive in futura.

Hinc sequitur, ex ipsa idea Dei, atque ex præcipuo humanarum cognitionum principio (417) demonstratum esse, divinam providentiam re ipsa haberi, quæ mundum, & homines curat, quæ tum moralem, tum physicum ordinem tuetur; falsum vero, & absurdum evidenter esse, Deum naturæ dominum, qui physicas leges immotas servat, nihil *moralium legum* aut observantiam, aut violationem curare, ut Deistæ contendunt; neque sibi obsequentes, ac fideles diligere, aut præmio afficere; neque sibi refractarios indignatione prosequi, aut pœnis mulctare.

EXPLICATIO II. *Omnia in natura adorabilem providentiam nobis annunciant.* Si enim non sit divina providentia, quæ res creatas omnes curet, quæ generalem, & peculiarem visibilis naturæ ordinem statuerit, & adhuc dirigat:

Qui fit, ut aeris, aquæ, ignis, lucis, succorum, & salium terrestrium particulæ ita ad amussim delectæ sint, & congruant diversis animalium organis, & vegetantium fibris?

Qui fit, ut æterna elementorum pugna, æternus corporum inter se conflictus motum, quo natura visibilis animatur, & fœcundatur, non extinguat?

Qui fit, ut omnes plantarum, & animantium species perpetuo serventur, quin primigeniam naturam mutent, quin eorum organa, & structura vitietur, quin sese invicem destruant?

Qui fit, ut mare, & tellus perseveranter omnium viventium speciebus alimenta ea ipsa præbeant, quæ eorum organis, & indigentiæ sunt consentanea; & ut in quavis specie conservationis subsidia semper sint destructio-

nis

nis causis proportionalia ; ita ut ex perpetua individuorum destructione speciei perpetuitas ad creatoris mentem exoriatur?

Qui fit, ut hominum species, quæ præ ceteris in natura attendi debet etsi stirpibus, legibus, præjudiciis, physicis propensionibus admodum varia, semper, & ubique virtutem honore, vitium horrore prosequatur; nisi divina manu primitus hominum animis insculptæ fuerint, & perpetuo insculpantur universales illæ, & immutabiles leges, quæ in ipso ordine physico *moralem ordinem* statuunt?

Sane cæcus sit oportet, qui inter tot illustria phænomena, quæ divinam providentiam perpetuo, & ubique annunciant, divinam hanc providentiam non videat.

Divinam ergo *providentiam existere*, æque ratione, experientia, probationibus metaphysicis, & facto ipso demonstratum est. Q. E. D.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

947. OBJECTIO I. Deum infinite sapientem, & infinite magnum non decet in rebus creatis curandis, quæ coram ipso infinite viles sunt, occupari: earum indigentias, conflictus, bonas, vel malas qualitates attendere, quæ ipsi maxime exigua sunt, & nullius momenti; ut regem potissimum dedeceret vermes, & insecta, quæ in e us hortis nascuntur, curare, eorumque gressus, & opera studiose persequi.

Non est igitur providentia divina, quæ mundum, homines, bruta, plantas, & reliqua curet; aut si est, ipsa tantum species, quas Deus servare vult, curat, non vero individua, quæ sive sint, sive pereant, nihil ejus interest.

RESPONSIO. Vulgaris hæc, ac trita similitudo, nec minus absurda, unicum re ipsa Deismi fundamentum est. Hoc subtrahe Deismo, nuspiam stabit. *Dei magnitudo*, *hominis*

vilitas duo illa sunt, quae tantum habent Deistae, quae objiciant, ut probent, nullum esse Dei cultum, religionem nullam: Deum nec virtutes, nec hominum vitia curare; a Deo neque praemia, neque poenas in hac, aut in altera vita expectandas esse. Haec omnia vero inepta hac, atque ad aurium fastidium repetita comparatione innituntur: Deus est homini quod Rex vermi.

At enim vero comparatio haec, in qua tamquam victores exultant deistae, ita ne victrix philosopho videatur? verum ne omnino censeas, Deum non alia ratione ad res creatas referri, quam ut rex ad vermes? & Deum dedecere, earum necessitates, & opera attendere ut regem dedeceret vermium necessitates, & actiones curare?

I. Si modo Deum infinite sapientem, & infinite magnum dedecet res creatas coram ipso infinite viles curare; seque earum servatorem, legislatorem, patrem communem ostendere; quare Deum hunc infinite sapientem, & infinite magnum initio temporum pari ratione non dedecuit res has infinite viles creare, aut efformare, ordinem physicum, vel moralem statuere, quo regerentur, conservarentur, ad finem cuique statutum adducerentur?

Si Deum non dedecet rerum existentiam velle, cur quae hanc existentiam necessario consequuntur velle eum dedeceat? Si Deum non dedecet finem velle, cur Deum dedeceat media velle, a quibus necessario finis hic pendet?

Si vero Deus speciem curat, qui speciei individua non curet, ut perperam deistae nonnulli contendunt? quid tandem species est, nisi omnium individuorum collectio? qua vero ratione magis de specie, quam de individuis Deo cura sit?

Ex his sane patet, si atheismus magis in principiis suis absurdus est, Deismum magis in conse-

sequentiis absurdum esse; re vero ipsa ambo systemata ut vitiosissima tum a dialectica, tum a morali damnari.

II. Si nihil commodi, aut utilitatis Deus infinite magnus, infinite dives, infinite in se, & a se beatus modo sperare potest physicum, & moralem rerum ordinem conservando; quo, quæso, sui commodo, aut utilitate moveri potuit initio temporum, ut rerum creatarum bono ordinem hunc physicum, & moralem statueret? an non omnino præpostera philosophandi ratio est, *quid Deum velle, aut agere deceat inquirere*, utilitatem, seu commodum investigando, quod illi a rebus obvenire possit?

Quasi vero voluntates in Deo non essent, nisi quæ aut *a suis indigentiis* determinarentur, aut *ad objecta infinita* terminarentur. Quasi vero ratio ipsa aperte non deceret, Deum velle, & velle debere, nulla sui commodi, aut utilitatis causa, quidquid necessario postulat essentiæ suæ rectitudo, decretorum suorum executio, rerum a se creatarum natura, atque exigentia.

III. Ut autem modo magis ad comparationem, quam deistæ tanti faciunt, accedamus; verum ne est in hac, quam veluti geometricam æquationem proferunt, ita se habere omnino primum terminum alteri, ut tertium quarto? Verum ne est non alio pacto homines, resque alias creatas a Deo creatore esse considerandas, ac a magno rege vermes hortorum suorum considerandi sint?

„ Œconomia providentiæ, ait eloquens orator quidam philosophus, ecclesiasticæ historiæ, & mirabilibus naturæ phænomenis concors innumeras diversitates exhibet *inter respectus, quos ad homines Deus habet*, & eos, quos rex quispiam ad telluris vermes habere potest.

„ Rex hic vermibus hisce animam intelli-

„ gentem non est impertitus: Deus nobis in-
„ telligentem animam impertitus est. Rex hic
„ neque innumeris inflictis suppliciis, neque in-
„ numeris magnificis præmiis ostendit, se de ho-
„ rum vermium vivendi ratione curam gerere:
„ Deus hisce suppliciis, atque hisce præmiis o-
„ stendit, se ad hominum vivendi rationem in-
„ vigilare. Rex hisce vermibus erga se obsequium
„ non injunxit asserimus; nos a Deo nobis illi
„ obsequendi munus injunctum esse. Rex cum
„ his vermibus fœdus nullum iniit: Deus no-
„ biscum fœdus iniit. Rex hisce vermibus æter-
„ nam beatitudinem comparare nequit: Deus
„ illam nobis comparavit.

„ Rex, quantumvis magnus, homo est; a-
„ deoque mente infinitum & ipse limitatus est;
„ quare absonum esset, illum, qui regno guber-
„ nando operam omnem navare debet, minimis,
„ ac futilibus occupari. At vero ita ne nos de
„ Deo sentimus? Solis directio, mundi regi-
„ men, horum omnium formatio, quæ in na-
„ tura enascuntur, universi orbis moderatio to-
„ tam hanc, quam colimus, intelligentiam ne-
„ quaquam occupant. Dum cogitatione omnia
„ quæ creata sunt, & creari possunt comple-
„ ctitur, quodvis individuum ita illi præsens
„ est, ac si in illo tantum occuparetur."

948. OBJECTIO II. Si Deus rerum ordinis physici, & moralis auctor, & conservator esset, tot ne *imperfecta*, *& incongrua* videremus in ea universa visibilis naturæ parte, quæ magis observationibus nostris obnoxia est? Essent ne in tellure, quam incolimus tot immensæ regiones intolerabili calore adustæ, tot aliæ æterno gelu inhospitæ, tot horrendi montes, tot herbæ lethiferæ, tot noxia insecta, tot fera bruta, quæ nunquam infinitæ sapientiæ opus esse dicenda sunt? Obnoxii ne essent homines tot tenebris in mente, tot pravis affectibus, tot morbis, quibus cruciantur, tot ne cri-

crimina perpetrarent, tam virtutis fastidientes essent, tot ęrumnis vexati, tam felicitate carentes; quibus omnibus miseram, ac pereuntem vitam vivunt?

Si Deus infinite sapiens, atque infinite potens visibilem naturam condidisset, & moderaretur, nonne naturam condere debebat imperfectam minus, & minus vitiis deturpatam? non ne ordinem in illa tum physicum, tum moralem statuere debuisset multo meliorem, ac perfectiorem?

RESPONSIO. Si quis hæc sincero animo objiceret, quæ atheismo, & deismo commixta sunt, is se parum in sana philosophia, rectaque dialectica versatum ostenderet.

I. Omni jam soliditate demonstratum est, visibilem naturam, quocumque vitiorum cumulo deformata supponatur, non nisi Dei manu conditam esse, & conservari. Hoc jam tota præcedenti sectione ostendimus.

Quare *natura imperfectio* nequit esse medium philosophicum, quo Dei existentia, aut providentia impugnetur; nisi si demonstraretur (quod omnino fieri nequit), a Deo nihil, cui imperfectio insit, produci posse.

II. Quidquid in visibili natura *perfectionis* est, id evidenter Dei existentiam ostendit, a quo tantum ipsa existere potuit, & a quo tantum perseverat, a quo & esse cœpit.

Quidquid in ea *imperfectionis* est, id tantum indicat, quod jam aliunde novimus, Deum scilicet, a quo condita fuit, necessitate non cogi ea tantum facere, quæ omnino perfecta sint; sive quia Deus & natura, & actione omnino liber est, sive quia in re quavis creata absolute perfectum in se, & per se repugnat (964, & 969).

949. NOTA I. Evidens est, *exiguum hunc orbem, quem incolimus*, ut nobis sese spectandum exhibet, nobis, frustra contra oblatranti-

bus atheismo, & deismo, præclarum divinæ providentiæ spectaculum offerre; ut facile quisque ratione utens deprehendet, & ut altera præcedentis demonstrationis parte jam ostendimus.

Quibus itaque rationibus divinæ providentiæ in hoc orbe nostro existentia impugnatur? Ratione vitiorum, inquiunt, & imperfectionis in ipso exurgentis ex immensa quorundam montium altitudine, ex intolerabili zonæ torridæ ardore, ex immenso frigidarum zonarum frigore, ex plantis letiferis, est quibusdam noxiis insectis, ex voracibus feris, aliisque hujusmodi.

At unde nam colligent, hæc omnia esse *veros defectus* seu veras imperfectiones in rerum universitate? quid si contra sint necessaria quædam veluti machinamenta, unde totius terrestris machinæ perfectio exurgat? Certum est in orbe nostro imperfectiones esse, quæ tolli possent; at nihil probat, ea, quæ hic objiciuntur, in horum numero esse recensenda.

In iis omnibus, quæ in natura visibili probe novimus, nihil est, quod ad finem ordinatum non sit summo illo artifice dignum, a quo conditum fuit. Quare ergo, quave ratione definiemus temperiei diversitatem, anni temporum varietatem, magnam Alpium, atque Andium altitudinem, tigrides, scorpiones, cicutam, arsenicum, ceteraque hujusmodi in visibili natura inutilia esse, & vitiosa, quibus ipsa imperfecta, & deformis fiat?

950. NOTA II. Evidens quoque est, *humanum genus*, ut est in quavis mundi regione, etsi vitiis, ærumnisque obnoxium, tamen nobis ubique divinam providentiam patefacere, qua primum conditum fuit, & perseveranter subinde organis instructum, atque anima donatum. Quibus itaque rationibus divina providentia in homine impugnatur? ex mentis tenebris, ex pravis affectibus, ex morbis, qui-

bus

bus cruciatur, ex morum vitiis, quibus deturpatur. At enim vero quibus argumentis probari poterit omnia hæc hominis vitia, defectus hos omnes cum divina erga hominem providentia stare non posse?

I. Hominis mens, inquiunt, *tenebris, & ignorantia* laborat.

At undenam constat, Deum infinite sapientem, at infinite liberum majorem cognitionum copiam homini impertiri debuisse; quæ fortasse nullius fuissent usus, ut homo finem a Deo illi statutum assequeretur; quæque fortasse neque magis felicem, neque magis virtutis amantem hominem fecissent?

II. Homo, adhuc inquiunt, *animo ad pravitatem proclivi* est.

At undenam constat, a Deo conditore hominis animo hanc ad malum proclivitatem primitus inditam fuisse; non vero, ut nos fides docet, eam a voluntario, & libero naturalium facultatum abusu in homine exortam esse?

Undenam deinde constat, hanc ipsam ad malum proclivitatem, undecumque orta sit, homini esse non posse, ut fides docet, nunquam deficiente gratiæ cælestis auxilio, verum virtutis, & meriti supernaturalis uberrimum fontem?

III. Homo, pergunt iterum, natura *plurimis infirmitatibus obnoxius* est.

At enim vero undenam constat, Deum infinite sapientem, & infinite liberum, qui entia æternum duratura condidit, entia peritura condere non potuisse? Deum hunc ipsum, qui entia condidit doloris, & sensus expertia, alia sensu prædita, & doloribus obnoxia condere non potuisse; si utraque universi partes sunt, illudque constituunt juxta sapientissimas divini artificis ideas, quæ tamen semper mentis nostræ captum aliqua ex parte exsuperant?

IV. Homo, tandem inquiunt, *morum depra-*

vatione sese satis prodit omnino alienum a Divinis institutis, quibus asseritur ad recte vivendum, & ad æternum gaudendum conditus fuisse.

At undenam constat, Deum infinite sapientem, & infinite liberum, qui *entia* condidit *omnino necessitate agentia*, & quæ nullo modo a fine, ad quem ordinata sunt, recedere nequeunt, alia *entia libere agentia* condere non potuisse, quæ facultatibus suis naturalibus, pro voluntatis libidine uti, aut abuti possint?

Constat ne, Deum infinite sapientem, & infinite liberum uti non potuisse jure, ac facultate sua creandi entia libera ideo, quia ex his plura *libertate sua abuterentur*, & sontia, atque misera fierent; quum illa bene uti possent, & juxta sanctissimam, ac beneficentissimam Dei voluntatem, ut sibi merita in præsenti vita, & beatitudinem in futura compararent?

V. At enim vero hic animadvertentem est, ut alibi monuimus (924); ea quæ contra divinam providentiam objici possunt a malo tum physico, tum morali desumpta, ab exiguo electorum numero, a magno reproborum, aliisque hujusmodi, plene, perfecteque solvi non posse; nisi ad hoc & fidem simul, & naturalem, ac supernaturalem ordinem in auxilium vocemus; ex quibus simul sumptis, tota *externa providentia* efficitur erga hominem. Quare si plura hac de re desideres, consule sectionem septimam nostræ philosophiæ religionis.

AR-

ARTICULUS III.

LIBERTAS DEI.

951. OBSERVATIO. DAtur in Deo vera libertas; at omnia in Deo libera non sunt. Deus natura necessitatus, actione tantum liber est. Quare *divinæ libertatis* claram, atque perspicuam ideam habere maxime necessarium est.

I. Libertas Dei neque ejus existentiam respicit, quum necessario, & essentiali naturæ suæ exigentia existat; neque ejus cognitiones; necessario enim omnia cognoscit, & nihil ignorare potest; neque internas naturæ suæ operationes; nos enim de tribus divinis personis, quæ tres simul Deus sunt, fides docet, Patrem necessario generare Filium, & Spiritum Sanctum necessario a Patre, & Filio procedere.

II. Quare divina libertas est *facultas extra se agendi, aut non agendi*; Sive *facultas se ad agendum determinandi, aut non determinandi*, quæ aliquod objectum naturæ divinæ extrinsecum respiciat.

Exempli causa, Deus fuit æternum liber in creatione mundi visibilis; eternum enim libere hujus mundi creationem decrevit; initio vero temporum libere hanc æternam voluntatem exequutus est.

952. NOTA I. Libertas Dei est *immutabiliter permanens*; Deus enim natura ipsa est cujusvis mutationis incapax; & quod semel libere decrevit, & voluit, id semper libere decernit, & vult.

Si, exempli gratia, æternum se libere determinavit mundum dato tempore creare, hanc, vel illam salutarem gratiam in his, aut illis rerum circumstantiis Aristo conferre, *Deus æternum liber*

ber permanet sub hac permanente determinatione. Actus enim interior divinae voluntatis, qua Deus se libere aeternum determinavit hoc vel illud facere dato tempore, aeternum immutabiliter in Deo perseverat; quin unquam aut mentis distractione, aut oblivione deleatur, aut opposito actu retractetur.

953. NOTA II. *Facultas permanens voluntatem mutandi*, seu oppositum prius decreto decernendi, divinae libertati non est essentialis, ut humanae libertati essentialis est.

I. Si essentiale est *humanae libertati* posse voluntatem mutare, hoc ideo est, non quia liberi, sed quia imperfecti sumus.

Quum voluntati liberae essentiale sit inter diversa bona illi ab intellectu oblata sceligere; & quum intellectus suarum cognitionum volubilitate aut nova bona voluntati, cujus fax est, exhibere possit, aut idem bonum multiplici bonitatis specie; patet hanc cognitionum in intellectu mutationem necessario trahere in hac activa hominis facultate, quae se ipsam determinat, posse voluntatem mutare, seu determinationem sumere praecedentibus determinationibus oppositam.

II. At in *divina libertate* non ita res habet; Deus enim ens liberum est omni omnino imperfectione carens.

Deus, cuius infinita intelligentia omnia uno intuitu essentialiter videt, omnia optime aeternum vidit. Fieri itaque nequit, ut Deus, in quo nulla est cognitionum mutabilitas, aut imperfectio, ullo tempore novas ullas cognitiones acquirat, quae illum ad novam capiendam deteminationem inducant; ens enim liberum libere agens novam nequit determinationem capere, nisi nova cognitione *nova illi volendi, aut agendi rationes proponantur*.

III. Quum nihil contra naturam *potentiae liberae* sit libere a se stabilem determinationem cape-

capere, cui immutabiliter insistat; sequitur, Dei libertatem ejus immutabilitati neutiquam opponi, neque immutabilitatem libertati; quare in Deo attributa *libertatis, & immutabilitatis* optime stare possunt.

954. NOTA III. Philosophi omnes sentiunt, *Deum natura esse immutabilem*: hæc enim essentialiter semper eadem fuit: sive suis perfectionibus, quæ nec augeri, nec minui, nec mutari possunt; sive *suis decretis*, quæ æternum statuta, statuto tempore certissime effectum sortiuntur.

Tota vero hac de re quæstio inter illos est, num æterna Dei decreta aliquam in eo mutationem primitus postulaverint. Hinc *sententia dua*, quæ de Dei immutabilitate consentientes, in hac explicanda diversæ sunt.

I. Harum una statuit, Dei decreta esse tantum divinam essentiam, & objectum decretum; quæ duo nullam in Deo dicunt mutationem.

II. Altera statuit, Dei decreta esse modificationes divinæ naturæ accidentales. At vero hæ accidentales modificationes quum æternum in Deo fuerint, & semper perseverent, nec ipsæ in illo ullam dicunt mutationem; nunquam enim sine his modificationibus fuit, & nunquam erit (917, & 919).

FATUM ETHNICORUM, ET MAHUMETANORUM.

955. EXPLICATIO. Omni tempore norunt homines, visibilem naturam ab *invisibili potentia* regi, quæ eventus dirigit, & cui homines obsistere nequeunt. At quot de hac invisibili potentia falsa somniarunt, & adhuc somniant!

Græcorum, & Romanorum religio in universa visibili natura *Fatum* admittebat; potentiam nempe, seu divinitatem invisibilem ceteris omnibus minoribus diis superiorem, quæ

ipsa

ipsa necessitate ducta immutabilibus suis decretis universo rerum, & eventuum nexui absolutam necessitatem inducebat.

Necessarius hic rerum, & eventuum nexus a fati immutabilibus decretis procedens, *Fatum* dicebatur. Hoc omnia complectebatur, ne exceptis quidem humanis actibus, qui magis liberi videbantur. Quare juxta eorum religionem nulla in universis rebus dabatur *vera libertas*; omnia siquidem ineluctabiliter a Fato pendebant; quin ipsum quoque cæca potentia erat, & necessitate ductum.

956. NOTA I. Stoici hanc Græcorum, & Romanorum religionis partem, seu totam hanc de Fato sententiam in sua philosophia re ipsa admittebant. At nullam hujus invisibilis potentiæ, quam *Fatum* appellabant, distinctam notionem habebant; eam tamen veram causam arbitrabantur hujus rerum, & eventuum nexus, quæ in eorum systemate æternum, & nenessario ita consequuntur, ut nihil nexum hunc tollere, aut immutare possit.

Ut hæc Stoicorum sententia christianæ fidei de divina providentia congrueret, duo necessario in illa mutari deberent; admissa scilicet *invisibili potentia* qua natura perseveranter regitur, & gubernatur, fatendum esset, invisibilem hanc potentiam *nulla in natura sua necessitate obstringi*, eamque *nulla necessitate humanas voluntates obstringere* in iis actibus, qui liberi dicuntur.

957. NOTA II. Mahumetani, & hæretici nonnulli bina vitia Stoicorum sententiæ, quæ modo exposuimus, in veri Dei naturam transtulerunt; Deum quippe faciunt aut ens necessitate ductum, aut cujus decreta nobis necessitatem inferunt.

Exempli gratia, in Mahumetanorum de Fato sententia, homo noctu Constantinopoli pugione confossus in ictu moritur, non tantum

quia

quia mortali vulnere transfixus fuit; ſed quia *ejus hora advenerat*, ſeu quia ita omnia Deus æternum diſpoſuerat, ut ea morte illa hora moreretur.

Hoc Mahumetanarum effatum (*ejus hora advenerat*) nimium ſæpius temere a chriſtianis quoque profertur, qui non ſatis animadvertunt, in veræ fidei noſtræ principiis *plures eidem homini eſſe horas conditionales*; & qui annos natus octoginta e vita decedit, ſi pronum e ponte ſe in fluvium conjeciſſet ætatis anno vigeſimo, illam *ſuam horam* tunc fuiſſe deprehendiſſet.

Divina providentia in chriſtianæ fidei principiis quæcumque contingunt prævidet, atque permittit; & non ſemper res diſponit ideo, ut hic, vel ille effectus ſequatur, quorum aliqui a ſola hominum pravitate procedunt.

OPTIMISMUS LEIBNITII (*a*).

958. EXPLICATIO. Celebris Leibnitius ſummo vir ingenio, qui Germaniam patriam ſuam illuſtravit, quique inter clariſſima ſæculi proxime ſuperioris, & hujus quoque lumina recenſendus eſt, indignans vidit atheos, atque Deiſtas divinam providentiam criminari, haſque contumelioſas criminationes deſumere præſertim ex veris, ſive apparentibus naturæ, phyſici, ac moralis rerum ordinis defectibus. Ut contumelias has omnes de medio tolleret, & uno ictu impietatis hydræ capita omnia obtruncaret celebrem ſuam *optimiſmi* ſententiam excogitavit, quam in ſua Theodicea expoſuit, & explicavit. Opus hoc plane mirum eſt, in quo ſingularis elucet ingenii fœcunditas, atque

(a) *Etymologia. Syſtema in optimi, ſeu perfectiſſimi idea fundatum.*

que sublimitas, quodque etsi a veritate recedat, tamen ab iis ipsis, qui veritatem amant legi, & magni fieri meretur. Auctoris autem sententia hæc est.

I. Deus, inquit Leibnitius, in se liber est *libertate absoluta*; in se enim, & a se veram habet agendi, aut non agendi potestatem, quidquid velit, decernendi, aut non decernendi, mundum, exempli gratia, creandi, vel non creandi.

At hæc absoluta libertas *necessitati hypotheticæ* in Deo conjuncta est, quæ in illo ab ipsa naturæ suæ perfectione derivatur; Deus enim, postquam sese ad agendum libere determinavit, puta, ad mundum creandum, fieri nequit, quin a sapientia, & bonitate sua intrinsece necessitatus sit potentia sua activa omnium perfectissimam actionem ponere, quæ poni possit; & inter objecta, quibus hæc potentia applicari potest, illud producere, quod omnium optimum sit, & perfectissimum.

Ante omnia tempora, ante res omnes creatas mente nos cum Leibnitio feramur, ut inde Dei, qui creaturus est, actionem perpendamus.

Deus essentia sua in se ipso, & a se ipso beatus, libere sese determinat mundum creare, cujus nihil indiget.

Hac capta determinatione, cujus objectum adhuc indeterminatum est, Deus infinita intelligentia sua infinitos videt *mundos possibiles*, qui omnes ab ipso existentiam postulare videntur. At inter hos quem eliget Deus, ut illi existentiam impertiatur? Nisi omnium optimum & perfectissimum eliget, inquit Leibnitius, Deus a *sapientia* sua, seu *bonitate* recederet. Intrinsecam ergo a binis hisce attributis necessitatem habebit omnium optimum, ac perfectissimum inter possibiles mundum creare. Hæc est ejus *necessitas hypothetica*.

Ra-

Ratio, qua Deus intrinsecam necessitatem habet optimum potius, quam minus perfectum inter possibiles mundum creandi, est, quia Deus nihil agere potest sine *ratione sufficienti*, seu sine ratione, quæ ipsum ad agendum movere digna sit, quæque ejus actionem Deo dignam reddat; quare nulla ratio esset a sapientia sua & bonitate probanda, qua ad imperfectiorem mundum perfectiori præferendum adduci posset. Major vero perfectio in mundo possibilium optimo ratio est Deo infinite sapienti, & infinite perfecto, solida, atque sufficiens, si Leibnitium audias, cur Deus optimum præ minus perfecto mundum creet.

II. Deus, pergit Leibnitius, si mundum creare se libere determinat, intrinseca necessitate orta a naturæ suæ perfectione, tenetur omnium possibilium optimum mundum creare, ut modo explicavimus. Quum ergo evidens sit, *mundum hunc* creasse, sequitur mundum hunc esse omnium possibilium optimum, & perfectissimum.

Mundus hic, aut hæc rerum universitas non est Totum, omni ex parte absolute perfectum: At hæc perfectionum, & imperfectionum simul permixtarum collectio, quibus hic mundus constat, aliquid melius, atque perfectius est, inquit Leibnitius, quam quævis alia cujusvis possibilis mundi perfectionum, & imperfectionum collectio.

III. Qua ratione Deus intrinseca necessitate ex ipsa naturæ suæ perfectione profecta adductus fuit, ut mundum omnium possibilium optimum crearet: nec mundum hunc hactenus nisi in suis physicis constitutivis, & veluti informem considerando; ita eadem intrinseca necessitate debuit in substantiis a se creatis, quibus mundum hunc formare intendebat, animatis, & inanimatis, intelligentibus, & intellectu carentibus *genericum rerum ordinem* statuere,

re, qui ordinum omnium in rebus possibilium optimus esset, & perfectissimus.

Atqui Deus statuit, & ipse tantum statuere poterat genericum hunc rerum ordinem, quo universa natura visibilis animata, & inanimata, intelligens, & intellectu carens modo regitur, & gubernatur. Ergo *hic rerum ordo genericus* a morali, physico, naturali, & supernaturali ordine exsurgens, quo rerum creatarum modo universitas regitur, est quovis alio possibili rerum ordine melior, atque perfectior.

Neque experientia, inquit Leibnitius, a theoria dissentit. Ille enim est optimus rerum ordo, in quo *leges simplicissimæ* nulla unquam innovatione indigentes perseverantes maximam diversorum effectuum copiam pariunt, qui singuli finem sibi statutum sortiuntur. Atqui hujusmodi sane est hic genericus rerum ordo, quo Deus naturam a se creatam, atque formatam regit, & qui ab ordinibus physico, morali, naturali, & supernaturali coalescit.

IV. Ex hac theoria ita statuta dessumit Leibnitius *genericam responsionem* criminationibus quibuscumque, quas in divinam providentiam congerit impietas illi physici, & moralis mundi imperfectiones objiciens; atque ita procedit.

Si quid imperfectum inest morali, ac physico rerum ordini, vitium hoc non creatori imputandum est, qui mundum possibilium omnium optimum condidit; sed *intima rerum natura*, quæ majorem totalem perfectionem in se non admittebant, quæque in earum collectione quid melius esse non poterant.

Homo, & tellus solitarie non sunt sumendi, neque a rerum universitate, cujus partes sunt, sejuncti. Quod enim partis imperfectio aliquando videtur esse, totius bonum, atque perfectio est. Ut vero certo definiatur, id, quod in homine vitium, aut imperfectio videtur,

tur, re ipsa vitium esse, aut imperfectionem; cognitio requireretur infinite extensa, quæ totam rerum universitatem, cuius homo, & tellus partes tantum sunt, simul complecti posset.

Mundus hic, etsi imperfectionibus, & vitiis non immunis, tamen erit omnium optimus, si est, ut esse debet, illa rerum collectio, & universitas, in qua, perfectionibus vitia compensantibus, a minima malorum summa maxima exurgat bonorum summa.

Malum physicum, *& malum morale*, de quibus tot clamores fiunt, non semper omni ex parte vera mala sunt; imo aliquando plurium, magnorumque bonornm causæ sunt. Exempli gratia, Tarquinii adulterium tyrannos Roma expellit, & florentissimæ reipublicæ initium est. Neronis, & Diocletiani persecutiones martyrum triumphos pariunt. Pœnitentium peccata Dei misericordiam exaltant; reproborum vero impœnitentium æterna reprobatio infinitam Dei justitiam æternum manifestabit. Mala ergo hæc varia, inquit Leibnitius, in universali divinæ providentiæ ordine, & in generica mundi œconomia aliquam in se habent veram *rationem boni*; bonorum enim summam pariunt summa malorum longe majorem.

En tibi celebrem *Leibnitii optimismum*, systema scilicet ingeniosissimum, & omnium maxime philosophicum, quæ ab humanis mentibus excogitata sint. Ingeniosum ejus artificium adhuc ostendimus: lapsabundam ejus basim duabus sequentibus propositionibus diruemus.

959. NOTA. Pater Malebranchius in suo *Tractatu de natura*, *& gratia*, acutissimo ingenii, & phantasiæ opere hoc optimismi systema nova methodo pertractavit, illudque omnibus ingenii conatibus fulcire studuit; quin & genericæ prototypæ Dei creatoris ideæ, qua naturam condidit, & religionem instituit, veluti colligavit.

At

At quum pluribus ingenii ornamentis hoc systema fucatum proposuerit, non propterea firmiori fundamento illud communivit. Quare ut in fabula vorticum, ita in optimismi fabula statuenda oleum, & operam perdidit.

PROPOSITIO PRIMA.

966. *Inest Deo vera, & perfecta libertas omnem sive absolutam, sive hypotheticam necessitatem excludens.*

DEMONSTRATIO. Posita ineluctabiliter demonstrata existentia Dei, entis scilicet omnem, quæ haberi possit, perfectionem excludentis, ut prima hæc propositio demonstretur, tantum inquirendum est ex præcipuo humanarum cognitionum principio quid hujus entis existentis idea necessario includat, & excludat (417, & 754.).

I. Deus, cujus natura universa ineluctabiliter existentiam, & infinitam perfectionem demonstrat, natura infinite perfectus est, & necessario id omne habens, quod melius est habere, quam non habere. Atqui *libertas tum absoluta, tum hypothetica* vera perfectio evidenter est, quam melius est habere, quam non habere; evidenter enim melius est libere, quam non libere agere; melius in actione non dependere, quam dependere. Ergo hæc *libertatis perfectio* divinæ naturæ inest. Ergo in Deo vera est, & perfecta libertas quamcumque necessitatem sive absolutam, sive hypotheticam essentialiter excludens.

II. Ut Deus aut a sua sapientia, aut a sua bonitate necessitatem haberet hoc potius, quam illud creandi, puta omnium, qui esse possint, optimum mundum, potius quam aliquem bonitate, & perfectione inferiorem, necesse esset, mundum hunc omnium optimum esse *Deo ipsi aliquid melius*, aliquid ipsi utilius, magis-

gisque necessarium. Evidens enim est ex ipsa rerum idea, Ens infinite perfectum, & infinite independens ad agendum moveri, & determinari non posse nisi ab ipsa sua voluntate, aut ab aliquo motivo, quod ipsum directe respiciat; si enim agendo ab aliquo sibi extrinseco dependeret, non amplius ens infinite perfectum, atque infinite independens esset. Quare si Deus ideo determinatus fuit hunc mundum creare, quod omnium optimus ipse sit, necesse est, hanc majorem mundi perfectionem fuisse aliquid Deo ipsi melius, quam alius quivis mundus minus perfectus.

At enimvero ex ipsa Dei idea evidens est, creationem pugilli arenæ, floris structuram, culicis animationem aliquid futurum fuisse æque Deo bonum, atque utile, qui a se æternum beatus fuit, ac esse potuerit initio temporum universæ naturæ visibilis, & invisibilis, animatæ, & inanimatæ, intelligentis, & intellectu carentis creatio; æque, ac esse quoque posset nunc innumerabilium mundorum creatio multo perfectiorum & hoc existente, & quovis alio; ut quamprimum demonstrabimus.

Quare intrinseca rerum perfectio non est *ratio sufficiens*, ut Deus ad agendum necessario determinetur; qui quum in se ipso, infinite dives, atque beatus sit, nihil sibi boni, aut utilis a creatis rebus percipere potest; qui quum natura ipsa infinite independens sit, nequit ad agendum moveri, aut determinari nisi ab ipsa sua voluntate, quam infinita sua sapientia, ac bonitas dirigit; quique proinde in actione sua, aut in actionis applicatione necessitatem experiri nequit neque ab hac infinita sapientia, neque ab hac bonitate infinita, in quibus nihil potest intrinseca rerum perfectio, ut necessitatem inducat.

Quare si mundos duos possibiles inæqualis per-

perfectionis supponamus, Deus necessitatem experiri nequit neque a sua infinita sapientia, neque ab infinita sua bonitate, ut unum præ altero creet; ante siquidem quemvis rerum ordinem ab ipso decretum, atque statutum infinita ejus sapientia, & bonitas non magis exigunt perfectioris mundi, quam minus perfecti creationem.

Deus igitur dirigente infinita sapientia, & infinita sua bonitate movente adhuc est in se infinite liber; neque ullam habet *absolutam* agendi, aut non agendi *necessitatem*; neque ullam habet *hypotheticam necessitatem*, si supponatur determinatus ad agendum, ad creandum, vel producendum unum præ alio ex objectis possibilibus, perfectius præ minus perfecto. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

961. *Mundus hic non est omnium possibilium optimus, ut contendit Leibnitius.*

DEMONSTRATIO. Ut veritas hujus propositionis plane eluceat, satis est adnotare duo. Primum, mundum hunc *veras imperfectiones* habere, quibus carere posset. Alterum, optimum, ac perfectissimum in re quavis creata, adeoque & in hoc mundo repugnare.

I. Evidens est, huic mundo imperfectiones, & vitia esse, quæ tolli possent, ipso incolumi; sive ita in prima sua constitutione cum hisce imperfectionibus a Deo conditus sit; sive harum pars illi obvenerit ab eversione, quam in universali diluvio subiit in ordine physico, & a primorum humani generis parentum prævaricatione in ordine morali.

Exempli gratia, ut in parte hac tantum orbis, quem incolimus, sistamus, quis unquam sibi persuadeat, genericum naturæ bonum, telluris, planetarum, cometarum, solis, siderum po-

postulare, ut in Africa sint immensæ regiones aridæ, & steriles, quæ miseros faciant earum incolas; quæque ut uberes fierent satis esset, si fluvius aliquis subterraneus ad eas veheret aquarum partem, quæ nulla utilitate in Nilum, aut Senegalem influunt? Quis sibi persuadeat, idem genericum rerum bonum postulare, ut integra classis in dira tempestate naufragio pereat in oceano, qui Americam ab Europa, & Africa sejungit? Quis unquam sibi persuadeat, homicidia, adulteria, perjuria, bella, pestem, famem, omne genus morbos, innumeraque alia mala tum in ordine physico, tum in morali necessario mundi hujus constitutionem ingredi, & communi rerum bono inservire?

Ab hoc mundo, ab hac rerum universitate aufer cogitatione potiorem harum imperfectionum, horumque vitiorum partem; videbis eundem mundum, easdem generales naturæ leges, eadem physica rerum constitutiva, idem humanum genus omnino perseverare. Ergo mala hæc, vitia hæc non omnia necessario physicam mundi hujus constitutionem ingrediuntur. Poterat ergo evidenter mundus iste aut perfectior esse, aut minus imperfectus. Ergo mundus hic omnium possibilium non est optimus.

At quare Deus mundo huic has imperfectiones adjecit, quæ ab ipso abesse poterant? Unica philosophica ratio, quæ afferri possit, est ita Deo creatori infinite natura, & actione libero placuisse, nihilque res aliter esse postulasse. Si vero ponamus, harum imperfectionum partem ab immutata prima rerum constitutione provenisse; tunc dicendum, ita Deo infinite sapienti, & infinite justo de hominum prævaricationibus ultionem capere placuisse.

II. Quamprimum ex Dei, & rerum creatarum ideis ostendemus, in re quavis creata perfectissimum repugnare (966); adeoque & in

collectione rerum creatarum tum animatarum, tum inanimatarum, tum intelligentium, tum intellectu carentium, quæ hunc mundum constituunt. Quoniam itaque perfectissimum in rebus creatis chimæricum est, jam evidens est, mundum hunc, qui fatente Leibnitio, ejusque asseclis, creatus est, non esse optimum omnium possibilium. Q. E. D.

ARTICULUS IV.

OMNIPOTENTIA DEI.

962. DEFINITIO. *Omnipotentia Dei* dicitur facultas illa nullo limite circumscripta agendi extra se, quæ Dei propria est, quæque non nisi intrinseca rerum impossibilitate limitatur. Sive infinita illa Dei activitas essentialiter in Deo semper existens, atque subsistens, semper indeficienter efficax in objecto suo, semper potens extendi ad effectum quemcumque in se non repugnantem, nunquam in actione sua deficiens, aut exhausta.

I. Nequit unquam humana mens divinæ omnipotentiæ amplitudinem *positive definire*; sive omnia objecta cognoscere, ad quæ extendi potest, aut effectus omnes, quos producere potest; objectum enim hoc infinitum est: porro objectum infinitum semper aliquo pacto finiti intellectus vires excedit.

II. At vero aliquando potest humana mens omnipotentiæ divinæ amplitudinem *negative definire*, sive noscere, divinam omnipotentiam ad hoc, vel illud objectum extendi non posse, sive hoc, vel illud objectum producere; ad hoc enim limitata cognitio satis est, quam humana mens habere potest; cognitio scilicet intrinsecæ repugnantiæ alicujus objecti. Exempli gratia,

tia, ut definiamus, Deum, etsi omnipotentem, facere nequire circulum quadratum, aut baculum sine duobus extremis, satis nobis est nosse, ab idea circuli necessario quadratum excludi, & ideæ baculi necessario duo extrema esse inclusa.

PROPOSITIO I.

963. *Deo inest potentia infinita, qua ad omnia omnino extenditur intrinsecam impossibilitatem non includentia; seu qua creatione, & productione effectum quemcumque operari potest, qui in se, & ex se non repugnet.*

DEMONSTRATIO. Duobus modis propositio hæc statui potest, ratiocinio, & observatione; *ex idea Dei existentis, & ex operibus Dei agentis*. Media hæc bina simul sumpta, quæ satis erit indicare, optimam præbebunt demonstrationem.

I. *Idea Dei existentis* Dei omnipotentiam, sive potentiam infinitam ostendit. Ex eo enim, quod demonstratum sit, Deum existere, patet, existere ob essentialem exigentiam, & infinitam naturæ suæ activitatem: patet neque a se, neque ab extrinseca causa in suis perfectionibus limitari potuisse; patet in se omnes, quæ haberi possint perfectiones continere; id omne scilicet, quod melius est habere, quam non habere (754).

Atqui *potentia infinita, & inexhausta* quæ ad omnes possibiles effectus efficaciter extenditur, evidenter perfectio est, quam melius est habere, quam non habere; ergo hæc potentia Deo inest.

II. *Dei agentis opera* ejus omnipotentiam, seu potentiam infinitam ostendunt. Ex eo enim, quod demonstratum sit, Deum visibilis naturæ & auctorem esse, & motorem, & conservatorem, evidens est, in Deo re ipsa potentiam

eſſe infinitam, & illimitatam; evidenter enim percipimus, nullam finitam potentiam, quacumque extenſione, & activitate polleat, minimam atomum creare poſſe; aut organa, aut animam culici impertiri, aut alia hujuſmodi peragere, ut alibi oſtendimus.

Atqui *potentia infinita*, *& illimitata* ad omnia ſeſe extendere debet, quæ nullam intrinſecam repugnantiam dicunt; ceterum infinita, & illimitata non eſſet. Ergo Deo hæc potentia infinita ineſt nullo limite circumſcripta, ſemper inexhauſta, quæ, ad quidquid intrinſece repugnans non eſt, ſemper efficaciter extenditur. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

964. *Ex infinita Dei potentia, ſive omnipotentia non ſequitur, poſſe Deum efficere mundum æternum, rem creatam omnium poſſibilium perfectiſſimam, materiam infinite extenſam, numerum individuorum in ulla ſpecie infinitum.*

EXPLICATIO. Quod in ſe repugnat, ſeu quod intrinſecam impoſſibilitatem includit, ut harum idearum objecta: *circulus quadratus*, *ſphæra cubica*, *materia ſpiritualis*, *virga ſine duobus extremis*, nunquam eſſe poteſt divinæ omnipotentiæ objectum; ceterum hæc omnipotentia, quum objectum chimæricum haberet; non vera, ſed *chimarica potentia* eſſet.

Atqui mundus æternus, res creata omnium poſſibilium perfectiſſima, materia infinite extenſa, infinitus individuorum numerus in quavis ſpecie non minus in ſe repugnant, & intrinſece impoſſibilia ſunt, ac ſint circulus quadratus, ſphæra cubica, materia ſpiritualis, virga ſine duobus extremis.

965. DEMONSTRATIO I. Evidenter *ἀδύνατον* eſt *mundus creatus*, *qui æternum extiterit*.

I. Idea mundi creati eſſentialiter includit

exi-

existentiæ receptionem: quum enim supponatur creatus, supponitur a nihilo, seu a statu puræ possibilitatis ad statum existentiæ transiisse. Atqui existentiæ receptio essentialiter supponit & instans intelligibile, in quo existentia recipitur, & aliud instans intelligibile præcedens, in quo existentia nondum habebatur.

II. Verum si idea mundi creati instans creationem præcedens essentialiter supponit; non minus essentialiter supponit infinitam instantium seriem, ac proinde totam æternitatem, quæ & instans creationis, & instans necessario creationem præcedens antecesserit. Ergo idea mundi creati æternam hujus mundi possibilitatem essentialiter excludit.

Ergo absurdum æque est, ac chimæricum asserere, divinam omnipotentiam mundum æternum ita creare potuisse, ut hic mundus æternam existentiam creatione habuerit, ac asserere dari posse circulum quadratum, & sphæram cubicam.

III. Nullum est instans intelligibile in universa æternitate, quo divina omnipotentia mundum creare non potuerit. At quovis instante infinite remoto mundus creatus supponatur; semper necessario aliud fuerit præcedens instans, ac proinde præcedens æternitas, qua mundus creatus non existebat. Q. E. D.

966. DEMONSTRATIO II. Evidenter *dari non potest res creata omnium, quæ haberi possint, perfectissima*. Siquidem,

I. *Idea rei cujusque creatæ*, puta, hominis, seu mundi essentialiter continet *naturam semper magis, magisque perfectibilem*, semper aptam novos perfectionis gradus admittere.

II. *Idea Dei creatoris*, entis indefinite in sua infinita natura participabilis, essentialiter continet inexhaustam facultatem finitis gradibus indefinite crescentibus infinitas suas perfectiones magis, magisque communicandi.

Ergo repugnat, unquam existere creatam rem ullam, quantumvis perfecta supponatur, quæ adhuc *in se non sit perfectibilis*, & novum perfectionis augmentum suscipere nequeat; & quæ perfectionibus, quas habet, terminos ponat divinæ *infinita potentia*, *& inexhausta beneficentia*.

Ergo repugnat, rem creatam existere omnium possibilium perfectissimam, exempli gratia, mundum omnium possibilium perfectissimum; repugnat enim *rem creatam semper magis*, *magisque novorum perfectionis graduum capacem*, eo pervenire, ut non amplius perfici possit; & Deum creatorem semper magis, magisque *in suis attributis participabilem* eo pervenire, ut nihil jam perfectionis possit amplius communicare. Q. E. D.

967. DEMONSTRATIO III. *Dari non potest materia infinite extensa.*

I. Certum est primo, ut alibi ostendimus, *materiam increatam*, *mundum increatum*; materiam, aut mundum natura sua, & essentia æternum existentes repugnare, sive infinite, sive finite tantum extensi supponantur. Repugnat ergo materia increata, aut mundus increatus, infinite extensi (884, *&* 900).

Quare si materia mundum hunc constituens esset infinite extensa, necessario hanc a Deo creatore extensionem infinitam haberet; quod evidenter repugnat, ut ostendere pergimus.

II. Certum est deinde *materiam creatam*, *mundum creatum* infinite extensos nil minus tum in se, & natura, tum respectu Dei repugnare. Quæcumque enim materiæ, aut mundo creato tributa extensio supponatur, semper concipiuntur *veri augmenti capaces*: semper concipitur, Deum in his creandis *potentiam suam essentia inexhaustam* non exhausisse.

Ergo idea materiæ creatæ, aut mundi creati, utcumque extensi supponantur, semper ne-

ces-

cessario in objecto suo includit *veram potentiam passivam* novam extensionem admittendi.

Ergo idea Dei hujus materiæ, atque hujus mundi creatoris semper necessario in objecto suo *veram potentiam activam* importat novam semper iis extensionem, atque amplitudinem tribuendi.

Repugnat ergo, unquam existere mundum creatum infinite extensum; repugnat enim, Deum creatorem in creatione materiæ infinite extensæ potentiam suam essentialiter infinitam, & ex hac parte inexhaustam unquam exhaurire; & repugnat quoque, Deum creatorem id reddere infinite extensum, quod natura sua semper augmenti capax plenam, & adæquatam hanc extensionem infinitam necessario excludit. (978).

III. Quare æque absurdum est mundum admittere sive creatum, sive increatum extensione infinitum; ac circulum quadratum, sphæram cubicam; sive creati dicantur, sive increati, admittere. Q. E. D.

968. DEMONSTRATIO IV. *Numerus infinitus individuorum cujuscumque speciei evidenter dari nequit existens.*

Quæritur, exempli causa, possit ne Deus existentes facere homines omnes possibiles, aut leones omnes, aut cerasos omnes possibiles. Ratio negative respondet. Siquidem,

I. Ex una parte per *ideam hominum possibilium* concipimus infinitum hominum possibilium numerum, exempli causa, inexhauribilem natura esse; ita, ut quantumvis magnus sit hominum creatorum numerus, semper infinitus creandorum numerus remaneat.

II. Ex alia parte *per ideam Dei creatoris* concipimus, Dei creatricem potentiam esse natura inexhaustam, quæ nunquam eo perveniet, ut id omne operata sit, quod operari potest.

III. Atqui evidenter repugnat individuorum nu-

numerum natura inexhaustum exhauriri; potentiam natura sua nunquam deficientem deficere;

Ergo repugnat infinitum individuorum numerum in ulla specie existere: tunc enim necesse esset, omnia illius speciei individua possibilia fieri existentia.

Ergo quantumvis immensus sit creatorum individuorum numerus in specie quavis, numerus hic necessario semper finitus erit; neque enim erit unquam, nisi infinite parva possibilium ejusdem speciei individuorum portio, quæ semper numero finito exprimi potest. Q. E. D.

969. COROLLARIUM I. Ex hactenus dictis de divina omnipotentia veræ ideæ enascuntur, quas nobis infinitæ Dei potentiæ, & bonitatis comparare debemus.

I. *Deus est infinite potens*, non ita, ut entia perfectione infinita possit producere; sed ita, ut nullum sit ens finitum, quacumque perfectione finita præditum supponatur, cui divina potentia existentiam tribuere nequeat.

II. *Deus est infinite bonus*, non ita, ut ejus beneficia bonitatem habeant, & perfectionem infinitam, sed ita, ut bonitas infinita sit motivum Deum determinans beneficia sua nobis impertiri.

Ens enim infinite independens aliud agendi motivum habere nequit, nisi se ipsum, suamque intrinsecam perfectionem; ceterum non esset infinite independens; quandoquidem tunc in actione partim ab extrinsecis motivis dependeret, quibus ad agendum moveretur, & determinaretur.

970. COROLLARIUM II. Ex hac eadem theoria sequitur, *numerum individuorum in quavis specie possibilium esse infinitum*; semper enim concipitur, ut inexhaustus.

I. Si *numerus hominum possibilium*, exempli causa, non esset re ipsa infinitus; finitus

tus esset; inter hæc duo enim non datur medium.

Si re ipsa finitus esset, a potentia creatrice infinita exhauriri posset; evidens enim est, hanc potentiam, nisi chimærica sit, actione sua creatrice numerum quemcumque possibilium, & creabilium exhaurire posse.

II. Atqui quicumque determinatus hominum possibilium numerus existentia donatus supponatur; semper adhuc concipitur reliquus numerus infinitus creandorum hominum possibilium.

Quare necessario aut præcipuum humanarum cognitionum principium ejurandum est (417); aut fatendum, individuorum possibilium numerum in quavis specie, humana, animali, vegetabili, fossili, esse *verum infinitum numero;* etsi non sit verum infinitum perfectione.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

971. OBJECTIO I. Si Deus *vere est omnipotens*, si infinita, & illimitata activitate pollet, poterit etiam facere *ἀδύνατον*, & chimæricum, puta, circulum quadratum, sphæram cubicam, hominem non hominem.

Quod enim obstaculum divinæ omnipotentiæ opponere potest *intrinseca rerum impossibilitas*, quæ nihil re ipsa est?

Præterea nonne Deus ἀδύνατον, & chimæricum fecit, quum immutabiles rerum essentias immutavit; uti quum Nabuchodonosorem in brutum, Lothi uxorem in statuam salis convertit?

RESPONSIO I. Evidens est, divinam omnipotentiam *veram potentiam* esse, non chimæricam; sese enim manifestam facit verissimis effectibus, visibilis naturæ scilicet creatione, & conservatione.

I. Potentia, cujus objectum esset quid chi-

mæricum, & absurdum, *chimarica*, *& absurda* esset; quæ & natura, & termino repugnat; atqui potentia hujusmodi non est perfectio, nec quid verum; ergo talis petentia in Deo non est. Ergo Divina omnipotentia ad *ἀδυνατα*, & chimærica non extenditur.

Quum *potentia quavis* concipitur, semper necessario ut aliquod objectum, seu terminum respiciens concipitur, non objecti, aut termini defectum. Non ergo concipi potest divina omnipotentia ut *ἀδυνατα*, aut chimærica respiciens, quæ nihil sunt, nec esse possunt, quæ termini, aut objecti, aut effectus negatio sunt, cui potentia sive finita, sive infinita activitatem suam applicare possit.

II. *Intrinseca rerum Impossibilitas* Deo non objicit *obstaculum verum*, *& positivum*, quod positive divinæ omnipotentiæ actionem cohibere possit; nihil enim re ipsa est hæc intrinseca rerum impossibilitas; nihili enim nullæ sunt veræ, & positivæ proprietates (51, *&* 124).

At hæc intrinseca rerum impossibilitas per hoc ipsum, quod nihil re ipsa sit, & pura negatio objecti, ad quod vera potentia terminare possit, *negative circumscribere* potest divinam omnipotentiam. Quum enim hæc vera potentia sit, & non chimærica, veras res, non chimæras, objectum habere debet.

Exempli causa, nequit divina omnipotentia *circulum quadratum* facere, non quia in circulo quadrato producendo sit *aliqua vera vis* suæ productioni resistens; sed quia circulus quadratus est negatio entis, non est quid intelligibile, quid, quod possit potentiam ullam terminare sive finitam, sive infinitam.

972. RESPONSIO II. Qui dicit, Deum rerum essentias mutare posse, æquo jure dicere potest, Deum facere posse circulum quadratum, sphæram cubicam, hominem non hominem; quæ evidenter absurda sunt (105, *&* 114).

Exem-

Exempla Nabuchodonosoris, & uxoris Lothi nihil probant, ut statim ostendemus.

973. EXPLICATIO I. Nabuchodonosor ad herbam brutorum more comedendam damnatus fuit, quod se terrestrem deum fecerit. Rex hic Deum gloriæ, & opulentiæ suæ auctorem oblitus est, & impiæ superbiæ suæ crimine in brutum mutatus fuit.

At quænam fuit *miraculosa hæc mutatio*, quam sacra historia refert, qua ratione contigerit non explicat? Non sane humana regis essentia in bruti essentiam mutata fuit; hoc enim est plane chimæricum: sed fuit omnimoda instinctus, cognitionum, desideriorum, fortasse etiam humanæ formæ depravatio, & mutatio; quibus rex iste ad miseram brutorum conditionem deductus fuit (115, & 119).

Nabuchodonosor ita mutatus a regia profugus, ut in campis herbam carperet, humanam naturam, atque essentiam non amisit, quam nisi si esse, aut existere desineret, amittere non poterat. At perturbatis organis, amissis cognitionibus, aliisque hominis propriis, instinctu, ac vivendi ratione omnino brutis simili, *bruti speciem* tantum referebat; donec placatus Deus illum ratione donavit iterum, & in pristinam conditionem restituit.

Non itaque regis hujus mutatio chimæricam, & ἀδυνατα respicientem in Deo potentiam indicat; sed veram & adorandam potentiam ostendit, quæ semper sapientissime agens aliquando insuetis, & tremendis punitionibus homines a scelere deterret.

974. EXPLICATIO II. Nihil magis chimæricum inest miraculosæ mutationi uxoris Lothi, quam illi Nabuchodonosoris.

I. Uxor Lothi sua prava curiositate subita morte punita fuit; contra enim Dei mandatum diris, & flammis devotam urbem respexit. Ejus cadaver in statuam salis conversum fuit,

ut referunt sacri libri, quod sal metallicum fuisse opinantur interpretes.

II. Miraculosa quidem est hæc mutatio, nihil tamen habet *ἀδύνατον* aut repugnans. Scimus enim, materiam homogeneam figuras, ac modificationes omnes admittere posse, quas illi indere velit Deus; & ipsam figuræ & modificationum mutationem *in elementis materia* diversitatem corporum ab his elementis resultantium efficere (: 115, & 120).

Potuit ergo fœminæ hujus corpus simplici miraculo, quod semper divina omnipotentia facere potest, subito in statuam salis cujusque converti; sicuti quodvis humanum cadaver fermentationis, & putrefactionis legibus natura ipsa in plures diversas substantias paulatim convertitur.

975. OBJECTIO II. Si divina omnipotentia chimæricum, aut repugnans facere nequit; neque id omne, quod fieri potest, quod non repugnat, facere potest. Probo.

I. *Peccatum*, sive actus illicitus, & pravus in se non repugnat; Deus tamen actum hunc facere nequit.

II. *Deus* in se non repugnat; & Deum sibi similem Deus facere nequit.

III. *Mundus infinite extensus*, seu spatio infinito æqualis in se non repugnat; Deus tamen illum creare nequit.

Dei ergo potentia ad omnia intrinsece possibilia non extenditur; non ergo universim illimitata est, & infinita.

RESPONSIO. *Divina omnipotentia* neque peccatum, neque alterum Deum, neque mundum infinite extensum facere potest; at non propterea esse desinit potentia illimitata, & infinita, quæ ad omnia intrinsece possibilia extendatur. Tria enim objecta, de quibus quæstio, sunt intrinsece repugnantia, & chimærica.

976.

976. EXPLICATIO I. Facile intellectu est quare *peccatum*, quod in homine non repugnat, essentialiter in Deo repugnet.

I. Peccatum, sive actus illicitus, qui sit *actio Dei* in se repugnat; repugnat enim, actionem, quæ necessario vitium, corruptionem, deformitatem supponit in causa sua intelligente, & libera, esse actionem Dei, qui essentialiter a natura sua vitium omne excludit, & essentialiter omnem perfectionem continet.

II. Peccatum, quod in Deo evidenter repugnat, in homine non repugnat; neque enim repugnat, potentiam finitam, & imperfectam, obtenebratam in intellectu, depravatam voluntate libertate sua abuti ut malum, & illicitum perpetret. At vero omnino repugnat, potentiam infinite perfectam, cujus intellectus essentia sua lux est, & veritas, cujus voluntas essentia sua rectitudo est, & ordinis amor, libertate sua abuti ad quidpiam malum, aut illicitum perpetrandum.

III. Peccatum semper est actus voluntatis se libere determinantis sive ad malum vetitum perpetrandum, sive ad bonum præceptum omittendum. Semper ergo in suo principio, & subjecto vitium, corruptionem, pravitatem supponit; quæ in homine quidem haberi possunt, non in Deo.

977. EXPLICATIO II. *Deus*, ens scilicet æternum, increatum, independens, omni perfectionum genere infinitum, in se non repugnat; idea enim hujus entis nullam infert contradictionem; & aliunde universa visibilis natura ejus existentiam annunciat.

At repugnat, Deum æternum, ab omni causa, & potentia independentem, increatum, in tempore creari, & existentem fieri; in hac enim hypothesi evidenter contradictoria; *hic alter Deus* esset, & non esset æternus, esset independens, & dependens, essentia sua exi-

sten-

stens, & essentia sua non existens. Ergo hic alter Deus evidenter ens est *ἀδύνατον*, & repugnans.

978. EXPLICATIO III. *Mundus infinite extensus* æque chimæricus est, ac Deus creatus. Neque magis potest Deus mundum creare, qui spatium infinitum repleat, ac circulum quadratum, aut cubum sphæricum (Fig. 6.).

I. Mens nostra evidenter concipit ultra mundi hujus limites MNDM spatium infinitum NZ, DX, RV, SY. At vero potest ne Deus mundum aut mundorum seriem, & collectionem creare spatium hoc infinitum replentem? Nequaquam. Sit enim SV spatii hujus infiniti *dimensio in longitudine* ab occidente in orientem, & arbitrio ducta per centrum exigui hujus orbis, quem incolimus.

Fiat jam, ut ad centum mille leucarum miliones, aut biliones ultra hunc mundum MSNDR Deus in B creet alterum mundum, cujus linea hæc SB axis fit; ut ultra alterum hunc mundum B ad centum mille leucarum miliones, aut biliones, aut triliones creet Deus in T tertium mundum, cujus eadem linea adhuc axis sit; ut ultra tertium hunc mundum ad quotquot libuerit leucarum miliones, biliones, aut triliones, in hac eadem linea Deus singulis minutis primis, sive secundis per quotquot sæculorum miliones, aut biliones mens concipere potest, creet, quartum, quintum, sextum mundum, atque ita porro indefinite.

II. In his omnibus hypothesibus, & post ipsas semper mens nostra concipit, quantumvis magna, & innumerabilis sit mundorum series, & immensa materiæ quantitas a Deo creata in data linea SV; adhuc spatium utrinque in hac eadem linea infinita implendum ad orientem æque, ac ad occidentem superesse infinitum.

Si ergo de rebus id affirmandum est, quod mens

mens rebus necessario convenire concipit; mundus spatium infinitum æquans est chimæricus; repugnat enim, mundum, qui semper natura sua concipitur *majoris augmenti* capax, eo unquam pervenire, ut amplius augeri nequeat (417, & 967).

979. OBJECTIO III. Sacra Dei redemptoris humanitas est rerum creatarum perfectissima; ergo res creata perfectissima non repugnat.

RESPONSIO. *Sacra Dei redemptoris humanitas* est rerum creatarum existentium, non possibilium, perfectissima.

Quandoquidem infinitæ Dei perfectiones sunt indefinite in infinitum communicabiles; Dei redemptoris anima adhuc magis infinitam Dei intelligentiam participare potuisset; ejus corpus adhuc magis infinitam Dei majestatem, & amabilitatem participare potuisset.

Ergo sacra Dei redemptoris humanitas rerum possibilium perfectissima absolute non est; potuisset enim Deus adhuc eminentiori gradu infinitas suas perfectiones illi indefinite communicare.

Sacra hæc humanitas ea omni perfectione donata fuit, quæ ad sublimissimum finem suum assequendum opportuna, & decens erat; non tamen eam omnem est perfectionem adepta, quæ ab infinito, & inexhausto perfectionis fonte Deo optimo maximo illi communicari poterat.

980. OBJECTIO IV. Deus omnia cujusvis speciei, puta humanæ, individua possibilia videt, & concipit; quare ergo non omnia hæc individua, puta omnes homines possibiles creare poterit? Est ne in Deo potentia minor intelligentia?

RESPONSIO. In Deo potentia non est minor intelligentia; *non tamen Deus quidquid cognoscit semper creare potest*; neque enim semper

per ita se habet divinæ potentiæ objectum; seu terminus ad divinam potentiam, ut divinæ intelligentiæ objectum, seu terminus ad divinam intelligentiam.

I. Certum est, *Deum omnia* cujusvis speciei *individua possibilia cognoscere*, puta omnes homines possibiles, sive universum infinitum hominum possibilium numerum. Si enim Deus non nisi finitum quemvis hominum possibilium numerum cognosceret, patet, hanc Dei scientiam, & cognitionem fore finitam, ac limitatam; adeoque nova aliorum hominum possibilium cognitione augeri, ac perfici posse; quod in Deo scientiam imperfectam argueret. Hoc autem Deo perfectionibus infinito plane repugnat.

Præterea quare ex infinitis hisce hominibus unum præ alio, Aristum præ Clitandro, Deus cognosceret? quare non æque omnes, si æque intelligibiles, & ab intelligentia sua infinita perceptibiles omnes sunt? Quare illos omnes æternum non cognovisset, si æternum essentiam intelligibilem habuerunt, & eandem ipsam, quam homines postea dato tempore existentes habuerunt?

Quare certum est, Deum actu cognoscere, & æternum cognovisse universum hominum possibilium numerum; etsi certum sit, Deum neque æternum potuisse, neque modo, neque unquam *universum infinitum hominum possibilium numerum creare posse*. Idem dicas de leonibus, aquilis, cerasis, aut nucibus possibilibus ceterisque (968).

Hic jam vides qua ratione terminus, aut objectum divinæ omnipotentiæ non ita se habeat ad hanc potentiam, ut objectum, seu terminus divinæ intelligentiæ se habet ad hanc intelligentiam. Potuit enim intelligentia effectum suum cognitionis æternum sortiri; non vero potentia effectum suum creationis æter-

num

num fortiri potuit; seu quia idem objectum, puta, tellus, aut sol, qui æternum a divina intelligentia cognosci potuit, non nisi in tempore, & post æternitatem a divina potentia creari potuit (965).

II. At, dices fortasse, quo principio, quave ratione asseris, infinitam *hominum, aut leonum possibilium collectionem, quæ tota a divina intelligentia cognosci potest, totam quoque a divina potentia creari non posse*? Præcipuo omnium humanarum cognitionum principio, quod ea de rebus affirmari vult, quæ in rebus mens necessario percipit.

Quum in Deo *infinita intelligentia* concipitur, concipitur quoque, intelligentiam hanc infinitam ad universam hominum possibilium collectionem extendi debere, eosque cognoscere; quum enim universa hæc collectio æque natura sua intelligibilis sit; & modo, & æternum Dei actioni intelligenti subjecta est.

At quum in Deo *infinita potentia* concipitur, non propterea concipitur, infinitam hanc potentiam ad universam possibilium hominum collectionem extendi debere, eosque omnes existentes efficere posse; hæc enim collectio quum natura sua inexhausta sit, a creatrice Dei actione nunquam exhauriri potest (968).

III. Non tamen hinc sequitur, *Dei potentiam intelligentia minorem esse*. Quælibet enim in genere suo infinita, altera id omne complectitur quod cognosci, altera id omne quod fieri potest.

Inde tantum sequitur, binas has divinas perfectiones termino, aut objecto differre, quod non ita se habet ad potentiam, ut ad intelligentiam. Possibilia omnia speciei cujusque natura sua cognosci possunt, non omnia creari possunt.

AR-

ARTICULUS V.

SCIENTIA DEI.

981. DEFINITIO. Scientia *divina* vocantur omnes Dei cognitiones. Exempli gratia:

I. Cognitiones omnes, quibus Deus *simplicem eorum possibilitatem* attingit, materialium, sive immaterialium, sensibilium, sive insensibilium, ante earum existentiam.

II. Cognitiones omnes, quibus Deus *absolutam rerum existentiam* attingit; materialium, sive immaterialium, sensibilium, aut insensibilium, quae antea extiterunt, existunt, aut extiturae aliquando sunt.

III. Cognitiones omnes, quibus *conditionatam* quoque *rerum existentiam* Deus attingit, materialium, sive immaterialium, sensibilium, aut insensibilium, quae nunquam extiterunt, nec exiturae sunt; sed quae re ipsa extitissent, si Deo placuisset conditiones ponere, a quibus earum existentia re ipsa pendet.

PROPOSITIO.

982. *Datur re ipsa in Deo infinita intelligentia necessario attingens tum existentia omnia, tum possibilia, tum quidquid est veritas objectiva.*

DEMONSTRATIO. Duobus modis propositio haec statui potest, ratiocinio, & observatione; ex idea Dei existentis, & ex operibus Dei agentis.

I. *Idea Dei existentis* infinitam Dei intelligentiam indicat. Quum enim existat, & essentiali naturae suae exigentia existat; patet in natura sua neque a se, neque ab extrinseca causa

sa limitari potuisse, patet, ipsum in se perfectiones omnes continere, & quidquid melius est habere, quam non habere (754).

Atqui *infinita intelligentia*, quæ necessario ad quidquid existit, ad quidquid existere potest, ad quidquid veritas objectiva est extenditur, est perfectio, quam melius est habere, quam non habere; ergo Deo inest infinita intelligentia.

II. *Opera Dei agentis* infinitam Dei intelligentiam demonstrant. Quum enim demonstratum sit, Deum naturæ auctorem, & conservatorem esse, evidens est, infinitam, & illimitatam Deo intelligentiam esse; Evidenter enim percipitur, intelligentiam nullam finitam quantumvis magnam, posse re ipsa, & perseveranter eas cognitiones infinite extensas, complexas, exactas complecti, quas universa natura & generatim, & in suis partibus considerata in prima sua creatione postulavit, & adhuc postulat; ut in prima hujus tractatus sectione solide demonstravimus (876, & 877).

Atqui *infinita & illimitata intelligentia*, cujusmodi est, quæ plane elucet in eo qui primitus, mira vegetantium, & animantium organa condidit, atque conservat, qui primitus movit, & adhuc movet quovis instanti planetas, & cometas mira vis centripetæ compositione semper in raptione quadratorum inversa, & vis centrifugæ semper in inversa triplicata ratione radiorum vectorum CB, CD, CE, GA, CG, CH; certe necessario se extendere potest ad id omne, quod existit, quod esse potest, quod veritatem quamcumque objectivam habet; ceterum non esset intelligentia infinita, & illimitata (*fig.* 5.).

Existit ergo re ipsa in Deo intelligentia infinita necessario attingens quidquid extitit, existit, aut extiturum est, aut existere potest, quidquid intelligibile est, sive substantia sit,

sive

sive modificatio, quidquid denique veritatem objectivam quamcumque habet sive speculativam, sive practicam. Q. E. D.

DIVINÆ INTELLIGENTIÆ NOTIO.

683. OBSERVATIO. Divina essentia concipi potest tamquam *universale rerum speculum*, in quo necessario, & fideliter entia omnia, quæcumque sint repræsentantur, materialia, sive immaterialia, existentia, aut possibilia, substantiæ, aut modificationes; hoc tamen essentiali discrimine, inter divinam essentiam, & fidele speculum, in quo omnia pingerentur; quod *speculum potentia passiva* a se determinari nequit, ut repræsentet objecta; & re ipsa non nisi illa objecta repræsentat, quæ in ipsum conjiciunt, aut reflectunt substantias aptas fieri eorum imagines; contra vero *divina essentia potentia activa* essentialiter a se determinata est referre objecta, quin objecta illam actione quacumque afficiant. Speculum non res repræsentat, nisi quia res repræsentandæ aliquo pacto in ipsum feruntur: essentia divina res repræsentat, quia ipsa in res repræsentandas aliquo pacto fertur.

Actio hæc essentialiter rerum repræsentativa est ipsa *divina intelligentia*, quæ ad omnia universim extenditur necessario, sive substantiæ sint, sive modificationes, sive considerentur in *statu simplicis possibilitatis*, sive in statu *existentiæ absolutæ*, sive *existentiæ hypotheticæ*, ut supra demonstravimus (982).

I. Divina intelligentia ante res, & tempora, necessario, & exacte *hanc rerum universitatem in statu simplicis possibilitatis* repræsentabat. Ab hac vero intrinseca, & necessaria rerum repræsentatione directa fuit omnipotens Creatoris actio in universæ naturæ creatione, & formatione, operis, inquam, hujus constitutio-

tutione, legibus, singulis partibus, partium omnium harmonia vere mirabilis.

Hæc eadem intelligentia semper considerata in ordine ad pure possibilia adhuc actu summa fidelitate repræsentat *infinitos alios mundos possibiles* alios magis, alios minus hoc mundo perfectos, qui nunquam existent.

II. Divinæ intelligentia nunc, & æternum *hanc rerum universitatem* repræsentat *in statu existentiæ absoluta*; quidquid præteritum, præsens, ac futurum est, illi impressum est; nihil ejus infinitam intellectivitatem effugit, quæ omnia complectitur.

III. Nec tantum divina intelligentia res, & rerum quarumcumque actiones absolutas; verum & *earum existentiam*, *&* *actionem conditionatam*, nunc, & æternum repræsentat.

Exempli gratia; non modo actiones quascumque internas, licitas, aut illicitas, quas homines fecerunt, repræsentat; verum etiam eas, quas hi homines fecissent, si in diverso rerum statu, ordine, ac conditione fuissent.

Item exempli causa, non modo eventus liberos, & necessarios repræsentat, quos Cæsaris victoria Pharsalica peperit; verum etiam eventus tum liberos, tum necessarios, qui consequuti fuissent, si, fracto Cæsare, Pompejus vicisset.

DIVINARUM SCIENTIARUM PARTITIO.

984. OBSERVATIO. Scientiæ divinæ considerari possunt tum in earum *subjecto*, tum in earum *objecto*: in Deo cognoscente, & in rebus a Deo cognitis.

In subjecto consideratæ sunt quid infinite simplex: *una*, *atque unica scientia sunt*. Consideratæ in objecto *tres scientiæ sunt extrinsece diversæ*, quarum jam notionem tradidimus, & adhuc trademus.

I. Scientia divina *in suo subjecto considerata*,

ta, sive in Deo; est ipsa divina essentia quatenus necessario repræsentativa cujuscumque intelligibilis, & veritatem objectivam habentis.

Scientia hæc unica, & in se infinite simplex neque in actibus, neque in habitibus sita est subjecto accidentibus, & ab ipso distinctis; sed est ipsa divina natura increata, independens, immutabilis, idefectibilis, & nihil præterea.

Essentiale discrimen inter modum, quo Deus & quo homines cognoscunt, intercedit. *Homines* non cognoscit nisi quibusdam ideis, seu perceptionibus, quarum una altera prior est, quæque omnes substantiæ suæ intelligenti accidunt, quum ipsa ante eas existat, easque amittat quin esse desinat. *Deus* vero ut res cognoscat, ideis, aut perceptionibus naturæ suæ accidentibus non indiget. Omnia ille essentia sua cognoscit cujusvis objectivæ veritatis necessario, & indeficienter repræsentativa.

Ut veritatem cognoscam, *tria* mihi necessaria sunt: mens mea, veritas objectiva, & mentis actus hanc mihi veritatem patefaciens. Ut Deus quid cognoscat, *duo* tantum sunt necessaria; veritas objectiva, & essentia divina.

II. Scientia divina *in objecto*, aut termino *considerata* est res ipsa a divina scientia repræsentata. Exempli gratia, Deus scientiam habet *præsentis motus* Saturni, aut Jovis: scientia hæc in suo objecto considerata nihil est, præter hunc Saturni, aut Jovis motum quatenus ab essentia divina omnium repræsentativa repræsentatum.

Res a Divina essentia repræsentatæ considerari possunt aut in statu puræ possibilitatis, aut in statu existentiæ conditionatæ, aut in statu existentiæ absolutæ. Ratione trium horum statuum divina scientia dividitur *in scientiam simplicis intelligentiæ*, cujus objectum sunt possibilia, *in scientiam mediam*, cujus objectum sunt

sunt futura conditionata, *& in scientiam visionis*, cujus objectum sunt futura absoluta.

Inter tres scientias has objective sumptas habetur *prioritas rationis*, quae hanc divisionem statuit, & quam alibi indicavimus.

NOTIO DECRETORUM DIVINORUM.

985. DEFINITIO. *Decreta Dei* vocantur actus liberi divinae voluntatis, quibus Deus res vult, & decernit, infinita intelligentia, & scientia sua dirigente.

Exempli gratia, Dei decretum mundum existere fecit. Aliud Dei decretum omnia terrestria corpora ad centrum gravitare facit. Aliud facit, ut gratia caelestis nunquam hominibus quum illa indigent desit (1137, & 1140).

986. EXPLICATIO I. Evidens est, *divina decreta semper esse in objecto suo efficacia*; divina enim omnipotentia semper actionem infinite efficacem habet, cujus effectum nihil potest impedire.

Ita exempli gratia, planetae continenter in solem gravitant; propterea quia constans haec gravitatio est immediatum divini decreti objectum.

Ita si Deus absolute decrevit talem cras hora decima Aristo gratiam caelestem conferre; cras hora decima Aristus gratiam hanc habebit; propterea quia gratia haec est immediatum divini decreti objectum.

987. EXPLICATIO II. Evidens est *divina decreta etsi semper in immediato eorum objecto efficacia, posse non semper esse efficacia in eorum objecto mediato, & remoto*. Potest enim potentia infinite libera, quae effectus producit necessario cum aliis connexos, & effectus producere necessario cum aliis non connexos. Ceterum neque potentia esset infinita, neque infinite libera (776, & 780).

Itaque si Deus decernere potest, aliquid produci, & hoc necessario datum effectum producere; decernere etiam potest, aliquid aliud produci, & hoc datum effectum non producere, nisi quatenus tali causæ liberæ illum produci placuerit.

I. Exempli gratia, Deus decernere potest, *motionem supernaturalem* in mea voluntate fieri, a qua motione irresistibiliter determiner *ad nummum aureum pauperibus erogandum.*

Habemus hic *primum effectum necessarium*, nempe motionem hanc supernaturalem, quæ necessario connexa erit *cum altero effectu necessario*, pecunia nempe a me necessario pauperibus erogata.

II. At Deus quoque decernere potest, *motionem supernaturalem* in mea voluntate produci; atque hanc magis, minusve me inclinantem ad nummum aureum pauperibus erogandum, mihi tamen plenam, atque perfectam libertatem relinquere hoc opus bonum faciendi, vel non faciendi; ita ut motio hæc re ipsa in se non sit irresistibilis, & ut mihi facultas sit illi re ipsa resistendi.

Primus effectus hac in re *necessarius est*, nempe motionis hujus supernaturalis existentia, qui natura sua cum altero effectu necessario non erit efficaciter connexus; possum enim sub hac supernaturali motione pecuniam hanc erogare, vel non erogare, ad quod præstandum ab illa sollicitor quidem, non necessitor.

III. Hinc orta sunt *Decreta necessitantia Calvini*, quæ in nobis necessarias, & irresistibiles inclinationes ponunt, a quibus ad bonum, aut ad malum, ad virtutem, aut ad peccatum necessario alternatim trahimur; & sub quibus, Calvino ipso fatente, nullam veram libertatem habemus, nec magis brutis, aut herbis liberi sumus.

IV. Hinc orta *decreta prædeterminantia Bannesii*,

nesii, quæ in nobis motiones statuunt alternatim ab bonum, & ad malum, ad virtutem, & ad peccatum prædeterminantes; sub quibus, quin vere, & re ipsa liberi simus, contendit, nos efficaciter, & indefectibiliter motos, ac determinatos esse ad actionem virtutis, aut peccati faciendam, cum qua motiones hæ natura sua determinatæ connexæ sunt.

V. Hinc orta *decreta indifferentia Molinæ*, quæ in nobis statuunt motiones indifferentes ad bonum, & malum, & natura sua resistibiles; sub quibus in nostra potestate est actionem facere, aut non facere, ad quam motiones hæ nos magis minusve invitant, atque inclinant.

988. EXPLICATIO III. Evidens est, Deum decernere non posse, eandem causam esse simul liberam, & necessariam in agendo in ordine ad eandem actuum speciem. Deus enim infinite sapiens sibi ipsi opponi nequit, neque esse in suis voluntatibus sibi ipsi non consentaneus.

Quare quum nobis, & experientiæ sensu, & divina revelatione constet, nos in actionibus nostris tum rectis, tum pravis vera libertate gaudere; patet, *decreta Calvini*, sub quibus nulla ad bonum, & malum stat libertas, tum fidei, tum sanæ philosophiæ esse opposita.

989. EXPLICATIO IV. Evidens est, *Deum decernere non posse, ut id, quod natura sua est irresistibiliter necessitans, effectum pariat in se liberum*. Deus enim in decretis suis non est absurdus; neque magis divina omnipotentia efficere potest, effectum necessario positum liberum esse, ac efficere possit, circulum esse quadratum, aut cubum esse sphæram.

Quare si Deus animæ meæ *motionem physicam* inderet, qua moverer aut aureum pauperibus erogare, aut illum alicui injuste auferre; neque sub hac motione physica in mea potestate esset aut ab hac erogatione, aut ab hoc furto abstinere; patet neque hanc erogatio-

nem, neque hoc furtum ullo pacto in me actiones liberas fore dicendas.

990. EXPLICATIO. V. Evidens est, *immediatum decreti indifferentis objectum non esse metaphysice connexum per se cum objecto mediato, ad quod potentiam liberam magis, minusve inclinat*. Potentia libera siquidem sub motione libera, & resistibili, quam ex hoc decreto habet, adhuc pro arbitrio facere potest, aut non facere actionem licitam, aut illicitam, ad quam magis, minusve inclinatur.

Quare si Deus *sub indifferentibus Molinæ decretis* certissime prævidet futura, quæ consequentur; patet, ea se videre non posse neque in his decretis, neque in immediato horum decretorum objecto.

991. NOTA. Hic quæri potest, *num scientiarum divinarum objectum sit, nec ne a divinis decretis dependens*; sive num divina rerum cognitio ullum in Deo decretum supponat.

I. Primo, quum res in se ipsis possibiles sint sola intrinseca suorum attributorum convenientia ante omnem Dei actionem, aut decretum; patet, *scientiam simplicis intelligentiæ* nullum in Deo decretum supponere; sive Deum possibilia videre, & cognoscere in intrinseca attributorum convenientia ante omne decretum.

II. Deinde, quum res non nisi divina voluntate existant; patet, *scientiam visionis* necessario decretum aliquod in Deo supponere, quod sit existentiæ rerum aut præteritæ, aut præsentis, aut futuræ causa aut immediata, aut mediata.

III. Num *scientia media* in Deo decretum aliquod postulet, aut supponat, quamprimum perpendemus; ostendemusque nullum ab ipsa decretum existens, sed possibile tantum supponi (1028).

FU-

FUTURA ABSOLUTA, ET CONDITIONATA.

992. DEFINITIO I. *Futurum absolutum* dicitur effectus quicumque, qui ex æternis Dei decretis extitit, aut extiturus re ipsa est. Futura absoluta alia necessaria sunt, alia libera.

I. *Futura absoluta necessaria* dicuntur, (si rem ante omnia tempora mente perpendamus) effectus omnes a causa necessaria producti, sive a causa, quæ in ordine ad hunc effectum nullam habet libertatem.

Hujusmodi est motus imbricis e tecto sola gravitate delabentis: ictus hujus imbricis in subjectum sibi corpus sive animatum, sive inanimatum. Hujusmodi sunt planetarum, & cometarum motus, qui initio temporum cœperunt, & ad finem temporum tantum desinent. Hujusmodi mutuæ substantiarum materialium inter se actiones præteritæ, præsentes, & futuræ.

Hæc omnia ab infinita intelligentia æternum cognita fuerunt ut futura, & necessario futura.

II. *Futurum absolutum liberum* (re quoque ante omnia tempora spectata) dicitur effectus quivis a causa libera productus, sive a causa, cui vera libertas inest hunc effectum producendi, vel non producendi.

Hujusmodi est meæ voluntatis actus, quo potius in conclavi manere, quam egredi statuo: hujusmodi sunt omnes actus liberi interni humanæ voluntatis: tum quoque omnes actus externi liberi, ut diversi motus ab homine brachio suo libere inditi; & per brachium ensi, aut scipioni; & per hos proximis corporibus. Hujusmodi Adæ prævaricatio, Petri lapsus, & pœnitentia, scelera quibus Antichristus famosus fiet.

Hæc omnia ab infinita intelligentia æternum cognita fuerunt ut futura, & ut libere futura.

993. DEFINITIO II. *Futurum conditionatum* (re semper æternum spectata) dicitur effectus quivis liber, aut necessarius, cujus existentia pendet a conditione a Deo ponenda; sive effectus sequuturus sit, quod Deus conditionem ponet, a qua ejus existentia pendet; sive nunquam futurus sit, quod nunquam conditionem, a qua pendet, Deus ponet. Exempli gratia:

I. Christus dicit in evangelio, fore, ut Tyrios, & Sydonios impietatis pœnituisset, si quæ prodigia in Judæa fecerat, apud illos fecisset; quæ tamen coram illis facere ipsi non libuit.

Hypothetica hæc Tyriorum, & Sydoniorum *pœnitentia*, quæ nec fuit, nec erit unquam, quoniam Deo non placuit *conditionem ponere*, a qua pendebat, ut esset, est *futurum pure conditionatum*.

Hypothetica hæc pœnitentia, futurum hoc pure conditionatum veritatem objectivam habebat; hanc enim veritatem Deus homo noscebat, ac testabatur.

II. Deus infinita sua intelligentia omnis objectivæ veritatis necessario repræsentativa æternum prævidit, si *talem supernam gratiam* apostolorum principi impertiretur, fore, ut sub tali gratia ipsum pœniteret, & idem vas electionis fieret.

Hypothetica hæc *pœnitentia* Petri ante decretum, quo Deus determinari debet ad gratiam hanc illi conferendam, aut non conferendam, est *futurum conditionatum*, quod hactenus neque existentiam, neque non existentiam includit, sed præscindit.

III. Deus peculiari erga Petrum dilectione libere se determinat *conditionem ponere*, a qua Petri pœnitentia pendet; sive hanc supernatu-

ra-

talem gratiam in Petro producere, cui infallibiliter adnexa erit ejus pœnitentia. Hoc est *futurum conditionatum*, *quod existet*.

Hæc Petri pęnitentia ante decretum, quo Deus se determinat illi talem gratiam conferre, est *futurum conditionatum* objectum scientiæ mediæ.

Hæc eadem Petri pœnitentia post decretum, quo Deus se determinat eam gratiam illi conferre, est *futurum absolutum* objectum scientiæ visionis.

994. NOTA. *Scientia simplicis intelligentiæ*, cujus objectum sunt pure possibilia, sive infallibilis cognitio, quam Deus rerum habet in earum statu puræ possibilitatis, nullam inter philosophos contentionem excitavit; de ea itaque nihil nobis dicendum superest.

Non ita sane res habet in *scientia visionis*, cujus objectum est existentia absoluta rerum; & in *scientia media* cujus objectum est existentia rerum conditionata. Futura absoluta & conditionata magnas profecto inter philosophos controversias pepererunt, de quibus binis sequentibus paragraphis nonnulla trademus.

§. I.

SCIENTIA VISIONIS.

995. OBSERVATIO. *Scientia visionis* in Deo considerata est divinæ naturæ actus immanens, quo Deus infallibiliter futura omnia absoluta æternum cognoscit tum necessaria, tum libera, quæ ab initio temporum extiterunt, & imposterum extitura sunt.

Hæc divina rerum, atque eventuum cognitio antequam existant, vocatur *divina præscientia*, seu Dei prævisio.

996. EXPLICATIO I. Nulla, omnium philosophorum consensu, difficultate percipitur, at-

atque explicatur qua ratione prævideat Deus *futura absoluta necessaria* (992); patet siquidem, Deum infinita sua intelligentia posse illa prævidere saltem in eorum causis physicis, quæ quum necessariæ sint, necessario dato loco, & tempore datos effectus parere debent, qui ipsa sunt futura absoluta necessaria.

Ita nos quoque prævidemus, aut prævidere possumus in ordinato astrorum cursu futuram eclipsim, quæ tali ratione continget post annos centum, aut mille; atque ita de ceteris.

997. EXPLICATIO II. Non æque facile est percipere, & explicare qua ratione prævideat Deus *futura absoluta libera*, seu quorum existentia a causarum liberarum voluntate pendet; exempli gratia, qua ratione Deus æternum viderit, Adamum initio temporum se determinaturum ab obedientia deficere, potius quam Deo obtemperare; me hodie hora decima matutina determinationem capturum scribendi potius, quam deambulandi; Antichristum ad mundi finem se determinaturum ad scelera potius perpetranda, quam ad pietatem colendam. Huic scopulo navim allisit semper universa vetus philosophia, cui *divina præscientia* & *humana libertas* semper visa sunt duo, quæ nulla ratione conciliari possent.

I. Quare veteres philosophi hac in re in duas sectas divisi sunt omnino oppositas.

Alii *veram in homine libertatem* esse fassi sunt; at simul nullam in Deo humanorum actuum liberorum præscientiam esse contenderunt; sive Deum non nisi conjectura, uti & nos, actus ab humana libertate pendentes noscere posse, ex hominum indole, ac propensione.

Alii *veram in Deo* humanarum quarumcumque actionum *præscientiam* admiserunt; at in homine veram libertatem esse negarunt; seu humanam voluntatem nescio cui Fato necessitan-

tanti in omnibus actionibus suis subjectam, & alligatam voluerunt; quod & a vivida, validaque ratione, & ab intimo sensu omnino falsum esse demonstratur (955, & 1117).

II. Recentiores philosophi operam dederunt, ut ambas has præcipuas veritates adeo specie inter se oppositas conciliarent, *Dei præscientiam* scilicet, & hominis *libertatem*.

Quum vero philosophica hæc conciliatio aut cum systemate decretorum prædeterminantium, aut cum illo decretorum indifferentium admodum connexa sit; antequam de illa agamus, peculiaria quædam de oppositis hisce sententiis dilucide tradere opportunum censemus.

Si omnia in duobus hisce systematibus philosophico-theologicis non æque arrident; saltem auctoribus gratias habere debemus, quod binas præcipuas veritates a ratione, & fide statutas conciliare studuerint, quarum altera alteram excludere videtur.

Illi semper laus debetur, qui, etsi non semper optato eventu, tamen humanas cognitiones dilatare nititur, sive novas veritates investigando, sive jam notis novam claritatem affundendo. At ut de humana ratione bene mereri possimus, id nobis curandum est, ut immoderatum partium studium sedulo evitantes, philosophicas sententias nostras ita proponamus, ut eas tamquam dogma quoddam ab omnibus admittenda esse non præsumamus.

DECRETA PRÆDETERMINANTIA BANNESII.

998. OBSERVATIO. Schola Thomistica, veram in homine libertatem, & veram in Deo præscientiam admittens, præcipuas has duas veritates conciliare nititur *decretis* quibusdam *prædeterminantibus*, quæ in Deo supponit, & quibusdam *physicis prædeterminationibus*, seu

præmotionibus, quas in homine supponit, & quæ in homine sunt prædeterminantium decretorum necessarius effectus.

I. Systema hoc decretorum prædeterminantium, & physicarum prædeterminationum in Hispania ortum habuit exeunte jam sæculo decimo sexto tercentis ferme annis post obitum Divi Thomæ Aquinatis, cum quo nihil habet commune. Ejus auctor fuit Bannesius Dominicanus, qui magnæ molis voluminibus Aristotelem, & Divum Thomam est interpretatus, & qui omnem lapidem movit ut *novam hanc productionem* Angelico Doctori tribueret, sive ut ostenderet eam non nisi doctrinæ Angelici Doctoris explicationem esse.

II. Ut *Bannesianum systema*, quod nunquam extra Thomisticas scholas radices agere potuit, clare, & dilucide percipiatur, *duo* veluti *rationis instantia* in Dei æternitate concipienda sunt; & in nostris ideis duobus hisce instantibus re ipsa æternis ordo successivus tribuendus; ut sequenti explicatione videbimus, in qua ut res facilius intelligatur exemplis rem agemus.

III. In universo Bannesii systemate termini hi tres: *motio physica*, *præmotio physica*, *prædeterminatio physica* semper re ipsa synonimi sunt. Horum trium terminorum objectum semper est in anima humana *Entitas modalis*, qua illustratur, aut movetur; atque hæc est effectus immediatus alicujus ex his decretis prædeterminantibus, quæ in Deo æternum existunt; & est causa talis actus, seu talis determinationis, quæ suo tempore in humana voluntate habetur (227, & 987).

999. EXPLICATIO. In systemate *decretorum prædeterminantium*, & *physicarum prædeterminationum* quomodo Deus æternum prævidit futurum Adami, aut Antichristi peccatum, futuram divi Petri, aut Aristi pœnitentiam?

I. Deus ratione intrinsecæ suæ libertatis, & su-

supremi in res omnes dominii æternum videt, se dato tempore dominum fore tribuendi Adamo, & Antichristo, quos jam creare statuit, aut *motionem physicam*, quæ eos libere, sed efficaciter, & infallibiliter prædeterminabit ad bonum; aut aliam motionem physicam, quæ illos libere, sed efficaciter prædeterminabit ad malum. *Primo hoc instante rationis* Deus nondùm cognoscit peccatum futurum Adami, aut Antichristi.

Pari modo Deus ratione intrinsecæ suæ libertatis, & supremi in res omnes dominii æternum videt, in suo omnino arbitrio esse Divo Petro, & Aristo, quos creare statuit, aut motionem physicam indere, quæ illos libere, sed efficaciter prædeterminabit ad impœnitentiam; aut *aliam motionem physicam*, quæ illos libere, sed efficaciter ad pœnitentiam, & conversionem prædeterminabit. *Hoc primo rationis instante* Deus nondum prævidet futuram Petri, aut Aristi conversionem.

II. Deus *decreto prædeterminante*, ratione intrinsecæ suæ libertatis libere æternum decernit, Adamo, & Antichristo *motionem physicam* immittere, quæ illos libere, sed efficaciter ad peccatum prædeterminet; potius quam aliam motionem physicam, quæ illos efficaciter ad virtutem prædeterminasset.

Deus *hoc altero instante rationis* æternum prævidet futurum Adami, & Antichristi peccatum. Hoc vero peccatum futurum infallibiliter prævidet & in hoc decreto prædeterminante, quod suo tempore erit causa efficiens, & necessaria physicæ hujus motionis, seu præmotionis; & in hac physica præmotione, quæ efficaciter natura sua cum hoc peccato futuro connexa erit.

III. Pari modo Deus *decreto prædeterminante*, quod ab intrinseca sua libertate procedit, libere æternum decernit, statuto tempore Di-

vo Petro, & Aristo *motionem physicam* conferre, quæ eos libere prædeterminet, sed efficaciter ad pœnitentiam, & conversionem; potius quam aliam motionem physicam, quæ eos efficaciter ad impœnitentiam determinasset.

Deus *hoc altero instante rationis* futuram Petri, & Aristi pœnitentiam æternum prævidet infallibiliter, & in hoc *decreto prædeterminante*, quod statuto tempore infallibiliter efficiet in Petri, & Aristi anima physicam prædeterminationem ad pœnitentiam, & conversionem; & in hac *physica prædeterminatione* ad pœnitentiam, & conversionem; quæ erit veluti causa physica efficaciter cum hac futura conversione natura sua connexa (987, & 989).

1000. APPLICATIO. Hic itaque per Bannesii asseclas, atque discipulos est causarum nexus, in quo Deus liberos humanæ voluntatis actus æternum prævidet.

I. Deus primum *in uno ex decretis suis prædeterminantibus* æternum prævidet motionem physicam prædeterminantem ad bonum, aut ad malum, quæ suo tempore erit decreti hujus prædeterminantis necessarius effectus; seu quæ statuto tempore a Deo ipso producetur in anima hujus hominis in talibus circumstantiis, ratione decreti hujus prædeterminantis (1004).

Quum & fuerit, & futurus sit immensus hominum numerus, & quum in quovis homine rationis usum adepto major, minorve actuum liberorum numerus habeatur; sequitur in Deo esse totidem *decreta prædeterminantia*, cujus effectus erunt totidem *physicæ prædeterminationes* ad bonum, aut ad malum, quot fuerunt, aut futuri sunt actus liberi in hominibus universis; in quo nihil absurdi.

II. Deus deinde in hac *physica prædeterminatione*, quæ dato tempore vi cujusque decreti prædeterminantis in omni homine libero producetur, aut actum virtutis æternum videt,

aut

aut peccatum, cum quo natura sua connexa est, & quod ipsa libere, sed efficaciter, & infallibiliter efficere faciet.

III. Quum Deus infallibiliter videat quodvis futurum liberum in *physica prædeterminatione* hoc futurum liberum respiciente; necesse est, hanc physicam prædeterminationem, quæ homini essentialiter ad agendum necessaria est, quam Deus homini immittit, aut denegat voluntate humana nullo pacto consulta, *stare omnino non posse natura sua neque cum omissione actus, ad quem datur, neque cum productione actus illi oppositi, ad quem datur*. Ceterum prædeterminatio hæc physica non esset medium certum, & infallibile, in quo Deus æternum infallibiliter prævidere posset futurum liberum, quod in ipsa, & per ipsam videt ut metaphysice cum ipsa connexum.

HUJUS SYSTEMATIS VITIA.

1001. CONFUTATIO. Ex hactenus expositis de decretis prædeterminantibus, & de physicis prædeterminationibus evidens est, *systema Bannesii, forte satis ingeniose præscientiam Dei explicans, videri humanam libertatem funditus destruere*; atque hoc systema, quod fortasse aptum esset divinam præscientiam cum necessariis brutorum operationibus conciliare, nullo modo aptum esse divinam præscientiam cum liberis hominum operationibus conciliare. Exempli gratia.

I. Qua ratione possim egomet modo, puta hodie hora duodecima, *veram* scribendi, aut non scribendi *libertatem* habere, si supponamus in Deo haberi *Decretum prædeterminans*, quo Deus æternum decrevit mihi hodie hora duodecima immittere, & re ipsa immittit *physicam prædeterminationem* ad scribendum potius quam ad non scribendum: quam prædetermina-

tionem ego mihi non comparavi, nec ullo libertatis exercitio comparare potui: quæ in me hodie hora duodecima immittitur nullo meo consensu, nec me annuente; quam non magis impedire possum ne recipiam, ac sensationem doloris evitare possim, quum tegula e tecto labens mihi nihil hujusmodi cogitanti brachium, aut crus frangit, quæ prædeterminatio mea voluntate inconsulta in me recepta ineluctabiliter effectum suum sortitur, nempe determinationem meam ad scribendum: quæ natura sua efficaciter connexa est effectui, ad quem data est, & absolute natura sua aut cum hujus effectus omissione, aut cum effectu opposito stare nequit? Si actus ita productus liber est, quem actum jam necessarium esse dicemus? (989).

II. Quomodo cras hora duodecima veram egomet libertatem habebo depositum mihi hodie traditum non negandi, si æternum in Deo existit *Decretum prædeterminans*, quo ineluctabiliter in me cras hora duodecima immittetur *prædeterminatio physica* ad depositum hoc negandum, quam non mihi comparavi, quam in me non admittere non est in mea potestate; quæ in me admissa antequam eam admittere annuam, atque consentiam, efficaciter, & ineluctabiliter actum ipsum in me producet, quo ad depositum hoc negandum determinabor? Quum enim determinatio hæc verum medium sit, in quo Deus infallibiliter humanæ voluntatis actus futuros prævidet, debet necessario natura sua efficaciter cum actu, ad quem datur esse connexa, nec ullo modo stare posse aut cum hujus actus omissione, aut cum actu opposito.

Si vero ita ad hoc depositum cras negandum prædeterminatus sim, quomodo reus dici potero, si cras contra conscientiæ testimonium depositum hoc negavero sub prædeterminatione,

ne, quæ ad illud ita negandum me efficaciter determinabit?

1002. NOTA I. Ut *veram libertatem* in homine efficaciter ad aliquid prædeterminato, puta ad ſtipem huic pauperi nunc erogandam, ad ſcelus in aliis circumſtantiis perpetrandum, incolumem, ſi poſſunt, ſervent Banneſii ſectatores, ad celebrem illam ſuam diſtinctionem confugerunt *ſenſus compoſiti*, *&* *ſenſus diviſi*; quæ non modo libertatem non ſalvat, imo potius antiphiloſophici eorum ſyſtematis chimæram magis patefacit.

I. *Potentia ad aliquid paſſiva*, inquiunt primo, exiſtere poteſt in ſubjecto cum potentia paſſiva ad oppoſitum. Exempli gratia, in cera molli, quam manu teneo, eſt ſimul & vera potentia paſſiva, ut in cubum, & vera potentia paſſiva, ut in globum conformetur. Et quo tempore cera hæc a me in cubum conformatur, adhuc intrinſece veram potentiam paſſivam habet, ut in globum conformetur (175).

Pari modo in Ariſto, aut Sylvio, quocumque tempore exiſtant, ſimul eſt & vera potentia paſſiva admittendi prædeterminationem ad bonum, & vera potentia paſſiva admittendi prædeterminationem ad malum. Et quo ipſo tempore Ariſtus ad bonum prædeterminatur, adhuc intrinſecam habet veram potentiam paſſivam admittendi prædeterminationem ad hujus boni omiſſionem, aut prædeterminationem ad malum huic bono oppoſitum. Quamobrem Ariſtus etſi, exempli gratia, efficaciter prædeterminatus ad bonum, adhuc intrinſece veram potentiam paſſivam habet ad prædeterminationem ad malum.

II. *Potentia ad aliquid activa*, pergunt illi, in ſubjecto cum potentia activa ad oppoſitum ſtare poteſt. Exempli gratia, actu in me eſt potentia activa ad orientem incedendi ſub phyſica prædeterminatione A, qua actu moveor, & determinor ad orientem incedere; & vera

po-

potentia activa ad orientem non incedendi sub alia physica prædeterminatione B, quam actu in me non habeo, sed quam Deus mihi indere potuisset, & qua, si actu in me esset, possem actu moveri, & determinari ad quiescendum, aut ad incedendum occasum versus.

III. Potentiæ oppositæ activæ, & passivæ, tandem inquiunt, evidenter repugnant *in sensu composito*, seu hoc sensu, quod simul ad actus oppositos extendi, & applicari possint; evidenter enim repugnat, actus duos oppositos, puta, motum, & quietem, prædeterminationem ad opus bonum, & prædeterminationem ad hoc opus bonum non faciendum, eodem instanti temporis eidem subjecto inesse.

At hæ ipsæ oppositæ potentiæ activæ, & passivæ non ita repugnant *in sensu diviso*; sive hoc sensu, quod altera ex his oppositis potentiis subjecti alicujus, Aristi, aut Sylvii, actui bono, exempli gratia, applicata, non amplius in eodem subjecto sit vera potentia actus hujus omissioni, aut actui opposito applicabilis; ejusdem siquidem subjecti potentiæ oppositæ, activæ, aut passivæ, re ipsa non sunt nisi *una, eademque potentia* alternatim actibus oppositis applicabilis, puta, motui, aut quieti, bono, aut malo.

1003. NOTA II. Hoc pacto decretorum prædeterminantium sectatores nobis *humanam libertatem* exhibent, quam sincere, & catholice re ipsa dari profitentur. At enimvero admissa etiam universa eorum theoria de *potentiarum* activarum, & passivarum *oppositarum identitate*, quæ verissima, & philosophica est, adhuc juxta optimæ dialecticæ, & optimæ philosophiæ dogmata illi negari potest, theoriam hanc ullo modo eorum systemati favere; sive hac theoria humanam libertatem salvari, quacum stare nequit philosophice decretorum prædeterminantium hypothesis.

As-

Assertores enim *decretorum necessitantium*, qui sub hac, vel illa concupiscentia, sub hac vel illa gratia supernaturali humanam libertatem negant, nonne, eorum systemate nihil immutato, *libertatem omnino similem* in homine admittere possent illi, quæ hic adstruitur distinctione sensus divisi, & compositi? Quare dicere nequeant, Clitandrum, qui modo necessario peccat sub tali concupiscentia, veram habere non peccandi libertatem propterea, quia in ipso est vera *potentia passiva*, ut ab ipso auferatur hæc concupiscentia ad malum necessitans, qua tenetur; & accipiendi gratiam ad bonum necessitantem, quæ ipsi quidem non inest, sed quam Deus illi impertiri posset: atque hac ratione ipsum habiturum veram *potentiam activam* actum pravum omittendi, quem necessario eliicit, & actum bonum ponendi, quem modo omnino ponere nequit? (989).

His rationibus motus Cardinalis Perronius, qui optime & decretorum necessitantium, & decretorum prædeterminantium systemata callebat, Clementi octavo Summo Pontifici spondebat, se effecturum, ut hæretici *Protestantes* universi *Decretis prædeterminantibus* Bannesii subscriberent, qui Calvini, & Lutheri *Decreta necessitantia* admittentes, humanam libertatem aperte negant; adeo intime convictus, ac persuasus erat, Bannesii systema nullo modo opportunum esse ad divinam præscientiam cum humana libertate conciliandam!

1004. NOTA III. Nonnulli decretorum prædeterminantium asseclæ, ne Deum *auctorem peccati* faciant, ajunt, physicas prædeterminationes ad bonum a Deo esse; *physicas vero prædeterminationes ad malum* ab humanæ naturæ corruptione procedere.

At nihil valet hoc effugium, ut in eorum systemate salva sit humana libertas. Undecumque enim procedat physica prædeterminatio ad

pec-

peccatum, si natura sua indefectibiliter peccato connexa sit, *humanam libertatem* tollere videtur; si vero peccato natura sua indefectibiliter non sit connexa, jam *verum medium* non est, quo Deus peccatum infallibiliter prævidere possit.

DECRETA INDIFFERENTIA MOLINÆ.

1005. EXPLICATIO. *Decretorum indifferentium* systema sublime ingenii vere philosophi, celebris nempe Molinæ inventum, in Hispania ortum habuit eo ferme tempore, quo ibidem decretorum prædeterminantium systema nascebatur (998).

Quum decretorum indifferentium systema institutum sit ad divinam præscientiam cum humana libertate philosophice conciliandam, necessario respicit & *futura absoluta*, quæ scientiæ visionis objectum sunt, & *futura conditionata*, quæ sunt objectum scientiæ mediæ. Nos illud nunc prima tantum ex parte considerabimus; alteram, quæ illustrior, majorisque momenti est, fusius postea perpensuri (1026). In hoc systemate:

I. Deus libere æternum decrevit, statuto tempore Adamo, qui jam fuit, & Aristo nunc existenti, & Antichristo exstituro, & *existentiam*, & *libertatem* impertiri, seu facultatem intrinsecam sese a se ipsis determinandi in ordine ad actus suos liberos.

Existentia hæc, atque libertas Adami, Aristi, Antichristi sunt jam objectum *scientia visionis*; quod objectum Deus æternum prævidet duobus modis, & duobus mediis: primo scilicet in *æterno decreto* suo, quod ex hac parte absolutum est, & quod per se necessario connexum est cum futura existentia, & libertate Adami, Aristi, Antichristi; deinde in *futura realitate* hujus existentiæ, & libertatis, quæ quum

quum sit veritas objectiva, necessario a divina essentia æternum ræpresentari debuit, quæ veritatis cujusque essentia ipsa est repræsentativa.(982).

II. Deus, qui libere æternum decrevit impertiri statuto tempore simul cum existentia *media* omnia tum *naturalia*, tum *supernaturalia* ipsis in his, aut illis circumstantiis ad libere agendum necessaria, tribus hisce hominibus re ipsa *vi æterni decreti sui* omnia media tum naturalia, tum supernaturalia impertitur ipsis ad libere agendum in his, aut illis circumstantiis necessaria, sive quo ad actus liberos ordinis naturalis, sive quoad illos ordinis supernaturalis.

At nullum ex mediis hisce naturalibus, & supernaturalibus a Deo Adamo, Aristo, & Antichristo datis vi æterni illius decreti, natura sua connexum est actui pravo, ad quem Adamus sese determinabit ; actui bono, ad quem sese determinabit Aristus, actui pravo, ad quem sese determinabit Antichristus; media enim hæc naturalia, aut supernaturalia quum tribus hisce hominibus a Deo vi æterni decreti sui data sint, qui eos facere liberos voluit, non necessitatos; in cujusque horum trium voluntate est elicere, aut non elicere actum, ad quem se determinat, aut actum illi oppositum ponere, ad quem se determinat.

Decretum hoc æternum Dei consideratum respectu existentiæ, & libertatis Adami, Aristi, Antichristi, qui hic omnes homines præteritos, præsentes, & futuros repræsentant, est *Decretum absolutum*, quod natura sua est metaphysice connexum constitutivis physicis hujus existentiæ, atque hujus libertatis, quæ sunt ejus immediatum objectum.

Hoc idem æternum Dei decretum relate ad actus liberos, quos in datis circumstantiis elicient Adamus, Aristus, & Antichristus , est *Decretum indifferens*, quod non est infallibiliter

ter natura sua connexum his actibus liberis, qui non sunt nisi ejus objectum mediatum (987, & 990).

III. Quomodo igitur, & *in quo* potuit Deus in systemate decretorum indifferentium æternum prævidere futuram Adami in data circumstantia prævaricationem, futuram in data circumstantia Aristi fidelitatem, futuram in datis circumstantiis Antichristi infidelitatem?

Hæc omnia Deus æternum prævidit non jam in decretis suis indifferentibus, quæ cum his actibus liberis non sunt infallibiliter connexa, sed tantum in *futura* horum actuum liberorum *realitate*, qui quum certissime *veritatem objectivam* habeant, necessario debuerunt ab essentia divina necessario omnis veritatis repræsentativa æternum repræsentari.

1006. APPLICATIO. Ponamus, cras hora duodecima Aristum a paupere stipem postulari; & Aristum mediis omnibus naturalibus, & supernaturalibus ad opus hoc bonum religiose, & meritorie faciendum instructum esse, quin ab ullo ex his mediis necessitetur ad id faciendum, quod omnino a libera sua determinatione pendet. In his circumstantiis nequit Aristus, quin ad stipem erogandam, aut non erogandam se determinet. Quare ad alterutrum libere, & arbitrio suo determinari debet.

I. Si cras Aristus libere se determinat ad stipem erogandam; verum jam est, *Aristum in tali circumstantia stipem erogaturum*.

Et si hoc verum est, jam stipes hæc ab Aristo libere erogata, est *veritas objectiva*, quæ Deo ignota esse nequit, cujus essentia æterna, infinita, omnibus temporibus, & locis præsens necessario veritatis cujusque repræsentativa est.

II. Contra vero si Aristus cras libere se determinat ad stipem pauperi non erogandam; jam verum est, *Aristum in tali circumstantia stipem non erogaturum*.

Et

Et si hoc verum est, stipes hæc libere ab Aristo negata, est *veritas objectiva*, quam divina intelligentia ignorare nequit (982).

III. Patet de quovis alio actu libero ante futuram suam existentiam, vel non existentiam considerato idem dici posse, quod nos hic de Aristi opere ad exemplum assumpto diximus. In quavis actione libera semper requiritur verum libertatis exercitium, aut negatio consensus; & hæc negatio est *verus animæ actus*, ac sit consensus ipse (286).

Potuit ergo Deus infallibiliter prævidere, & re ipsa æternum prævidit omnes humanæ voluntatis actus liberos in eorum *veritate objectiva*, aut *futura existentia*, quæ, quum quid re ipsa sit, quid intelligibile esse debet.

1007. NOTA. Deus ad objectum creatum, substantia sit, aut modificatio, existens, aut futurum, necessarium, aut liberum, cognoscendum *ex ipso objecto creato* non movetur, aut determinatur. Ceterum in sua intelligente facultate ab objecto creato penderet, quod enti infinite perfecto, & infinite independenti repugnat.

I. Nequit ergo Deus ad objectum quodvis creatum cognoscendum moveri, & determinari, nisi ab infinita essentia sua necessario omnis veritatis repræsentativa, sicuti ad objectum quodvis creandum, aut formandum determinari nequit, nisi a suo beneplacito, ab infinitaque sua perfectione (960, & 969).

II. Divina essentia, quatenus necessario repræsentativa cujusque, quod aut re ipsa sit, aut veritas sit, ipsa est, quæ Deum ad cognoscendum movet, ac determinat; ipsa est *motivum divinas cognitiones determinans*.

III. Quare objecta creata, substantiæ, aut modificationes, existentia, aut futura, necessaria, aut libera, sunt tantum *termini divinarum cognitionum*.

IV.

IV. Metaphysica connexio inter essentiam repræsentativam, & objecta ab ipsa repræsentata facit igitur *divinarum cognitionum infallibilitatem.*

PROPOSITIO

1008. *Deus actus futuros humanæ libertatis infallibiliter æternum prævidet, quin libertas infallibilitati præscientiæ, aut infallibilitas præscientiæ libertati officiat.*

EXPLICATIO. Ut clarius propositionis probationes elucescant, eam trifariam partiemur, & demonstrabimus.

1009. DEMONSTRATIO I. *Deus actus futuros humanæ libertatis infallibiliter æternum prævidet*; quod facile ratiocinio, & experientia probatur.

I. Primo ratio docet, ens æternum infinita intelligentia præditum necessario, & infallibiliter id omne, quod veritatem objectivam habet, æternum attingere.

Atqui actus liberi humanæ voluntatis, qui aut exstiterunt, aut existent, evidenter veritatem objectivam habent. Ergo hi actus æternum sunt infallibile divinæ intelligentiæ objectum, & a Deo necessario, & infallibiliter æternum cognoscuntur (982).

II. Deinde experientia docet, ex certissimo sacrorum librorum testimonio, Deum eventus futuros ab humana libertate pendentes cognoscere, antequam eveniant. Plures enim veteris, novique testamenti prophetiæ actus liberos respicientes eventu veræ apparuerunt; contigerunt siquidem hi actus liberi eo ipso tempore, quo divinitus prænunciati fuerant ante annos plurimos, imo & sæcula.

Si ergo Deus annos centum, aut mille antequam contingerent, hos actus futuros prævidit, quorum cognitio in hominibus ab ipso

in-

inspiratis, & illustratis non nisi ab eo esse poterat: quare non illos quoque æternum prævideritt? Q. E D.

1010. DEMONSTRATIO II. *Humana libertas divina præscientiæ infallibilitati non officit*. Si enim divina essentia tamquam *speculum*, aut *oculus* consideretur, in quo eventus omnes, & res omnes possibiles repræsentantur, facile divinæ præscientæ infallibilitas, stante perfectissima humana libertate, concipietur.

I. Patet primo, quod olim existet influxu causæ liberæ, non minus exstiturum, ac quod existet influxu causæ necessariæ. Exempli causa, motus præsens Aristi, qui modo libere secus Sequanam deambulat regia via, heri erat *futurum liberum*; & fluxus præsens aquarum Sequanæ, quæ secus eandem viam necessario, & irresistibili inclinatione decurrunt, heri erat *futurum necessarium*.

Motus liber Aristi est ne minus verus, minusque re ipsa datur actu, ac motus necessarius aquarum Sequanæ? Ergo existentia futura motus liberi non minus est *veritas objectiva*, ac existentia futura motus necessarii. Ergo veritas objectiva futuri liberi non minus cognosci debet ab infinita Dei intelligentia, ac veritas objectiva futuri necessarii. Ergo Deus non minus infallibiliter prævidet primum, quam secundum.

II. Certum est deinde, divinæ præscientiæ infallibilitatem, quæ semper in se ab intrinseca rerum natura independens est, non esse essentialiter fundatam supra intrinsecam connexionem causarum cum suis effectibus, aut effectuum cum suis causis; sed *supra indefectibilem connexionem essentiæ repræsentativa cum rebus repræsentatis*.

Quæcumque in se sint res repræsentatæ, sive necessariæ, sive liberæ; dummodo indefectibilis connexio sit inter essentiam repræsentan-

tantem, & res ab ipsa repræsentatas, infallibilitas divinæ præscientiæ subsistit.

III. Evidens tandem est, *libertatem hominis libere agentis* non impedire, quominus infallibiliter videatur præsens, & libera ejus actio. Quare ergo libertas hominis olim libere acturi impediet, quominus ejus actio futura, & libera infallibiliter prævideatur?

Exempli gratia, nunc specto Aristum, & Clitandrum libere aleis ludentes. Minus ne certo, & infallibiliter video, & cognosco utriusque ludum, propterea quia ludus iste est actio utrimque libera? & si Deus heri id ipsum vidit, quod ego nunc, quare *libertas* hujus ludi, quæ non facit, ut ego eam videns fallar, faciet, ut Deus eam prævidens fallatur? Ergo libertas humana nihil officit divinæ præscientiæ infallibilitati. Q. E. D.

1011. DEMONSTRATIO III. *Infallibilitas divina præscientiæ nihil officit humanæ libertati*. Siquidem:

I. Certum est primo actionem liberam non cessare esse liberam eo, quod videatur; quare ergo cessabit esse libera si prævideatur? Exempli gratia; Comœdus Polieuctum, aut Cinnam agens, minus ne liber est in actione sua eo quod ab innumeris spectatoribus spectetur? & si fieri posset, ut spectatores hodierni id heri vidissent, quod modo vident, minus ne liber in actione sua esset modo hic comœdus?

Pari modo latro, qui modo viatores aggreditur se inobservatum putans, minus ne liber est in hac præsenti actione eo, quod a duobus vel tribus apertissime videtur, de quibus nihil suspicabatur; sive eo, quia *oculus invisibilis* Dei semper, & ubique essentia præsens certissime heri vidit, quod non nisi hodie certissime ab illis testibus videtur?

II. Certum est deinde, *rerum prævisionem* nihil ad earum existentiam conferre. Neque enim

enim ideo res accidunt, quod eas Deus infallibiliter prævidet: contra ideo Deus res infallibiliter prævidet, quia eventuræ sunt. Quare connexionem caufæ, & effectus ftatuere inter Dei prævisionem, & res prævisas, eft præpoftere philofophari, rerum ordinem evertere, falsa pro principio aſſumere.

III. Certum quoque eft, humanam libertatem, faltem in omnibus, quæ ad internos animæ actus fpectant, non nifi ab aliquo animæ intrinfeco deftrui poſſe, quod irrefiftibiliter potentiam animæ noftræ electivam, & activam determinare poſſit.

Atqui divina præfcientia non eft quid animæ noftræ intrinfecum; contra vero evidenter eft quid electivæ, & activæ animæ potentiæ *extrinfecum*, & *extraneum*; divina enim præfcientia, ut expofuimus, non eft electivæ, & activæ animæ potentiæ, nifi quod fidele fpeculum eft objectis repræfentatis, aut quod oculus linceus eft objectis ab ipfo vifis. Ergo nullo pacto divina præfcientia potentiam electivam, a qua actiones liberæ funt, determinat, aut neceſſitat.

IV. Certum tandem eft id, quod libertatem noftram eſſentialiter fupponit, eam non deftruere. At præfcientia actuum noftrorum liberorum libertatem noftram fupponit; Deus enim actus noftros liberos æternum prævidens non folum prævidet, actus hos extituros, fed & libere extituros. Ergo prævifio actuum noftrorum liberorum libertatem non deftruit.

Quare Divina præfcientia cum libertate humana omnino componi poteft, quin hujus exiftentiæ, & actioni illius infallibilitas officiat. Q. E. D.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

Quæ duo contra fcientiam vifionis opponuntur, funt; aut infinitam Dei intelligentiam in fyftemate decretorum indifferentium non habere

re *verum medium*, in quo futura contingentia libera prævidere possit, aut Dei prævisionem, si re ipsa datur, reddere necessaria futura hæc contingentia, quæ libera supponuntur.

Ut hæc duo diluamus, ostendemus primo, *intelligibilitatem objectivam* futurorum contingentium liberorum esse verum medium, quo futura hæc ab infinita Dei intelligentia cognosci possint; deinde Dei prævisionem *nullam* activæ hominis potentiæ *veram ingerere necessitatem*; sive rerum prævisionem nihil magis visione res reddere necessarias.

FUTURORUM LIBERORUM INTELLIGIBILITAS OBJECTIVA.

1012. OBJECTIO I. Si Deus cognoscit *futura libera*, necessario illa cognoscit per aliquid simile aut nostris ideis, aut nostris sensationibus. Atqui nihil tale Deo præbere potest veram futurorum liberorum cognitionem; ergo Deus veram futurorum liberorum cognitionem habere non potest.

RESPONSIO. Qui velit, Deum res non cognoscere nisi ut nos cognoscimus, vult, Ens infinitum potentia, & actione ens finitum non excedere; quod est contra philosophiæ principia, & rationis pugnare.

I. Fossile ajebat: si vegetabile augmentum vitale habet, hoc necessario fieri in illo debet ut in me, extrinseca partium juxta positione.

Fossile fallebatur. Nesciebat in vegetabili intimam, & vitalem esse organorum structuram, quæ ipsi non erat.

II. Vegetabile ajebat: Si brutum sensationes habet doloris, & voluptatis, necessario hæ debent esse substantiæ suæ organicæ, solidorum, aut fluidorum suorum modificationes.

Vegetabile fallebatur. Nesciebat brutis inesse substantiam immaterialem doloris, & voluptatis

capa-

capacem, quæ nihil corporis vegetabilis substantiæ organicæ solidæ, aut fluidę commune habet.

III. Brutum ajebat: Si homo acuta ratiocinia efficere, & magnos animi sensus habere potest; ratiocinia hæc, & sensus hi aut a substantia organica, aut a sensitiva in ipso enascentur.

Brutum fallebatur: nesciebat homini inesse substantiam intelligentem bruti substantiæ sensitivæ nullo pacto similem.

IV. Homo ajebat: Si Deus cognoscit futura libera, necessario ea cognoscere debet per quid simile meis ideis, aut meis sensationibus.

Homo æque ac fossile, vegetabile, & brutum, fallebatur. Supponebat enim in ente ordinis superioris id tantum esse, quod in se, ente ordinis inferioris, concipiebat.

V. Philosophus inquit: Si Deus est omni perfectionum genere infinitus, necessario in omnibus inter ipsum, & me debet infinitum intercedere.

Quare in Deo esse debet *cognoscendi modus*; cognoscere enim perfectio est. At in Deo hic cognoscendi modus infinite a meo diversus, *infinite meo perfectior* ad omne intelligibile, ad omne verum se extendere necessario debet; ceterum hic non amplius in Deo esset perfectio infinita.

Etsi, pergit philosophus, non nisi quinque sensus habeam, seu modos quinque sensibilia cognoscendi; percipio tamen sextum, aut septimum sensum mihi ignotum in ente intelligente & sensibili natura finito non esse quid ἀδύνατον (14). Quare ergo in Ente infinito *sensum infinitum* sese ad omnia loca, & tempora extendentem supponere, aut concipere nequeam; qui omnino natura spiritualis semper, & ubique infallibiliter objecta quæcumque attingat sensibilia, aut insensibilia, materialia, aut immaterialia?

Philosophus ita procedens se veras Dei, & rerum ideas habere indicabat; Dialecticam honore prosequebatur: sibi ipsi honorem comparabat.

1013. OBJECTIO II. In systemate decretorum indifferentium futura libera Deus prævidet in eorum *veritate objectiva*. Quare supponitur, futura hæc veritatem objectivam determinatam habere.

At enimvero certum ne est, futura libera veritatem objectivam determinatam habere? tunc ex duabus contradictoriis de futuris hisce altera esse deberet determinate vera, altera determinate falsa. Atqui hoc falsum est, inquiunt assertores decretorum prædeterminantium. Sint enim hæ duæ propositiones contradictoriæ: *cras de meridie Aristus ambulabit: cras de meridie Aristus non ambulabit.*

Harum propositionum una est indeterminate vera, altera est indeterminate falsa ratione earum oppositionis contradictoriæ (625).

At neutra est *determinate vera*, aut *determinate falsa*; oppositio contradictoria siquidem tantum postulat, ut alterutra indeterminate si vera sit, altera falsa sit; quin dignosci possit in re ulla, aut ratione ulla quænam determinate vera erit, aut falsa.

Deus ergo futura libera prævidere nequit in eorum veritate objectiva; nulla enim est re ipsa veritas objectiva determinata neque in his futuris liberis, neque in propositionibus contradictoriis, quarum hæc futura sunt objectum.

RESPONSIO. Certum est, si futura libera re ipsa determinatam habent *objectivam veritatem*, infinitam Dei intelligentiam debere hanc veritatem in se ipsa attingere; est enim essentia divina necessario veritatis omnis objectivæ repræsentativa.

Ostendendum itaque dumtaxat est, quomodo verum sit, futura libera veritatem objectivam re

re ipſa determinatam habere. Ad hoc dico primo, nullum eſſe futurum liberum, de quo duæ propoſitiones contradictoriæ ſtatui nequeant. Sumamus ad genericum exemplum futuram Ariſti deambulationem, de qua modo ſermo. Dico inter duas de hac deambulatione contradictorias propoſitiones alteram in ſe ipſa eſſe determinate veram, alteram determinate falſam. Oſtendo:

I. Suppono primo heri propoſitiones has factas fuiſſe: *cras de meridie Ariſtus ambulabit*; *cras de meridie Ariſtus non ambulabit*. Deinde ſic procedo.

Sicuti fieri nequit, ut idem ſimul, & eodem tempore ſit, & non ſit; fieri nequit, ut hodie de meridie Ariſtus ambulet, & non ambulet. Neceſſe omnino eſt, ut ambulet, aut non ambulet, arbitrio ſuo.

Si hodie de meridie re ipſa Ariſtus ambulat, harum propoſitionum prima, quæ futuram Ariſti deambulationem affirmabat, heri re ipſa vera in ſe erat; heri enim erat re ipſa conformis objecto ſuo conformitate enunciationis, quæ propoſitionum veritatem formaliter conſtituit. In hoc caſu, & ratione contrariorum altera ex contradictoriis re ipſa erat in ſe determinate falſa (102, & 626).

Si hodie Ariſtus de meridie re ipſa non ambulat, altera propoſitio, quæ Ariſtum hodie de meridie ambulaturum negabat, erat re ipſa heri in ſe vera; erat enim re ipſa conformis heri objecto ſuo conformitate enunciationis. In hoc caſu, & ratione contrariorum altera propoſitio erat re ipſa heri in ſe falſa. Quare inter duas contradictorias, quarum heri objectum erat futura Ariſti deambulatio, altera re ipſa erat *determinate vera* in ſe ipſa, illa nempe, quæ re ipſa conformis erat objecto ſuo: & altera re ipſa erat *determinate falſa* in ſe ipſa; illa nempe, quæ objecto ſuo difformis erat.

In altera ergo ex his propositionibus erat heri re ipsa *veritas objectiva* determinata; & in altera re ipsa *falsitas objectiva* determinata. Si ergo veritas hæc objectiva heri existebat, quare heri ab infinita Dei intelligentia cognosci non poterat? Et si heri veritas hæc objectiva existebat, & cognosci poterat, quare ante sæculum, ante mille sæcula, ante infinita sæcula cognosci non potuerit?

II. *Veritas objectiva* alterutrius contradictoriæ de quovis futuro libero est *nobis indeterminata* antequam eventum cognoscamus; ante hunc enim ignoramus utra sit enunciatione conformis objecto suo.

At non proinde alterutrius propositionis veritas re ipsa *determinata non est in se ipsa*. Constitutiva enim physica veritatis hujus objectivæ re ipsa existunt in una ex his propositionibus determinate sumpta; in ea scilicet, quæ ita enunciat futurum liberum, ut illud suo tempore re ipsa erit.

Physica enim constitutiva veritatis hujus objectivæ tantum sunt conformitas enunciationis inter propositionem, & objectum enunciatum, sive propositionis ad objectum futurum relatio; quod objectum, etsi nondum existat, est tamen in se omnino ut a propositione enunciatur (100 & 101).

III. Quæ de futura Aristi deambulatione dicta sunt, patet de quovis alio futuro libero dici posse. Exempli gratia, sint hæ duæ propositiones contradictoriæ de futuro libero indefinite a nobis remoto. (Anno ætatis suæ vigesimo, ipso æquinoctii verni instante *Antichristus blasphemabit*, *Antichristus non blasphemabit*)

Quum fieri nequeat, ut idem simul sit, & non sit; evidens est, omnino necesse esse, ut, statuto tempore Antichristus blasphemet, aut non blasphemet.

Si tempore statuto re ipsa blasphemabit, prima

ma propositio hoc enuncians modo vera est in se ipsa; modo enim habet objecto suo enunciationis conformitatem.

Si tempore statuto non blasphemabit, altera propositio nunc vera est in se ipsa; nunc enim objecto suo habet enunciationis conformitatem.

Si vero alterutri ex his propositionibus inest *veritas objectiva* re ipsa determinata; quare veritas hæc objectiva nunc, & æternum existens non cognoscetur ab essentia divina omnis objectivæ veritatis necessario repræsentativa? (982).

LIBERTAS SUB PRÆSCIENTIA DEI.

1014. OBJECTIO III. *Divina præscientia* cum humana libertate omnino componi nequit; & si supponamus, actiones liberas sive licitas, sive illicitas infallibiliter prævisas fuisse a Deo qui nunquam falli potest; supponemus eas necessario eventuras, adeoque non fore liberas. Exempli gratia, si Deus infallibiliter prævidit futurum Aristi, aut Antichristi peccatum in his, aut illis circumstantiis; non amplius in illis circumstantiis Aristo, aut Antichristo liberum est non peccare.

Si enim in datis circumstantiis liberum esset illis non peccare, possent *peccatum prævisum* non committere; & si peccatum prævisum possent non committere, possent divinam præscientiam falsam reddere; quod in nostris principiis repugnat.

Si ergo Deus futurum Aristi, aut Antichristi peccatum prævidit, hoc peccatum erit actus necessarius, non liber. Ergo eadem ratione, si Deus prævidit, stipem cras Sylvio a Clitandro erogatum iri; stips hæc cras necessario, non libere erogabitur. Ergo sub præscientia divina *nulla* est in homine *vera libertas*; nulla siqui-

dem in illo est vera potentia non faciendi quod Deus prævidit.

RESPONSIO. Jam ostendimus divinam præscientiam humanæ libertati nihil officere, quum isti omnino sit extrinseca (1011).

Libertas in homine est *plena*, *& perfecta potentia* sese determinandi ut vult ad id, quod vult, quin a quopiam ad actionem necessitetur aut quidpiam illi desit ad agendum necessarium; ita ut ad actu, & re ipsa agendum, vel non agendum nihil requiratur præter ipsam suæ voluntatis determinationem, quæ ab ipso est, quin cogatur, aut necessitetur. Hic ostendendum est qua ratione re ipsa in homine habeatur intrinseca hæc potentia sub infallibili suorum actuum liberorum prævisione.

I. In hypothesi peccati prævisi inest Aristo, & Antichristo *vera potentia non peccandi*; potentia enim, qua peccant, aut aliquando peccabunt, est identice potentia eadem, qua possent non peccare; potentia autem activa ejus exercitio non amittitur.

Exempli gratia, potentiam habeo nunc scribendi, aut non scribendi, quæ de hoc meam libertatem constituit: hanc vero potentiam applicans scriptioni, non propterea potentiam non scribendi in me destruo; potentia enim, qua scribo, eadem ipsa est, qua possum non scribere.

Pari modo crimen patrans veram habet potentiam illud non patrandi, ac proinde in hoc liber est. At crimen patrans non propterea potentiam in se destruit illud omittendi, & opus bonum oppositum faciendi. Potentia enim, qua crimen patrat, *ea ipsa* est, qua illud omittere posset, aut oppositum facere.

II. Humana libertas non est *potentia eandem rem simul faciendi*, *& non faciendi*; puta, idem opus bonum, aut malum simul faciendi, & non faciendi; quod est chimæricum. Sed est

vera

vera potentia eandem rem faciendi, aut non faciendi; puta, opus bonum faciendi, aut non faciendi; opus bonum faciendi, aut crimen illi oppositum pro arbitrio faciendi.

Quare humana libertas est *potentia unica*, quæ a se indifferenter, & arbitrio suo actibus oppositis applicari potest, ita tamen, ut posito uno ex his actibus, pro eo temporis instante actus oppositus repugnet; etsi potentia ad ipsum perseveret.

III. In hypothesi peccati futuri Aristi, aut Antichristi prævisi, supponi nequit, posse Aristum, aut Antichristum, ut divinam præscientiam falsificet, omittere peccatum prævisum; hoc enim esset *potentiam chimaricam* in ipsis supponere, potentiam scilicet eundem actum faciendi simul, & non faciendi.

Supponere, Aristi peccatum futurum prævisum esse, est supponere, Aristum re ipsa sese ad peccatum determinaturum; neque enim peccatum prævisum est, nisi consequenter ad actum quo re ipsa Antichristus sese ad peccandum determinabit.

Sed supposito, quod Aristus sese re ipsa ad peccandum determinabit, supponi nequit, Aristum sese eodem tempore ad non peccandum determinaturum. Aristus enim, qui veram potentiam habet sese a se determinandi ad peccandum, aut ad non peccandum, non habet veram potentiam simul peccandi, & non peccandi.

1015. NOTA. Aristi, aut Antichristi peccatum quum supponitur prævisum, supponitur suo tempore existens; si autem supponitur suo tempore existens, nequit supponi suo tempore non existens.

Ut vera Aristi, & Antichristi libertas sub prævisione eorum peccati futuri falsificare posset divinam præscientiam, deberet posse facere, ut eorum peccatum prævisum consequenter ad

suam existentiam futuram, suo tempore non existeret; aut facere, ut eorum peccatum prævisum existeret simul, & non existeret; atqui hæc non est humana libertas, quæ non est chimærica, ut explicavimus.

1016. OBJECTIO IV. Si sub divina præscientia de futuro Antichristi peccato supponi nequit hujus peccati non existentia, quomodo hoc peccatum erit actus liber? Si vero supponi potest hujus peccati futuri non existentia, quomodo divina prescientia erit infallibilis?

RESPONSIO. Inani sophismate universa objectio innititur, in qua, ut cum scholis loquamur, continenter transitus fit a sensu composito ad sensum divisum præscientiæ divinæ, & peccati futuri; & vice versa.

I. In *sensu composito* divinæ præscientiæ de peccato futuro, peccatum Antichristi supponitur suo tempore existens; Deus enim hoc peccatum futurum non prævidet, nisi consequenter ad suam futuram existentiam. Atqui in hypothesi peccati suo tempore existentis, hoc peccatum supponi nequit suo tempore non existens.

Qua igitur ratione peccatum hoc liberum erit, si ejus non existentia supponi nequit? Liberum erit, quia producetur a causa libera, quæ sua ipsa determinatione aget; quæque, ut libera sit, non indiget sese determinare ad peccatum simul committendum, & omittendum.

II. In *sensu diviso* divinæ præscientiæ de peccato futuro, peccatum Antichristi supponi potest suo tempore non existens; Antichristus enim, qui se libere determinabit ad peccatum committendum, potuisset se libere determinare ad peccatum non committendum.

In postrema hac hypothesi, quæ peccati prævisionem non includit, quæque peccati prævisioni est antecedens, peccatum Antichristi neque prævisum fuisset.

III.

III. *Sensus compositus præscientiæ de peccato* est hypothesis, in qua supponitur futura peccati existentia, consequenter ad futuram potentiæ liberæ, a qua committetur, determinationem.

Sensus divisus præscientiæ de peccato est hypothesis, in qua præscinditur a futura peccati existentia, & in qua tantum attenditur plena facultas, quam habet potentia libera sese determinandi pro arbitrio ad peccatum committendum, vel non committendum.

Prima hypothesis & futuram peccati existentiam, & futuram liberam ad peccandum determinationem includit. Altera hypothesis præscindit & a futura peccati existentia, & a futura ad peccandum determinatione.

Quare in hac postrema hypothesi peccatum supponi potest non existens; hæc enim tantum respicit libertatem adhuc indeterminatam causæ, a qua peccatum aut commissum, aut omissum esse debet.

At hoc ipsum peccatum in prima hypothesi supponi nequit non existens, quum in ea jam supponatur prævisum consequenter ad futuram ejus existentiam; ac proinde consequenter ad futuram liberam suæ causæ determinationem.

1017. NOTA. Ex duobus sequentibus exemplis plane intelligitur, qua ratione actuum liberorum prævisio eorum libertati neutiquam officiat; quod omnes hac de re difficultates plane præcidet (1911).

I. Sentio, me nunc omnino liberum esse, ut ambulem, aut non ambulem; hæc autem, esse duo opposita, quæ omnino a mea libera determinatione indifferenter, & meo arbitrio pendent.

Si me libere ad ambulandum determino, facio, ut Deus æternum præviderit, *me nunc esse ambulantem*.

Si me libere ad non ambulandum determi-

no,

no, facio, ut Deus æternum præviderit, *me nunc non esse ambulantem*.

Ergo præscientia Dei meam libertatem non lædit: quovis enim temporis momento, quo me libere agere sentio, præbeo æternæ, & infallibili Dei præscientiæ objectum, & terminum, quem mihi præbere libet.

II. Idem dicas in ordine morali de virtutibus, & vitiis. Ego inter virtutem, & vitium constitutus, inter depravatæ naturæ illecebras, & rationis, fidei, & gratiæ cælestis monita, sentio me nunc omnino liberum esse, ut me ad bonum, vel ad malum actu virtutis, aut actu pravo determinem.

Si me actui virtutis libere determino; facio, ut Deus æternum præviderit *hujus actus boni existentiam*.

Si me actui pravo libere determino; facio, ut Deus æternum præviderit *hujus actus pravi existentiam*.

Quare divina præscientia libertatem meam ad actus licitos, aut illicitos, bonos, aut pravos nequaquam lædit; quovis enim instante, quo me sentio libere agere, semper mea libera determinatio æternæ, & infallibili Dei præscientiæ objectum præbet, & terminum, quem mihi magis præbere libet; neque præscientia hæc æterna, & infallibilis unquam prævidet, nisi quod mihi libet illi prævidendum præbere.

1018. OBJECTIO V. *In hypothesi peccati prævisi* aut peccatum omitti potest, aut non potest; si potest, Deus falli potest; si non potest, quam libertatem habebit homo hoc peccatum committens? Idem dici poterit de actu bono, aut indifferente prævisio.

RESPONSIO. Patet difficultatem hanc eandem esse cum præcedente. Satis erit itaque illi præcedentis responsionis principia breviter adhibere.

I. In

I. In hypothesi peccati prævisi, quod non nisi consequenter ad futuram ejus existentiam, & ad futuram liberam causæ, a qua perpetrabitur, determinationem, prævidetur, *omissio peccati haberi non potest*; nequit enim peccatum prævisum, suo tempore esse, & non esse. Idem dicas de actu bono, qui supponatur prævisus.

II. Etsi in hypothesi peccati prævisi omissio peccati haberi nequeat; non tamen sequitur, non amplius veram libertatem esse in homine peccaturo; peccabit enim potentia libera, quæ exercitio non destruitur.

Quid inde? Sequitur tantum, *humanam libertatem* positam non esse in vera potentia faciendi, ut Deus tale peccatum, & talem peccati omissionem prævideri t; sive ut Deus talem actum bonum, & ejus omissionem prævi derit; sed in *vera potentia* faciendi, ut Deus talis peccati existentiam, vel non existentiam, talis actus boni existentiam, vel non existentiam prævi derit.

1019. OBJECTIO VI. Ex his sequitur, divinam præscientiam a libera hominis voluntate pendere; quod simul falsum, & absurdum videtur.

RESPONSIO. Certum est, Deum esse infinite independentem; non tamen hoc importat quidquid præpostera philosophandi ratio confingit.

Deus independens est, homo liber. Ex *essentiali sua independentia* Deus id omne, quod vult, in universa natura operari potest tum animata, tum inanimata, intelligente, & intellectu carente, necessitata, aut libera. *Ex naturali sua libertate* homo in actibus liberis non nisi dependenter a libera sua determinatione operatur: id tantum facit, aut omittit, quod vult. Hæc duo simul conciliandа sunt: si unum alteri detrimentum af-

fert, a recta philosophandi ratione jam recedimus.

I. *Divina praescientia* de actibus nostris liberis a nostra voluntate pendet in suo termino, non in sua natura; in quo sane nihil falsi, aut absurdi.

Divina essentia aeterna, & in se independens omnem *veritatem objectivam* necessario repraesentat; at a mea voluntate pendet huic divinae essentiae aut veritatem objectivam exhibere actus boni, aut actus pravi; a mea siquidem voluntate pendet, aut talem actum bonum, aut talem actum pravum existere.

Naturalis haec voluntatis meae in suis actibus liberis independentia nihil habet oppositum essentiali Dei independentiae; haec enim voluntatis independentia est in me effectus liber entis essentialiter independentis, quod mihi libere existentiam tribuens, me libere conservans, mihi quovis instante libere sufficiens quidquid ad potentias meas naturales constituendas, seu complendas requiritur, libere decrevit, me esse *Ens liberum* potius, quam necessarium in quibusdam meis operationibus.

II. *Hominis libertas* nihil officit infinitae Dei independentiae; sub perfectissima enim hominis libertate potest semper Deus efficaciter, & infallibiliter liberam hominis voluntatem ad id omne adducere, quod ipsi libet; sive efficaciter, & infallibiliter facere, ut homo libere velit, faciat, aut omittat quidquid Deo placuerit, hominem velle, facere, aut omittere.

Ex supremo suo in res creatas dominio, ex infallibili sua futurorum conditionatorum praescientia, ex infinita ejus potentia semper infinitis agendi mediis foecunda Deus semper potest efficaciter, & infallibiliter, nulla humanae libertatis laesione, aut coactione (ut quamprimum explicabimus) facere, ut homines *actum quemcumque* eliciant, quem illi placuerit

essen-

essentiæ suæ infinitę ut præsentem, aut ut futurum repræsentandum exhibere, & ut objectum infallibili suæ præscientiæ proponere (1026).

At semper erit humana voluntas libera, quæ libere hunc actum determinabit, & libere hoc objectum futurum divinæ præscientiæ existere faciet.

1020. OBJECTIO VII. Ut effectus futurus infallibiliter prævideatur, necessario prævideri debet in aliquo cum hoc effectu futuro metaphysice connexo. Quid autem metaphysice cum futuro libero connexum esse potest, nisi decretum prædeterminans?

RESPONSIO I. Jam ostendimus, decretum prædeterminans non posse cum futuro libero esse connexum. Quare Deus nequit in decreto prædeterminante futurum liberum prævidere. (989, & 1001).

II. Ut Deus infallibiliter effectum futurum necessarium, aut liberum prævideat, non est necesse, inter Deum, & hunc effectum *metaphysicam causæ connexionem* intercedere; satis est, si *metaphysica cognitionis connexio* intercedat.

Ratiocinii hac objectione urgentis, & sententiæ oppositæ principiis nostris lapsabundam basim facientis vitium in hoc est, quod falso supponitur, objecta creata esse motivum divinarum cognitionum, quum non nisi earum terminus sint; ut supra ostendimus (1007).

1021. NOTA. Per *Congruistas* Deus futura libera prævidet non tantum in eorum *veritate objectiva*, verum & præcipue *in eorum causa naturali*, nempe in humana voluntate considerata ut potentia.

Deus, inquiunt, humanarum voluntatum auctor singularum intimam substantiam, atque indolem optime noscit. Quare cujusque voluntatis propensionem cum rerum circumstantiis, in

in quibus versabitur, comparando Deus infallibiliter in illis prævidere potest ad quid quæque in data circumstantia sese determinabit. Hinc alterum in Deo *cognitionis medium*, in quo earum futurus actus prævidet.

CONFUTATIO. At vero hoc alterum cognitionis medium a Congruistis excogitatum minime aptum nobis videtur ad *humanam libertatem* cum *infallibili Dei præscientia* cinciliandam. Si quidem:

Si cujusque humanæ voluntatis indoles est *natura sua metaphysice connexa cum tali actu futuro*, non amplius in homine stat libertas.

Si vero cujusque voluntatis indoles non est natura sua metaphysice connexa cum tali actu futuro, scientia Dei ex hoc capite jam non est nisi *scientia conjecturalis*, quæ nunquam absolutam infallibilitatem habere potest.



§. II.

SCIENTIA FUTURORUM CONDITIONATORUM.

1022. OBSERVATIO. Scientia futurorum conditionatorum, quæ etiam *scientia media* nuncupatur, considerata in Deo, est ille divinæ essentiæ actus immanens, quo Deus infallibiliter futura conditionata æternum cognoscit. De qua satis diffusam supra notionem tradidimus (993).

I. Scientiæ mediæ objectum sunt & *futura conditionata*, quæ nunquam existent, & futura absoluta, quorum existentia pendet a conditione a Deo ponenda, sed ante decretum, quo Deus se determinat hanc conditionem ponere, a qua eorum futura existentia pendet.

II. Scientia hæc futurorum conditionatorum voca-

vocatur *scientia media*, quia ejus objectum veluti medium tenet inter pure possibilia, quæ sunt objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, & absolute futura, quæ sunt objectum scientiæ visionis; quod explicare pergimus.

1023. NOTA I. In systemate decretorum prædeterminantium *duo* in Dei æternitate concipiuntur *rationis instantia*, quibus ordo successivus tribuitur, ut divinas operationes imperfecto nostro res cognoscendi modo accommodemus (998, & 999).

Pari modo in systemate decretorum indifferentium *tria* in Dei æternitate ex eadem ratione concipiuntur *rationis instantia* successiva. Exempli gratia, ponamus Deum æternum statuisse, Aristum libere cras hora duodecima stipem pauperi erogare. In systemate decretorum indifferentium:

I. *Primo instante rationis* Deus videt, hanc erogationem haberi posse; sive se posse Aristum reddere aptum ad hanc erogationem faciendam. *Erogatio hac possibilis* est objectum scientiæ.

II. *Altero instante rationis* videt Deus, si Aristo daret gratiam A, Aristum se libere determinaturum ad hanc erogationem faciendam; si vero Aristo daret aliam gratiam B, illum se libere determinaturum ad hanc erogationem non faciendam. *Existentia hypothetica hujus erogationis* sub tali conditione, si Deo placeret hanc conditionem ponere, sive illi potius gratiam A, quam gratiam B, conferre, est objectum scientiæ mediæ.

Hoc altero instante Deus nondum hanc erogationem videt ut absolute futuram; nondum enim decrevit conditionem ponere, a qua pendet existentia futura absoluta hujus erogationis.

III. *Tertio rationis instante* Deus libere decernit, & unice a sua beneficentia, a suoque beneplacito motus Aristo gratiam A conferre,

sub

sub qua hæc erogatio fiet, potius quam gratiam B, sub qua non fieret.

Absoluta hujus erogationis existentia sub hoc divino decreto, quod conditionem ponet, a qua pendet hæc existentia, est objectum scientiæ visionis.

1024. NOTA II. Hæc *idealis instantium successio*, quam & prædeterminantium, & indifferentium decretorum systema admittit, in Deo re ipsa non est. In Deo siquidem juxta utrumque systema omnia æque æterna sunt; neque scientia simplicis intelligentiæ ullo pacto re ipsa prior est scientia visionis. In quo igitur in hypothesi decretorum indifferentium fundatur ista distinctio, & instantium rationis successio, quæ in Deo fingitur?

I. Fundatur primo in necessitate nostra nostrarum idearum objecta separandi; quum enim illæ intuitivæ, & comprehensivæ non sint, omnia simul videre, ac complecti nequeunt.

II. Fundatur deinde in quadam *prioritate rationis*, quæ in divinarum scientiarum objectis concipitur, & quæ facit, ut philosophice ab absoluta rerum existentia ad earum existentiam hypotheticam, & ab hac ad earum possibilitatem inferendam progredi possimus; quum ex opposito a rei possibilitate ad ejus existentiam hypotheticam, & ab hac ad absolutam philosophice illatio non valeat; ut alibi explicavimus.

1025. NOTA III. *Usus scientiæ mediæ* mundo philosophico oblatus, & expositus fuit duo ferme ante sæcula omni rationum copia, & rectissimi ingenii acumine a celebri Molina, qui futurorum conditionatorum theoria utens modum invenit Dei præscientiam cum humana libertate ratione maxime philosophica, maximeque theologica conciliandi; tum divinæ gratiæ efficaciam cum intrinseca hujus ipsius divinæ gratiæ resistibilitate; tum prædestinationem ex parte Dei liberam, atque gratuitam cum vero, &

rea-

reali merito ex parte hominis. En tibi modo firma fundamenta, sive inconcussa principia, quibus Molina communem catholicæ ecclesiæ doctrinam sequutus sententiam suam statuit in celebri suo de Concordia gratiæ, & liberi arbitrii volumine (1005).

I. Supponit primo, *Deum habere omnium actuum nostrorum liberorum infallibilem præscientiam*; ceterum Deus scientiam infinitam non haberet, nec esset ens infinite perfectum.

II. Supponit deinde, *hominem sub hac infallibili Dei præscientia liberum esse*; libertas humana siquidem dogma est nobis ab experientia, a ratione, & a fide simul confirmatum.

III. Supponit quoque, *gratias dari infallibiliter efficaces*; ceterum Dei potentia non esset infinita; & fieri posset, ut Deus nequiret salvos facere, & prædestinare, quos vult efficaciter in electorum numero collocare.

IV Supponit pariter, *gratiam quamvis esse intrinsece resistibilem*; sive inter diversas gratias, quas Deus ad bonum operandum hominibus impertitur, nullam esse irresistibiliter natura sua efficacem, cui absolute homo re ipsa resistere nequeat; sub gratia enim irresistibili non amplius libertas, nec meritum esset in homine.

V. Supponit tandem, *Deum gratuito, & infallibiliter prædestinare quem vult*; ceterum Deus non esset infinite independens in agendo, ac benefaciendo, nec universim, & perfecte sortis entium liberorum a se creatorum dominus esset.

Hæc fundamenta, & dogmata catholica sunt quorum Molina concordiam, atque harmoniam ostendere aggreditur in opere, quod indicavimus.

SYSTEMATIS MOLINÆ EXPOSITIO.

1026. EXPLICATIO. Ut genericam notionem tradamus celebris hujus systematis, quod modo omnino simplici, & maxime rationi consentaneo

neo id omne explicat, quod in diversis principiis catholicis supra expositis, atque statutis difficile, atque arduum est, quod concilietur; generico exemplo sumamus & *Divi Petri pœnitentiam*, quem Deus efficaciter convertere vult, & *Judæ pœnitentiam*, quem non vult efficaciter Deus convertere. Juxta Molinam.

I. Deus *scientia simplicis intelligentiæ* videt primo, Divi Petri conversionem esse possibilem. Deus enim, qui intuitive cognoscit & naturalem humanæ voluntatis mutabilitatem, & infinitam suarum cælestium gratiarum varietatem videt, & judicat, fieri non posse, ut in infinito suarum cælestium gratiarum thesauro, etsi omnes in se, & natura sua resistibiles sint, nulla sit aut peculiaris gratia, aut peculiarum gratiarum series, cui libere Divi Petri voluntas cedat, atque consentiat; hæc enim voluntas non nisi *finitam*, *& limitatam* divinarum gratiarum inspirationibus, & sollicitationibus resistendi *potentiam* habet.

Eadem scientia simplicis intelligentiæ, eademque ratione videt quoque Deus Judæ conversionem esse possibilem.

II. Deus *scientia futurorum conditionatorum* deinde videt, fore, ut Petrus convertatur, si illi conferat gratiam A, & fore, ut non convertatur, si illi conferat aliam gratiam B; Petrus enim se libere determinaret huic resistere, illi consentire.

Eadem scientia futurorum conditionatorum parimodo videt Deus, fore, ut Judas convertatur sub gratia M, & fore ut, non convertatur sub alia gratia N; libere enim primæ inspirationibus consentiret, & æque validis, imo fortasse etiam majoribus alterius inspirationibus libere resisteret.

III. Deus ista noscens & scientia simplicis intelligentiæ, & scientia media, libere decernit *speciali erga Petrum dilectione* illi gratiam con-

conferre, sub qua prævisa est ejus conversio, potius, quam gratiam, sub qua prævisa est ejus impœnitentia.

Eadem scientia simplicis intelligentiæ, & eadem scientia media similia noscens de Juda, non tamen pari dilectione illum prosequens, quam dilectionem nemini debet, & cui libet gratis impertitur, libere Deus decernit Judæ gratiam conferre, sub qua prævisa est ejus impœnitentia, potius, quam gratiam, sub qua prævisa est ejus conversio.

IV. Deus tandem *scientia visionis* videt futuram Petri conversionem sub gratia prædilectionis, quam libere, & gratis decrevit illi conferre; atque hanc futuram conversionem videt in divina essentia sua necessario, & infallibiliter cujusque objectivæ veritatis repræsentativa (982).

Nec secus scientia visionis tandem videt Deus futuram Judæ impœnitentiam sub gratia, cum qua converti posset, at sub qua non convertetur; atque hanc impœnitentiam futuram videt in divina essentia sua necessario, & infallibiliter omnis objectivæ veritatis repræsentativa.

1027. NOTA I. Facile intelliges, genericam hanc theoriam veluti sponte quibusque liberis hominum actionibus congruere; puta, prævaricationi Adami, peccato, & pœnitentiæ Davidis, peccato futuro Antichristi, futuris bonis operibus Aristi, & Sylvii. In his omnibus exemplis, aliisque cunctis, usus scientiæ mediæ, ratione intime plaudente, concordiam parit inter supremum Dei dominium quidquid illi placitum est operantis, nec nisi a se ipso moti, ac determinati, cum perfectissima hominis tum in bonis, tum in pravis actionibus libertate.

I. Theoria hæc philosophico-theologica qua parte prædestinationem respicit nihil neque in principiis suis, neque in consequutionibus, neque

que in applicatione cum Semipelagianiſmo commune habet, quem erronem ibi Molina ex profeſſo impugnat. In Semipelagianiſmi principiis ſiquidem ratio, & motivum prædeſtinationis cujuſque hominis eſt bonus uſus, quem Deus prævidet facturum hominem liberi arbitrii ſui; contra vero Molina cujuſque hominis prædeſtinationem, ut modo explicavimus, non niſi *libera Dei voluntati* attribuit, qui gratias, & dona cæleſtia ſua prout vult, & cui vult impertitur (*a*). Per Semipelagianos prædeſtinatio ex parte Dei non niſi juſtitia eſt: per Molinam non niſi pura gratia eſt, & beneficium.

En tibi paucis celebris Molinæ ſyſtematis principia, & fundamenta; ſyſtematis, inquam, quod mira felicitate, ac rectiſſima philoſophica ratione divinam præſcientiam cum humana libertate conciliat, infallibilem gratiæ efficaciam cum intrinſeca ejuſdem gratiæ reſiſtibilitate; dogma prædeſtinationis liberum ex parte Dei ad æternam beatitudinem, aut ad æternas pœna, cum hominis ita prædeſtinati merito, aut demerito.

II. Neque ſane hic inquiro num Molina verum Divinæ œconomiæ ordinem ſit aſſequutus, & num ejus ſyſtema aliquid amplius, quam purum ſyſtema ſit; hoc non definio. Attamen plane video, ac ſantio, ſi Molina in ſuo ſyſtemate fallitur, ita falli, ut magnum virum, & ſummo ingenio præditum error hic non dedeceat; & ſi rerum veritatem non eſt aſſequutus, id tamen præſtitiſſe, ut oſtenderit, nullam in dogmatibus, quæ concilianda ſuſcepit, eſſe oppoſitionem, nullam in divinis operationibus, quas tueri debet, eſſe contradictionem. Evidens enim eſt, Dei operationes in iis omnibus, quæ ad

(*a*) *Libro de Concordia. Quæſt.* 23. *artic.* 4, & 5. *Diſput.* 1. *memb.* 12.

ad hominis libertatem ſpectant tum in ordine naturali, tum in ordine ſupernaturali adhuc quid ſublimius eſſe debere, quam quod de iis dici poſſit in ſyſtemate ad earum concordiam, & harmoniam oſtendendam inſtituto, in quo nihil eſt non accurate, recteque deductum, nihil repugnans, nihil, in quo infinita Dei ſapientia optime non eluceſcat.

Fruſtra æmulorum invidia in hanc ingenioſiſſimam, maximeque philoſophicam hypotheſim oblatravit, & eam calumniis oppugnare ſtuduit. Fruſtra conviciis, fabuliſque conferta hiſtoria quædam conſcripta fuit, ut illam deformaret, atque calumniaretur. Fruſtra iniqua phanaticorum perfidia adulterinam Bullam mentiri, & excudere auſa fuit, ut illam anathemate damnaret. Hæc omnia id unum præſtiterunt, ut philoſophis omnibus plane oſtenderent, præclara magnorum, doctorumque virorum opera calumniis prævalere, iiſque contemptis, immortalia ſupereſſe; neque ſemper clamoſis ſcholarum concertationibus veritatis amorem præſidere.

1028. NOTA II. Nemini ante Molinam ignota erant *futura conditionata*; ut nemini ante Neutonum ignota erat univerſalis gravitatio. Utriuſque laus in hoc ſita eſt, quod a principiis jam antea notis novas theorias eduxerint, quibus alter quidem potiſſimæ theologiæ parti, alter phyſicæ maximam lucem affudit.

I. Ut ſcientiam futurorum conditionatorum liberorum explicent Thomiſtæ, *Decretum prædeterminans exiſtens* in Deo admittunt ex parte Dei abſolutum, ex parte objecti conditionatum; cujuſmodi hoc eſſet, quod ceteris exemplo eſſe poteſt. *Volo voluntate abſoluta, & prædeterminante populos Tyri, & Sydonis converti, ſi in illis urbibus Chriſti miracula fecero, quæ ibi facere nolo.*

Satis patet, hunc futura conditionata libera ex-

explicandi modum esse apud Bannesii discipulos corollariorum suorum decretorum prædeterminantium, & suarum physicarum prædeterminationum ad futura absoluta libera spectantium.

II. Ut eandem scientiam futurorum conditionatorum liberorum explicent philosophi ceteri omnes admittunt tantum in Deo, ut & Molinæ sectatores, *Decretum indifferens possibile*; puta hoc, quod ceteris erit exemplo. *Si vellem apud Tyrios, & Sydonios operari miracula Christi, populi illi converterentur*.

Satis apparet, omne philosophicum ingenium plane percipere debere, quam verisimilitudine inter se distent modi isti duo mentem, & actionem Dei explicandi. Hoc autem satis erit, ut nulla hæsitatione definiatur utri recta ratio adhærere debeat.

PROPOSITIO.

1029. *Deus infallibiliter æternum cognoscit futura conditionata ab humana libertate pendentia.*

EXPLICATIO. *Scientia futurorum conditionatorum liberorum* in Deo statui, ac demonstrari potest, uti & scientia futurorum absolutorum liberorum, tum ratione, tum sacrarum scripturarum auctoritate (982).

1030. DEMONSTRATIO. *Infallibilis futurorum conditionatorum liberorum scientia in Deo ratione demonstratur*. Ratio, enim nos docet, Deum, in quo est essentialiter infinita intelligentia, necessario æternum, & infallibiliter attingere quidquid habet veritatem objectivam. Atqui futura conditionata ab humana libertate pendentia *veritatem objectivam* evidenter habent. Ostendo,

I. Patet, nullum esse futurum conditionatum liberum, de quo duæ propositiones contradictoriæ institui nequeant, cujusmodi hæ sunt. Si

Si cras ad hortum regium Aristus injuria afficietur, Aristus ulciscetur; Aristus non ulciscetur. Sive hæ duæ; *si Sylvius cras in Divi Sulpitii concionem audiet, Sylvius convertetur; Sylvius non convirtetur*; Aut hæ aliæ: *Si Deus talem gratiam Judæ, quum desperavit, contulisset, Judam pœnituisset; Judam non pœnituisset.*

II. Sumamus igitur, ut casus offert, ad genericum exemplum binas has propositiones contradictorias, quarum objectum est futurum conditionatum liberum: „ Si Deus cras Clitandro „ talem interiorem gratiam supernaturalem „ confert in se, & natura sua resistibilem "; *Clitander sub hac gratia convertetur; Clitander sub hac gratia non convertetur.*

Propositiones hæ contradictoriæ sunt. Altera ergo necessario vera esse debet, altera falsa; imo altera *determinate vera*, illa scilicet, quæ conformis erit objecto suo, si gratia hæc Clitandro conferretur; & altera *determinate falsa*, quæ scilicet objecto suo non erit conformis si gratia hæc Clitandro conferretur.

Harum propositionum objectum est *futurum conditionatum liberum*. Ergo propositiones contradictoriæ, quarum objectum est futurum conditionatum liberum, realem veritatem habent, & realem falsitatem.

Hæ duæ propositiones contradictoriæ & realem veritatem, & realem falsitatem habent. Ergo & *realem intelligibilitatem* habent, quæ infinitam intelligentiam ad id omne se extendentem, quod veritas est, & intelligibilitatem habet, effugere nequit (982, & 1013),

III. Ceterum si æternum determinate verum fuit, Davidem, exempli gratia, fore, ut pœniteat sub tali gratia illi dato tempore collata; quare æternum determinate verum non fuerit, fore, ut Davidem sub hac eadem gratia pœniteret, si gratia hæc illi dato tempore conferretur?

1031,

1031. DEMONSTRATIO II. *Divina scriptura auctoritate probatur, Deum vere cognoscere futura conditionata ab humana libertate pendentia.*

I. Ut veritatem hanc solido, & inconcusso fundamento statuamus, tria tantum sequentia exempla afferemus omnibus nota, & quibus facile alia plura adiici possent (*a*).

Jesus Christus nos docet, nobisque testatur in evangelio, futurum fuisse, ut Tyrii, & Sydonii converterentur, si testes mirabilium fuissent, quæ Betsaidæ, & Corozaim operatus est.

Deus Israel a Davide interrogatus, num Seylæ incolæ sibi fideles futuri sint, respondet, se ab illis in manus Saulis ipsum persequentis traditum iri: qua divina prædictione audita David ab urbe illa perfida fugiens emigrat.

Spiritus Sanctus in libro sapientiæ nos docet, nobisque annunciat, præmaturam mortem aliquando divinæ providentiæ beneficium esse; & ob adorandos beneficæ hujus providentiæ fines aliquando hominem justum in prima adolescentia e vita tolli, ne sæculi perversitate mores ejus corrumpantur.

Tyriorum, & Sydoniorum *hypothetica conversio* erat futurum conditionatum liberum, quod nunquam contigit, nec continget: attamen Deus hanc hypotheticam conversionem annunciat, atque testatur.

Pari modo *hypothetica proditio* incolarum Seylæ erat futurum conditionatum liberum, quod nunquam contigit, nec continget. Attamen Deus hypotheticam hanc proditionem revelat, atque testatur.

Justi *hypothetica depravatio*, quem mors adhuc innocentem, & pium præmature abripit, erat

(*a*) *Luc.* 10. *v.* 13. *I. Regum*, 23. *v.* 12. *Sapientia* 4. *v.* 10; & 14.

erat futurum conditionatum liberum, quod nunquam contigit, nec continget. Attamen Deus depravationem hanc hypotheticam testatur, & revelat.

II. Ut plane eluceat essentialis trium horum scripturæ sacræ locorum connexio, *cum divina præscientiæ veritate, sive realitate*; simplicissimum hoc ratiocinium instituo, quod plenam, perfectamque statuendæ propositionis demonstrationem continet.

Certum est, Deum infallibiliter noscere quod affirmat, quod testatur, quod revelat. Atqui Deus futurorum conditionatorum liberorum veritatem affirmat, testatur, revelat. Ergo certum est, Deum infallibiliter noscere futurorum conditionatorum liberorum veritatem.

Si Deus hanc futurorum conditionatorum liberorum veritatem cognoscebat bis mille, aut ter mille ante annos, cur illam quoque æternum non cognoverit? Q. E. D.

OBJECTIONES CONFUTANDÆ.

1032. OBJECTIO I. Deus in sacris libris de quibusdam futuris conditionatis liberis loquens aliquando loquitur modo quodam *incertitudinem, & dubium* indicante. Ergo Deus futura conditionata libera infallibiliter non cognoscit.

RESPONSIO. Ens infinite perfectum admittere, & in illo cognitiones velle dubias, atque incertas; est res invicem pugnantes, & evidenter contradictorias admittere.

I. Repugnat, Deum cognitionem ullam imperfectam habere, quaque ulla perfectior haberi possit, aut supponi (754).

Repugnat ergo, in Deo *cognitionem* ullam

esse *dubiam*, atque *incertam*; hujusmodi enim cognitio non nisi in subjecto potentia intellectiva prædito finita, ac limitata esse potest.

II. Quum Deus in sacris libris modum loquendi adhibet, qui eventus incertitudinem indicare videtur; Deus ita loquitur, ait Divus Hieronymus, sive ut nobis nostrum liberum arbitrium in memoriam revocet, sive ut nostro cogitandi, & loquendi modo sese accommodet.

III. Seu potius quoties in Latina sacrorum librorum versione leguntur particulæ *forte*, *forsam*, *forsitan*, quum de Dei cognitione sermo est, omnes translatæ sunt a Græca particula *ἂν*, quæ *particula potentialis* dicitur, & quæ indicativo modo verbi græci conjuncta illi conjunctivi modi significationem impertitur.

Tunc modus hic indicativus verbi Græci non amplius præsentem actionem significat, sed *actionis potentiam*, *aut* libertatem.

1033. OBJECTIO II. Certum est nonnullas in veteri testamento fuisse prophetias, quæ eventu falsæ apparuerunt; seu quibus eventus sive liber, sive necessarius non respondit.

Hujusmodi fuit celebris Jonæ prophetia, quæ falso Ninives ruinam enunciavit.

Hujusmodi Eliæ prophetia, qua Achab infortunia prædixit, quæ non evenerunt.

Hujusmodi alia Eliæ prophetia, qua pio Regi Ezechiæ imminentem mortem enunciavit, quæ non nisi post annos quindecim accidit.

Deus ergo eventus futuros sive absolutos, sive conditionatos infallibiliter non cognoscit.

RESPONSIO. Duo diversa prophetiarum genera in veteri testamento fuerunt, quæ apte, & sedulo sunt distinguenda. Aliæ siquidem fuerunt *prophetiæ absolutæ*, quæ semper effectum sortitæ sunt, & eventu veræ innotuerunt; aliæ fuerunt *prophetiæ conditionatæ*, & *comminatoriæ*, quæ effectum sortiri non deben, t nisi de-

deficiente conditione, a qua effectus enunciatus, & prædictus pendebat. Hujus generis sunt tres prophetiæ in objectione memoratæ. (*a*)

I. Jonas Dei jussu Ninivitis eorum urbis Dei vindicis ira eversionem prænunciavit, nisi pœnitentiam egissent.

Ninivitæ pœnitentiam egerunt, & comminatio conditionata effectum non est sortita, nec sortiri debuit.

II. Impius Achab, cujus immoderata cupiditas optimo Naboth mortem intulerat, a propheta Elia monetur, Deum Israel, de ipso, deque tota ejus gente acerrimam ultionem sumpturum.

Territus Achab scindit vestes, sacco, & cilicio induitur, asperrime jejunat, omnia veræ pœnitentiæ indicia præbet. Tunc idem propheta, qui in ipsum cælestem ultionem comminatus fuerat, qua plectendus erat, a Deo jubetur illi annunciare, filium suum tantum æque reum, & minus patre pœnitentem, criminis pœnas daturum.

III. Pius rex Ezechias lethali morbo corripitur: propheta Elias annunciat illi mortem imminere.

In gravi hoc vitæ discrimine pius rex summa fide Deum vitæ, & mortis arbitrum orat, ut dies vitæ suæ, quos semper in Dei cultum, & subditorum fœlicitate curanda transegerat, tunc non præcidantur, sed adhuc miraculosa Dei virtute protrahantur. Tunc idem propheta Dei jussu illi significat, preces suas exauditas esse, & illustri miraculo illi testatur, se adhuc in annos quindecim vivum servatum iri.

1034. OBJECTIO III. Quod nihil reale est nul-

(a) *Jonæ* 3. *v.* 5, *&* 10. *III. Regum* 21. *v.* 19, *&* 27. *IV. Regum* 20. *v.* 1, *&* 6.

nullam veram habet intelligibilitatem; atqui futura contingentia libera sive absoluta, sive conditionata nihil reale sunt; ergo nullam veram intelligibilitatem habent.

RESPONSIO. *Futura contingentia libera* sive absoluta, sive conditionata, si ut futura considerentur, nihil sunt existens. At sunt æque ac possibilia, æque ac futura absoluta necessaria, aliquid veri, aliquid reale, aliquid, quod certæ cognitionis objectum esse potest.

I. Ut quid veram intelligibilitatem habeat, non est necesse, ut habeat realem existentiam: geometra siquidem cognoscit, sæpius etiam demonstrat figuræ geometricæ, quam nondum descripsit, & quæ nondum ullam realem existentiam habet, proprietates.

Si Deus nihil, nisi quod est quid existens, cognosceret, sequeretur, Deum *possibilia* non cognoscere; Deum mundum hunc visibilem antequam illum crearet, & efformaret, non cognovisse; quod manifeste falsum, & absurdum est.

II. Futura contingentia libera absoluta, & conditionata nihil sunt actu existens. At sunt aut aliquid, quod aliquando existet re ipsa; aut aliquid, quod aliquando re ipsa existeret, si Deo placeret conditionem ponere, a qua furura eorum existentia pendet.

Habent ergo & *veritatem objectivam*, & *intelligibilitatem objectivam*, quam necessario cognoscere debet infinita illa intelligentia, quæ necessario, & infallibiliter res quascumque attingit, sive in earum statu possibilitatis, sive in earum statu existentiæ tum hypotheticæ, tum absolutæ.

CONCLUSIO. Quum primum philosophis novam Dei theoriam & ab eruditis, & a philosophiæ studiosis probandam exhibere statuimus, duo præstanda suscepimus; accurate scilicet,

licet, & firmiſſime *exiſtentiam Dei* demonſtrare; & quoad fieri poſſet *Dei naturam* explicare.

Num duo hæc novis, firmis, ſolidis rationibus aptaque methodo, quæ & ab elegantia, & a ratione probetur, præſtiterimus, ipſorum philoſophorum judicio definiendum relinquimus.

Explicit Tomus Secundus.

Errata			sic Corrige.
Pag. 21	l. 17	nationem	notionem
37	28	continentur	continetur
47	17	hac	hæ
57	40	hæc	hæ
125	26	juxa	juxta
189	35	embriores	embriones
224	12	actor	auctor
161	75	hexapadas	hexapedas
268	28	feri	fieri
ibi	39	miusve	minusve
313	36	annuciata	annunciata
316	31	hæ	has
340	16	superiori	superioris
358	11	cratio	creatio
393	1	congerentur	congererentur
415	33	variarum	variorum
433	19	infinitæ	infinite
448	36	est	&
457	18	deceret	doceret

CATALOGO

De' Libri stampati da Lorenzo Baseggio in Venezia 1781.

ALlen (*Joannis*) Synopsis universæ medicinæ practicæ 8. 3. v. Ven. 1770. L. 10 :
del BEne, ovvero Filosofia morale del Card. Pallavicino 4. Ven. 1698. L. 6 :
Buon Pensiero, di Carlo Gregorio Rosignoli 12. Ven. 1706. L. 1 :
Baronii (*Cæsaris*) Annales Ecclesiastici fol. v. *ibid.* 1705. L. 200 :
Boßuyt (*Jacobi van*) Theologia moralis 12. 2. v. *ibid.* 1767. L. 4 :
Boyvin (*Jo: Gabr.*) Philosophia Scoti 12. 5. v. *ibid.* 1734. L. 6 :
CAtechismo Storico, che contiene in ristretto la Storia Santa e la Dottrina Cristiana, di Claudio Fleury 8. 2. v. Venezia 1778. L. 2 :
Catechismo Detto Ital. e Francese 8. 2. v. *ivi*. 1705. L. 4 :
Chanteresme Istruzioni Teolog. e morali sopra l'Orazione Dom. la Salutazione Angel. la S. M. ed altre pregh. della Chiesa 12. Ven. 1779. L. 1 : 10
... Istruzioni ec. sopra i Sacramenti 12. 2. v. *ivi*. 1774. L. 3 : 10
..... sopra il Simbolo 12. 2. v. *ivi*. 1775. L. 3 : 10
... Lettere 12. 2. v. *ivi*. 1770. L. 3 :
... Perpetuità della fede rapporto all'Eucaristia 12. *ivi*. 1779. L. 2 .
... Pregiudizj Legittimi contro i Calvinisti 12. 2. v. *ivi*. 1778. L. 2 : 10
... Pretesi Riformati convinti di scisma 12. 3. v. *ivi*. 1777. L. 4 :

... Trat-

... Trattato dell'Orazione 12. 2. v. *ivi*. 1770. L. 3 :

... ... dell' Usura 12. *ivi*, 1770. L. 1 :

..., Unità della Chiesa 12. *ivi*. 1775. L. 3 :

Cibo dell'Anima, ovvero meditazioni sopra la passione di Cristo di Francesco Rainaldi 24. Ven. 1703. L. : 12

... della Storia di Porto Reale, ora per la prima volta tradotto, di Giovanni Racine, 12. Venezia 1779.

... della Storia e della Morale dell' Antico Testamento con spiegazioni e riflessi 8. tomi 19. finor usciti. L. 78 :

Consolato del Mare con il Portolano 4. *ivi*. 1713. L. 6 :

Cuoco Reale e Cittadino 12. Ven. 1773. L. 2 :

Cariere (*Franc.*) Historia Cronologica Pontificum 12. Venetiis 1697. L. 2 :

Corazza (*Cajet.*) de Baptismo & Pœnitentia 4. Ven. 1736. L. 6 :

... de Coscientia & Peccatis 4. *ibid.* 1735. L. 6 :

Corsetti (*Barth.*) Praxis sacrorum rituum 8. 3. v. *ibid.* 1739. L. 4 :

Descrizione delle scoperte fatte nell' antica Città di Ercolano, di Marcello de' Venuti 8. Ven. 1749. L. 3 :

Discorsi di Sacre Controversie di S. Francesco di Sales 4. *ivi* 1712. L. 2 :

... del Co: Guido Baldo Bonarelli 12. Venezia 1700. L. 1 : 10

Dolci Pensieri della morte del Sig. della Serra 12. Ven. 1757. L. 1 : 10

Dottrina di Bernardino Pianzola 12. *ivi* 1778. L. 1 : 10

Ecclesiastico Istruito di Paolo Medici 12. Ven. 1715. L. 1 :

Esercizi Spirituali di S. Ignazio 8. fig. Venezia 1737. L. 2. 10

... Det-

... Detti di Sebastiano Izquierdo 8. *ivi* 1698.
L. 1 :
... Detti di G. P. Piramonti 12. *ivi* 1779.
L. 1 : 10
Esposizione del *miserere* di Paolo Segneri 12. Ven. 1692.
L. 1 : 10
FIlli di Sciro, Favola Past. di Guido Bal-do Bonarelli 12. Ven. 1700. L. 1 :
Fisica de' Peripatetici, Cartesiani ed atomisti al paragone della vera fisica di Aristotele, di Stefano Pace 12. 3. v. fig. Ven. 1741. L. 8 :
GErsone della Perfezione Religiosa di Luca Pinelli 12. Ven. L. 1 : 10
Gramatica della lingua francese di Lodovico Goudar 12. 1772. L. 2 :
. della lingua tedesca di Mattio Chirchmair 12. *ivi* 1779. L. 1 : 10
Godeau (*Antonii*) Theologia moralis 4. Venetiis 1758. L. 5 : 10
Gorter (*Jan.*) Compendium medecinæ 4. *ibid.* 1757. L. 5 :
HIstoria del Mondo del Sig. Chevrau 4. 2. v. Venezia 1723. L. 16 :
... della Volgar Poesia e commentarii intorno la medesima di Gio: Maria Crescimbeni 4. 6. v. *ivi* 1731. L. 32 :
Haller (*Alberti*) Primæ lineæ Physiologiæ 8. Ven. 1777. L. 3 :
Hippocratis Aphorismi 24. Ven. 1775. L. 1 :
Huetii (*Petr. Dan.*) Demonstratio Evangelica 4. 2. v. *ibid.* 1765. L. 12 :
Hugonis (*Herm.*) Pia desideria 12. *ibid.* 1757. L. 1 :
Huxham (*Joan.*) de Febribus & alia opuscula 8. *ibid.* 1773. L. 3 :
INdirizzo dell' anima di Pietro Brencola 12. 2. v. Venezia 1744. L. 3.
Industrie per fare una buona morte di Giul. Ces. Recupito 12. Ven. 1732. L. 1 :

Inni

Inni della Chiesa ridotti in odi anacreont. da Giamb. Vicini 12. Ven. 1777. L. 1 : 5

LAmy (*Bernardi*) Apparatus Biblicus 8. cum fig. Venetiis 1777. L. 7 :

MAnna dell' Anima per tutti i giorni dell' anno e feste mobili di Paolo Segneri 24. 13. v. *ivi* 1719. L. 8 :

Massime con esempj tratti dalla Storia Sacra e Profana dell' Abb. Bellegarde 12. *ivi* 1721. L. 1 : 10

Moderna teoria e pratica di Medicina di Brovvne Langrish 8. Ven. 1766. L. 3 :

della Morte de' Persecutori di L. C. F. Lattanzio 8. *ivi* 1774. L. 1 : 10

Mabillon (*Joan.*) de Studiis monasticis 4. 3. v. Venetiis 1770. L. 10. :

Mako (*Pauli*) Compendiaria Logicæ institutio 12. Venetiis 1771. L. 1 :

... Metaphysicæ institutio 12. *ibid.* 1771. L. 3. : 10

... Matheseos instit. 12. cum fig. *ib.* 1771. L. 5 :

Manuale Theologiæ Dogmaticæ 24. *ib.* L. : 10

Melchioris (*Barth.*) omnium homicidiorum examen 8. *ibid.* 1728. L. 2 :

NOvena di S. Giuseppe, del P. Gaetano dall' Asta 12. *ivi* 1764. L. : 10

OPere di Fr. Paolo Sarpi 12. 6. v. Venezia 1677. L 18 :

--- di Vincenzo da Filicaja 12. 2. v. Venezia 1781. L. 2 : 10

Ortografia Italiana di Dan. Bartoli, 12. Venezia 1715. L. 1 :

Ovidii (*P. Nasonis*) c. n. Biman, 12. *ibi.* 1779. L. 3 :

PRediche recitate nel Palazzo Apostolico di Paolo Segneri, 4. *ivi.* 1694. L. 2 :

--- Varie di Antonio Vieira, in 4., e 12. *ivi.* 1703. L. 3 :

Prezzo della Div. Grazia di Gio: Eusebio Nierembergh, 12. 2. v. *ivi.* 1751. L. 3 :

Prodigio del Divino Amore, del suddetto Autore,

tore, 12. v. 2. *ivi.* 1708. L. 3 ;

Pharmacopæja Londinensis una cum Meadiana, 8. *ibi.* 1767. L. 12 :

Pontii (*Basilii*) de Matrimonio, fol. Venetiis 1756. L. 16 :

Regno dei Longobardi in Italia, memorie storico-critiche di Bernardino Zanetti, 4. 2. v. Venezia 1753. L. 12 :

Regola di S. Benedetto per le Monache, 12. *ivi.* 1782. L. 1 : 5

Riflessi di spirito sopra gli Evangelj delle feste dei Santi di Bernardo Finetti, 12. Venezia 1687. L. 2 :

--- sopra la SS. Eucaristia dello stesso, 12. *ivi.* 1702. L. 2 :

Ranst (*Franc. van*) Historia Hæreticorum, & hæresum, 8. Venetiis 1774. L. 3 :

--- Veritas in medio, seu D. Thomas propositiones omnes a Bajanis usque ad Quesnellianas prædamnans, 8. *ivi.* 1768. L. 3 :

--- *del Rio* (*Martini*) Disquisitiones magicæ, 4. 3. v. *ibi.* 1746. L. 15 :

Ruai (*Caroli*) Carmina, 12. Venetiis 1699. L. 1 : 10

Rudimenta Poetica, 12. *ivi.* 1705. L. 1 :

Saggio sopra la conformità della medicina degli antichi, e moderni, di Gio. Barker, 8. Venezia 1774. L. 1 : 10

--- sopra le malattie epidemiche, di Giuseppe Rogers, 8. *ivi.* 1773, L. 2 :

Secreti di Alberto Magno, in 8. *ivi.* 1700. L. 1 :

Sette Canzonette, in aria marineresca, sotto le sette principali feste di Maria, di Girolamo Tornielli, 8. Venezia 1757. L. 1 :

Siviscalchi (*Liborio*) Quaresimale, 4. Venezia 1773. L. 5 :

--- Panegirici, 12. *ivi.* 1782. L. 3 : 10

--- Esercizj Spirituali 12. *ivi.* 1779. L. 2 : 10

--- Settimana Eucaristica, ovvero pratiche di-

vote

vote per l'ottava del *Corpus Domini*, in 12. Venezia 1778. L. 1 : 10
--- Martirio del Cuore, ovvero considerazioni per tutti i Sabbati dell'anno, 12. *ivi*. 1775. L. 1 : 10
--- Iddio del Cuore, ovvero discorsi per la novena, e per l'ottava del SS. Natale, 12. 2. v. *ivi*. 1754. L. 2 : 10
--- Giorno Santificato, ovvero pratiche spirituali per santificare le azioni del giorno, 12. *ivi*. 1777. L. 1 : 5
--- Cuor tra le fiamme, ovvero esercizj divoti per la novena, e Feste della Pentecoste, 12. *ivi*. 1773. L. 1 : 10
Stanze, e Capitoli dell' Abb. Giambatista Vicini, 12. Venezia 1777. L. 1 :
Strada della perfezione Cristiana, e Religiosa di Pietro Brencola, in 12. Venezia 1739. L. 1 : 10
Sannig (*Bern*) Collectio absolutionum &c. 12. *ibi*. 1773. L. 1 : 10
Sectani (*Q.*) Satyræ, in 12. Venetiis 1696. L. 1 : 10
Sennyei (*Ladil.*) Examen Ordinandorum 12. *ibi*. 1758. L. 1 : 10
Strada (*Famiani*) de Bello Belgico, 8. 2. v cum fig. Venetiis 1730. L. 8 :
TAvole dei Seni delle Tangenti, delle Secanti. Logaritmi dei Seni, e delle Tangenti. Logaritmi dall' 1. fino a 10000., di Adriano Ulacq. con aggiunte tratte dalla nautica astronomia del P. Pezenas, 8. Venezia 1774. L. 5 :
Torti (*Franc.*) Opera medica, 4. *ibi*. 1769. L. 7 :
Trilleri (*Dan. VVilh.*) de Plenitudine, 8. *ivi*. 1778. L. 1 : 10
VAglio Chimico di C. Lancilotti, 12. Venezia 1682. L. 1 : 10
Viaggio in Pratica di Gio: Maria Vidari, 12. *ivi*. 1778. L. 2 :